31

Digitized by Google

10
5-b
31

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
4 B
42

D.D. 356

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINES OMNIVM HANNONIÆ COENOBIORVM OCTO LIBRIS BREVITER DIGESTÆ.

PERTINENTER SVBNECTITVR AVCTARIVM

De Collegiatis eiuſdem Prouinciæ Eccleſijs.

MAIORIS OPERIS PRIMITIAS EDEBAT AVTHOR.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Super hoc filijs veſtris narrate, & filij veſtri filijs ſuis, & filij eorum generationi alteri.
Ioëlis 3.



MONTIBVS,
Typis PH. WAVDRAEI, *ſub Biblijs* 1650.

Digitized by Google

Digitized by Google

AMPLISSIMO,
ET REVERENDO ADMODVM
DOMINO,

D. IACOBO SEIOVRNET,

PER-ILLVSTRIS
COENOBII B. MARIÆ
IN CAMBERONA PRÆSVLI
LONGE DIGNISSIMO;
Bodeloënſis, ac Niſellenſis Monaſteriorum immediato Patri, nouemque aliorum virginei ſexus Commiſſario;

DOMINO, AC PATRONO SVO, dum Abbatiali mitrâ inauguratur, omnimodæ felicitatis ingreſſum, & progreſſum.

Ampliſſime D. Præſul,

Si poſitis eximiæ veſtræ dignitatis, inſigniſque corporis ſtatu-

 ræ faſ-

Digitized by Google

ræ faſcibus, hodie me ſinis adpa-
rere, inter tot obſequia vtriuſque
Ordinis Magnatum Tibi congra-
tulantium, eccè purâ manu, &
ſincero affectu munus adfero,
continens *Origines omnium Hanno-
nia Monaſteriorum*, ſeu (vt apertiùs
dicam) primitias Hannoniæ Cœ-
nobiticæ, deſumptas ex noſtro
grandiori opere, quod piæ me-
moriæ veſter Anteceſſor Reue-
rendiſſimus D. Ioannes Coene (In
pace ſit anima eius) in viuis acce-
pârat: ſed illud nunc per eius
mortem, perque obſtantes belli-
coſi huius temporis anguſtias in
ſchædis meis deliteſcit; eo etiam
fine, vt in dies augeatur, donec
ſereniora tempora ab omni parte
completo affulgeant. Interim ve-
rò medium quid hodie ſelegi, quo
& præmiſſæ veſtræ Dignitati cum
cæteris applaudam, & dicti Præ-
deceſſoris tui piæ in viuis volun-
tati aliquatenùs ſatisfaciam; eò
quidem

Digitized by Google

quidem confidentiùs, quò idipſum opus ipſi placuiſſe non ignoras, eius vtique actorum atque virtutum oculatus teſtis & hęres. Vnde, opinari mihi liceat Tibi, ac veſtris Cameronenſibus non fore ingratum.

Iam-verò ſi non offerentis humilitas, oblati ſaltem muneris qualitas aditum mihi faciet; Eſt enim omnium Hannoniæ Monaſteriorum deſcriptio, tā virilium, quàm virgineorum cum ſuis fundatoribus, & annis. Leges hîc in-primis omnium penè Ordinum à ſanctâ Sede approbatorum initia. Reperies ſingulorum dictæ noſtratis Prouinciæ Cœnobiorum origines, & progreſſus; notanter autem S. Benedicti, & *S. veſtri Bernardi, almi eiuſdem filij;* nec non SS. Auguſtini, Norberti, Dominici, Franciſci, & aliorū, qui varias familias Religioſas & Regulares ad noſtra vſque tempora viciſſim inſtituerunt

runt. Inuenies hîc nominatim Camberonenſe illud tuum Cœnobium à prætacto S. Bernardo ante annos quingentos fundatum, ac prædijs auctũ à B. Faſtredo, primo huius ſancti loci Abbate; exindeq́ue ſanguinolentâ D. Virginis effigie nobilitatum, pluribuſque ſecutis miraculis ab eâ illuſtratum. Videbis inſuper alia, & alia Virginum Ordinis veſtri Ciſtercienſis Cœnobia, vt non memorem ſex alia vicinos Athenſes concernentia. Leges item quàm plurima diuerſorum Principum ac Comitum, in excitandis & decorandis, ſiue Monachorum ſiue Clericorum Eccleſijs, monumẽta. Denique, prçter iſta auitæ pietatis ſymbola, noua multa comperies ad nouorum in dies Cœnobitarum multiplicationem facientia. Quæ quidem omnia in vnum velut faſciculum ex pleniori opere breuiter

Digitized by Google

niter à me redacta, tuoque celeberrimo paſſim nomini dicata, *Præſul Ampliſſime*, dignaberis, vt reor, accipere pro ſingulari tuâ erga literatos humanitate, proque hodiernæ diei magnificâ ſolemnitate, quæ in hoc ſublimi & excelſo honoris gradu Te collocat, præuijs nimirum ante actæ vitæ meritis; quâ in primis ad tempus in Camerâ prope Bruxellam laudabiliter peractâ, in huius Domus veſtræ Oeconomum, & diſpenſatorem adſcitus, creditam Tibi ſpartam magnificè decorâſti, etiam calamitoſis his temporibus; notanter Auguſto præterito, dum Franci Condatum occupantes Athenſis oppidi capturæ inhiarent, ſed fruſtra; nam ſub tutelâ Virginis erat, pro vt & quondàm fuit Veſtra Camberona, anno 1581. à 300. fortibus armatis impetita, ſed, Diuâ protegente, illæſa; cuius adhuc facti

memo-

memoria cum gratiarum actione quotannis recolitur in Paſchalibus feſtis.

In hac autem nouiſſimâ omnium trepidatione, totiusque Prouinciæ concuſſione, quid non ex induſtriâ & cautelâ diu noctuque feceris, vt Domus veſtra ſarta tecta cuſtodiretur, omnes indigenę ſciunt, & exteri mirantur; ac proinde huius rei famâ circumuolante, inueniſti ſtatim gratiam apud domeſticos, & poſtmodò apud Regis Miniſtros, Belgijque Proceres, qui Te ad vacantem Abbatis dignitatem pauciſſimo tẽpore (quod mirum) interiecto, nominârunt, propter accuratam domeſticæ rei œconomiam, & alias dotes eximias, quæ in Regio diplomate * ſingulariter exprimuntur.

* Bruxellæ dato 24. Dec. 1649.

Quæ cum ita ſint, induſtriæ & circumſpectioni tuæ, tuiſque vigilijs ac laboribus plurimum debet

bet Camberona; & ecce hodie, propter has ipſas qualitates, Te vt honorificum Parentem ſuum agnoſcit & reueretur; non obſtāte interim Reu.^{dæ} Amplitudinis tuæ ætate, quæ quadraginta & vnum annos necdum compleuit. Quid tum? in florenti ætate factorum, morum, & vitæ ſenectus eſt, eaque mediante, maxima quæque de Te ſperare deinceps liceat. En cauſas dedicationis meæ, ſed publicas: priuatam breuiter adijcio. Cùm nuper in Epiphaniâ Domini à Reuerendo admodùm D. D. Hieronymo Marlier S. Giſleni Abbate, in temporalem dignitatis huius poſſeſſionem induceremis, publici actus ceremonijs vt Apoſtolicus ſcriba, per honorem à veſtris vocatus, de more interfui. Sed & ad inſtallationem veſtram ſpiritualem ſecundò euocatus, ſacris eiuſdem ritibus nouiſſimè † interueni, aſſignādo vobis

† 28. *Febr.* 1650.

bis ſtallum in Choro, D. Benedicti Regulam, claues, & Abbatiale baculum tradendo; ſubſecutâ obedientiæ promiſſione per ſingulos veſtros Religioſos.

Hæc me impulerunt Tibi, ac Tuis Cœnobiticum id munus offerre. Suſcipe igitur benigno vultu, tanquam cultus & affectus mei in Te, ac Tuos omnes teſſeram. Quod Te facturum, & Monaſticarum rerum dignitas, & totius Prouinciæ honos inde ſecuturus, & munificentiæ veſtræ ſplendor certò ſpondent. Interim verò ex hoc benedictionis tuę die, ad nouam hanc ſpartam, vt ſoles, intende, proſperè procede, & feliciter regere incipe. Ita opto, ita & mecum omnes Camberonēſes vouebant anno Iubilęo. 1650. in ipſis Prælaturæ tuæ encænijs.

Reuerendæ Amplitudini tuæ
deuotiſſimus ſeruus

PHIL. BRASSEVR *Presbyter.*

Digitized by Google

AVTHOR LECTORI.

COllegeram multâ lectione, & laborioſâ diſquiſitione, nec-non periculoſâ ducentorum & ampliùs milliarium confectione, Omnium Hannoniæ Monaſteriorum Antiquitates, eaſq́; latiſſimo in campo cum varijs Bullis ac Diplomatis digeſſeram, vt noſtri, inter alios, Hannones, Monaſticæ & Eccleſiaſticæ ſuæ Hiſtoriæ notitiam inde depromerent. Adieceram præterea cuiuſque Cœnobij frontiſpicio Auctores ſuos, ſiue editos, ſiue manuſcriptos; vt ſciretur à quo accepiſſem: Immò maioris fidei causâ, plurium Bullarum & Diplomatum initia, & Datas interieceram.

Id opus cùm hoc & ſuperiore anno pararem diuulgare ſub titulo Hannoniæ Cœnobiticæ, obſtantibus vtriuſque anni miſerijs, totiuſque Patriæ concuſſionibus, ſuſpendere coactus ſum. Viſa mihi res incommoda, quia omnia parata erant, & vndequaque per Hannoniam diſquiſitionis ergò profectus, editionem abſque morâ promiſeram. Sed haud diu pòſt ſatiùs viſum & mihi & multis alijs, ſi, inter has durantis belli miſerias, dictæ meæ Hannoniæ Cœno-

bitica

litica viam præpararem breui quodam compendio ex tempore à me confecto. Feci ergo, vt nemo iam de me ampliùs conqueratur, quia futuri operis ſpecimen aliquod exhibendo, promiſſis aliquatenùs me exonetem, ſub ſpe videlicet ampliora dandi, cùm deſideratiſſima pax tanto pridem ambitu petita, tanto data fuerit, per turbulentæ iam ab anno Galliæ ſeditiones.

Dabit interim breuis hic libellus multis occaſionem, vt opus conceptum in dies augentem, deinceps magis & magis adiuuent, inſtruantq́; pleniùs de manuſcriptis penes ſe latentibus; qualia præſertim Pontificum Bullæ, Epiſcoporum Decreta, Principum & Comitum Diplomata, atque id generis ſcripta; ne eorum defectu fallar, aut fallam in deſcribendis rebus, perſonis, locis, annis; & ne relatu digna prætercam. Si tamen in hoc breuiculo quædam Prouinciæ noſtræ Monaſteria (vt vnus ſcire omnia non poteſt, nec debet, *teſte Auguſtino) prætermiſerim per negligentiam, aut ignorantiam, nullus mihi indignetur, ſed omiſſa, precor, indicet; & ſi quid hîc addendum vel minuendum iudicet, liberè moneat; vt quod à me ſine dolo & culpâ additum, vel omiſſum eſt, ſecundis curis deleatur, aut addatur.*

Iure

Digitized by Google

Iure igitur (præter obſtantes temporis huius anguſtias) cõpendium præmitto; & quidem duplici ex cauſâ, tum vt moneas, ſi alicubi errem, tum etiã vt promoueas, ſi quid me lateat, aut ſi quid notabile prætericrim.

Porrò dum cuiuſque loci Hiſtoriam contraho, ſæpè iiſdem vtor verbis, quibus ea per fidum Authorem ſcripta; eâ verò deficiente, ſingulorum locorum Superiores à me deſuper conſultos pro indubitatis ſcripti mei teſtibus habeo, quamuis tamen eorum nomina breuitatis memor hîc omiſerim, eadem ſecundis curis producturus; nec enim attinet prolixum facere breuitati ſtudentem: Sed & operæ-pretium fuerit hîc tacuiſſe, vt liberè cenſeas, relicto cuiuslibet alterius iudicio, & authoritate.

Moneo inſuper me in ſcribendis annis Chronographorum diſcrepantiam ſæpiùs inueniſſe, vt hoc frequenter amat fieri: Verùm ſat mihi fuit in iſtis duorum aut trium ſequi ſententiam; eaq́; ſic à te accipi velim, vt ſcias eo anno, aut circiter, eueniſſe; At vbi rei geſtæ annus deeſſet, non aliud mihi ſtudium fuit, quàm inopiam profiteri, & vulgatum iſtud, neſcio, *vſurpare.*

Quòd iam ſupereſt, accipe Lector, hoc quidquid eſt præludij ac compendij, & inua deinceps in partem: Ego te quoque, vbi opus fuerit. Vale, & ſalue.

REVERENDO D. PHILIPPO BRASSEVR Presbytero, *Hannoniæ Cœnobiticæ primitias edenti applaudebat I. B. D. T. M.*

A belli fatis luſiſti plurima verſu;
At nunc inuerſo das meliora ſtylo.
Quique priùs tredecim complexus es Abbatias,
Nunc ducẽta magis ordine Clauſtra refers.
Perge auibus fauſtis; proſâ variante decorus
Tam maiora dabis, quàm meliora paras.

AVTHORI HANNONIÆ COENOBITICÆ, *diu multumque concupita, meliora tempora exoptat Claudius Doreſmieulx Atrebas.*

HÆc breuis Hannoniæ Larium ſcriptura ſacrorum,
Maioris ſcripti ſymbola prima gerit.
Et bene; nam maius ſpecimen, per tẽpora belli,
Cogitur Authoris ſe cohibere domo.
Intereà per bella ſuis ne deſit amicis,
Exiguo cunctos munerat ipſe libro.
Pax vtinam veniat! tunc Ilias altera ſurget,
Proque libro modico grãde volumen erit.

DE SCOPO AVTHORIS.

SCripſerat *Hannoniã* pius Author *Cœnobialẽ*,
Per mala ſepoſitũ tempora dormit opus.
At meliora ſibi perſuadens tempora, deinceps
Liuius alter erit, qui modò Curtius eſt.

Cognati ſui Præludijs adludebat P. Ioan. Vanden-zype Mechl.

Digitized by Google

APPROBATIO.

TRactatus iſte cõtinens *Origines omnium Hannoniæ Cœnobiorum* vtriuſque ſexus, vti maioris de *Hannoniâ Cœnobiticâ* operis prænuntias, cùm nihil Catholicæ fidei, aut bonis moribus contrarium habeat, ab auditione mala non timebit; nec eſt, aut erit, qui ſe abſcondat ab eius lecturâ, quandoquidem exquiſitâ ſacrarum Patriæ antiquitatum varietate paſſim excultus, Lectores ſuos mirificè delectet, inſtruat, & ædificet. Ea propter præli beneficio dignum cenſeo, tum eiuſdem Authoris gratiâ, tum ad Monaſticarum rerum æuiternam gloriam. Ita cenſui Montibus Hannoniæ, ſexto Idus Ianuarij 1650.

IOANNES DV TRIEV
S. Theol. Bacc. Form. Beguinagij Parochus, ac librorum Cenſor.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINES OMNIVM HANNONIÆ COENOBIORVM, OCTO LIBRIS BREVITER DIGESTÆ.

PRÆFATIO.

INTER ſacras Religioſorum hominum familias, quatuor quaſi maiorum gentium Ordines eminent, quos Abbatiales nominare liceat; eò quòd eorum Superiores propriè Abbates nominentur. Sunt ij Canonicorum Regularium, Benedictinorum, Ciſtercienſium, & Præmonſtratenſiũ ſacri Ordines; *quorum Abbatias, Præpoſituras, Prioratus, & Domos in Hannoniâ ex vtroque ſexu conflatas I. II. III. & IV. libro deſcribam.*

Quinto autem digeram omnes Conuentus viriles quatuor Ordinum Mendicantium, & ipſis annexorum.

Sexto virgineos eorumdem Ordinum Mendicantium, & ijs ipſis ſubalternorum.

Septimo nouæ aliquot Societates Religioſorum, & Regularium Clericorum diſponentur.

Octauo variæ Congregationes Beguinarum, Pænitentûm S. Magdalenæ Sororum, Hoſpitalariarum & aliarum virginum nullis votis adſtrictarum, ſuo quoque ordine digerentur.

Finaliter omnes & ſingulas dictæ noſtræ Prouinciæ Collegiales Eccleſias, per modum Auctarij, ſubtexam.

In quorum, quarumque omnium Cænobijs & Eccleſijs perſtringendis, ordine antiquitatis, vbique procedam; minimè verò dignitatis, aut præferentiæ in publicis Hannoniæ Comitijs obſeruari ſolitæ; præmiſſâ interim cuiuſlibet Religioſi Ordinis origine, ex ſingulorum fundatorum tabulis (quæ in Lætienſis Eccleſiæ Choro ſupra Monachorum ſedilia extare ſolent) *verbo tenùs tranſcriptâ.*

Et his quidem obiter præmiſſis, ordior à S. Benedicti Cænobijs, velut tempore cæteris in Hannoniâ prioribus.

LIBER I.

Benedictinorum Cœnobia.

CAPVT I.

De Ordine S. Benedicti.

SANCTVS Benedictus (à quo benedictionis nomē eius Alumni, & Filij hæreditant) Nurſiæ nobilis, omnium pene totius Occidentis Monachorum Pater & Inſtitutor, Regulam ſcripſit diſcretione præcipuam. Obijt anno 543. ætatis 63.

Ex quo tempore ſancti huius Patris filij, nepotes, & qui de illis nati ſunt, propter illum vſque in æternum manent, ab illo ipſo, qui omniū Iuſtorū ſpiritu plenus fuit teſte S. Gregorio Papa, *primitias Spiritus habentes; licèt proceſſu temporis diuerſa nomina ab his, & illis ſortiti fuerint, vt puta Camaldulenſes, Humili-*

miliati, Gilbertini, Grandimontenſes, & alij aliter nuncupati, quos hîc ſubijcere nihil attinet, quia Belgis haud ita probè innoteſcant: Non tamen hîc omittendi Benedictini ſpecialiter dicti, Cluniacenſes, Ciſtercienſes, Carthuſiani, Guilielmitæ, & Templarij Equites; In quorum maiorem notitiam, vt Hannones cum alijs exteris deueniant, omnes & ſingulas prætacti Ordinis Abbatias, Prioratus, Præpoſituras, & Domos in Hannoniâ noſtrâ conſiſtentes ſubiectum eo, deſumpturus initium à Cellâ Diui Giſleni, eò quòd cætera totius Hannoniæ Cœnobia, non tantùm antiquitate, ſed etiam dignitate (quam tamen nullibi attendo) præcedat.

DISTINCTIO I.

Abbatia S. Giſleni.

Anno 638. INtegrum & ſpecialem tractatum poſtularet Regalis & Imperialis hæc Abbatia, ſed quia laconiſmum promiſi, & vbique deinceps ſequi intendam, ſecundis curis compendium id præmitto.

Tēpore Dagoberti Franciæ Regis, ſanctitate & miraculis claruit D. Guiſlenus Fūdator, & primus Abbas *Cella Apoſtolorum* in hoc

Digitized by Google

hoc loco, qui ab vrsâ ibi degente olim dictus fuit *Vrſidungus*. Etenim relicto natali ſolo & Epiſcopatu (vt ſcribit *Baronius in ſuo Martyrologio ad IX. Oct.*) ab Angelo monitus, Romam perrexit; & inde (præuiâ ſancti Petri viſione & iuſſione) in hãc Belgicam regionem tranſmigrauit anno 631. versùs Caſtrilocum; inde quoque cum duobus ſocijs Lamberto & Berlerio (præunte aquilâ) huc deueniens, Oratorium diuis Petro & Paulo erexit an. 638. vt tenet *D. Ioannes Lamelin huius Cellæ Monachus in ſuis Manuſcriptis*, quouſque ad 300. Cœnobitas collegit, quibus in ſanctitate & iuſtitiâ coram Deo præfuit per annos circiter 40. Et poſtquàm Monachi vitam in dicto Monaſterio à ſe conſtructo exercens, multis virtutibus claruiſſet, tandem inibi beatâ morte vitam commutauit anno circiter 670. non autem 645. vt refert *Coluenerius in Notis ad Chronicon Cameracenſe lib. 1. cap. 19.* at malè; contrarium enim patet ex vitâ S. Aldegundis diuo Amando ſuperſtitis, qui obijt anno 662. iuxta communem.

Sed hîc quæri poſſit (antequàm vlteriùs progrediar) quam ſuis Regulam præſcripſerit S. Giſlenus. Sanè in re dubiâ nihil omnino certi definire poſſum: Siquidem

plerique volunt diui Baſilij canonem primitùs ab eo receptum fuiſſe, quia ex Græciâ venięs, Baſiliani inſtituti Monachus erat: Alij verò (inter quos *Arnoldus VVion Lib. 3. ad 9. Oct.*) tenent, quòd S. Amandus diui Benedicti Regulam & habitum, vbique tunc apud Belgas communem, ſacrâ ſibi conſuetudine deuincto præſcripſerit, aut commendârit. Vt vt fuerit, probabile eſt S. Benedicti inſtitutum ab Elephante Abbate fuiſſe introductum an. 810. quo præeſſe cœpit; quamuis alij idipſum diuo Gerardo attribuant anno demùm 931. in Abbatem hîc poſtulato. Cæterùm ne incerta pro certis attexam, dubitari non poteſt, quin hoc Monaſterium maximæ olim ſanctitatis fuerit, & pari 300. Monachorum numero certârit cum *Altomonte*; quâ de causâ diuus noſter Giſlenus *trecentorum Monachorum Pater* nominatur in *Maſſæi Chronicis.*

Sed ab huius Monaſterij initijs ad progreſſum veniamus. Anno à dicti fundatoris obitu cẽteſimo quadrageſimo, Chriſti verò 810. (ſupponendo nimirum, quòd obierit prædicto an. 670.) huius ſancti loci regimen ſubſumpſit dictus Elephas Caroli magni conſanguinens; qui eiuſdẽ expenſis, ſuper Diui noſtri ſepulchrũ, inſignẽ

Eccle-

Eccleſiam erexit, rexitque creditum ſibi gregem in magnâ virtute & ſapientiâ; Sed quot annis præfuerit, & vbi ſepultus ſit, hucuſque ignoratur per clades Nordmannorum. Legitur interim funditùs euerſum fuiſſe ab ipſis id Monaſterium an. 880. ac paulò pòſt à Raginero Hannoniæ Comite reſtauratum, Clericorum miniſterio fuiſſe cõmiſſum. Ipſis autem eo in loco per interregnum diuina exercentibus, cuidã de familiâ ſuâ Winerado ſeipſum ter manifeſtauit S. Giſlenus, vt ad ſui corporis eleuationem procederetur; quæ mox à Stephano Elſatio Cameracẽſi Epiſcopo inter annos 891. & 895. facta, *Domino cooperante*, & celebritatem *confirmante ſequentibus ſignis.*

Sed eâ gratiâ tẽporis progreſſu dicti Simmyſtæ abuſi, & notanter de ſacri corporis ſubductione conuicti, tanquã mercenarij, & iniqui rerũ diſpenſatores protinùs expulſi ſunt à S. Gerardo Bronienſi: qui (vt erat tunc omnium pene Belgij Monaſteriorum Reformator) & hìc pro infami ſocietate Benedictinos introduxit, aut certè à dicti Elephantis obitu fugatos reduxit an. 931. pro vt legitur in quadam tabulâ cum ſingulorum Abbatum iconiſmis in ſacello B. Mariæ à dextris Chori expoſitâ.

Ab eâ S. Gerardi reformatione, quot, & quanta huic Monaſterio bona contigerint; quot item Pontificum, Imperatorum, & Principum priuilegia acceſſerint, dici vix poteſt: Quædam interim hîc perſtringenda duxi. Inprimis Vrbanus II. bona huius Eccleſiæ confirmauit an. 1095. Eadem in ſuam protectionem ſuſceperunt Gelaſius II. an. 1118. eiuſque ſucceſſor Calixtus II. Lucius III. an. 1183. eiuſdemque ſucceſſor Vrbanus III. an. 1188. & plures alij, quorum Bullas alibi cum multis alijs dabo in *Notitiâ Eccleſiarum Hanroniæ*. Calixtus III. Pontificalis annuli & mitræ vſum indulſit. Innocentius VIII. Bursfeldenſis obſeruantiæ normam induci cauit: Sed & nouiſſimè Vrbanus VIII. reformationem à Domno Auguſtino Abbate inductam comprobauit.

Iam verò quid de Imperatoribus dicam? & ipſi quoque huic Monaſterio benefici fuerunt. Otho I. eiuſdem prædia à Dagoberto Rege, & ſanctâ Aldegunde donata confirmauit an. 965. per hoc diploma: *Pro remuneratione perpetuâ* &c. Medio pôſt ſæculo S. Henricus Imperator eadem more Anteceſſorum an. 1018. hoc diplomate communijt: *Vbicumque locorum Eccleſias* &c. Hoc ipſum præſtiterunt Conradus II.

an.

an.1034. Conradus III. an. 1145. Henricus VI. an. 1191. Guilielmus Romanorum Rex an. 1250. Richardus Romanorum itidem Rex an. 1271. Rudolphus Imperator an. 1274. & quidam alij, pro vt legere eſt in Manuſcripto priuilegiorum huius loci, ex quo ſua deſumpſit *Mireus in ſuis Donationum Belgicarum libris.* Denique prætactis Imperatorum beneficijs velut notatu dignum addi poteſt, quòd dictus Rudolphus Rogerum huius loci Abbatem declaret *Imperij ſacri Principem*, ſicut conſtat ex ipſius literis eo tenore incipientibus: *Romani Imperij celſitudo &c.*

Quòd iam ſupereſt, Abbates pro mantiſsâ ſubijcio, non tamen omnes, eò quòd ſingulos cum alijs huius, & aliorum Ordinum, produxerim in *Theatro Abbatiarum Hannoniæ*, eoſque inde deſumptos nouellus Hannoniæ Scriptor in ſuis vernaculis Annalibus, muto Authore, reproducat:

Sic vos non vobis mellificatis apes:
Sic ſibi non proprium parturit Author opus.

Interim verò celebriores hîc repetere iuuat, & ſingulorum ſeriem à mitrâ (quâ nulla apud Hannones antiquior) ſubnectere. Simonem S. Gerardo ſuffectum ob Reliquias corporis S. Sulpitij de longinquo huc aduectas. Heribrandum ob corporis

poris S. Giſleni delationem ad Conradum Imperatorem, & impetratum ab eo diploma pro exemptione Monaſterij ab omni laiçorũ poteſtate. Duos Oduinos ob vitæ ſanctitatem. Lambertum ob Eccleſiæ, vt modò eſt, reparationem. Rogerum ob ſacri Imperij Principis titulum à Rudolpho Cæſare obtentũ. Ioannem de Layens ob doctoralem S. Theologiæ lauream.

Notanter verò D. Theodoricũ de Chaſteau ob mitræ & cæterorum Pontificaliũ impetrationem à Calixto III. cuius Bulla an. 1456. data ſic orditur: *Calliſtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Theodorico de Caſtello, &c.* D. Ioannem Blarye ob ſapientiæ, ætatis, & gratiæ reuerentiam. D. Ioannem Fabri ob conſilij præſtantiã. D. Quintinum Benoiſt ob Bursfeldenſis inſtituti receptionem, eximiumq́ue in hac domo amplificandâ ſtudium. Reuerendiſſimos Dominos DD. Carolum & Matthæũ ſuccedaneos, ob adepti Epiſcopatus honorem. D. Hieronymum Lietart ob eruditionem & ſanctitatem. D. Ioannem Hazart ob profuſam in pauperes liberalitatẽ. D. Amandum Danuaing ob plurium Reliquiarum conquiſitionem & decorationẽ. D. Iaſpardum Bouſſu ob magnificentiſſimæ thecæ D. Giſleni fabricam. D. Petrũ Trigault

Trigault ob profundę humilitatis meritũ. D. Sulpitium de Blois ob ſingularem in in morbo patientiam. Et D. Auguſtinum Crulay ob vitæ integritatem,&ſuſceptionẽ Caſſinenſis reformationis;quam& hodie feliciter retinet, promouetque Reuerendus Adm. Dom. *Hieronymus Marlier* Montenſis, ordine LIII. Abbas,anno ætatis ſuæ 36.à Rege denominâtus in Martio anni 1649. & ſubſequente Aprili in feſto S.Marci,ſolemniſſimo apparatu,apud ſuos benedictus à Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Tornacenſi. Felicibus eius auſpicijs ſancta& proſpera quæque exopto,vt dictante ſymbolo,quo dicit: *Æternitati laboro*,poſt temporales curas, & honoraria nouiſſimæ deputationis Statuũ Hannoniæ munia,æternâ gloriâ deinceps muneretur.

Pro coronide huius diſtinctionis præcitatam ex parte Bullam mitrę huius Monaſterij recitare hîc visũ,quia cæteris omnibus antiquior ſit, adeoque notatu dignior cum Haſnonienſi , quæ biennio dumtaxat poſterior:Quã & omnium propiùs ſequitur Camberonenſis an. 1512. data , ſuo loco etiam à nobis deducenda.

Sed hîc ad primam totius Hannoniæ

Callistus

Calliſtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Theodorico de Caſtello, Abbati Monaſterij ſancti Giſleni, Ordinis S. Benedicti, Cameracenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Expoſcit deuotionis tuæ ſinceritas, & religionis promeretur honeſtas, vt tam te (quem ſpeciali deuotione proſequimur) quàm Monaſterium tuum dignis honoribus attollamus. Hinc eſt, quòd nos tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt tu, & qui tibi in Monaſterio, (cui præeſſe dignoſceris) ſuccedent Abbates, mitrâ, annulo, & alijs Pontificalibus inſignijs liberè vti poſsitis; quodq; in dicto Monaſterio, ac illi ſubiectis Prioratibus, Parochialibus, & alijs Eccleſijs ad ipſum Monaſterium pertinentibus (quamuis ad illud pleno iure non pertineant) benedictionem ſolemnem, poſt Miſſarum, Veſperorum, & Matutinorum ſolemnia, populis in eiſdem Monaſterio, Prioratibus, & Eccleſijs, conuenientibus ad diuina (dummodò aliquis Antiſtes, vel Sedis Apoſtolicæ Legatus tunc præſens non fuerit) elargiri valeatis (fœlicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Abbates, & alijs quibuſcumque conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium editis, nequaquam obſtantibus) authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſsionis infringe-

re, vel

Digitized by Google

re, vel ei auſu temerario contraire. Si quis hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, pridie Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

DISTINCTIO II.

Alti-montium S. Petri.

HAſnonium ſequi deberet titulo præcedentiæ in Statibus, ſed quoad temporis ordinem, quem vbique ſequor (vtinam citra Partium indignationem!) Altimontio cedit, cuius initia ſic breuiter ſcribit *Vrſio in Hiſtoriâ S. Marcelli.* *Anno 646.*

Eſt locus (inquit) *ſuper fluuium Sambram nuncupatum, ſitus à parte, non à toto, (neque enim adeò eminens eſt) Altus-Mons dictus; quem illuſtrat Cœnobium famoſæ antiquitatis & (vt conijci datur ex veſtigijs Anteceſſorum) antiquæ nobilitatis. Siquidem metatâ ab Angelo eiuſdem templi menſurâ, Vincentius Madelgarius potenter laborauit in eius ſtructurâ; qui in eodem loco poſtea eſt profeſſus Mona-*

chum abiectâ ſæculari militiâ, cum quo etiam Dagobertus Rex locum excoluit, rebus & reditibus ditauit, Reliquijs quoque Sanctorum decenter munerauit; ad quibus ſeruiendum, ter centum ferè Monachos conſtituit. Inter quas S. Vincentij interceſſu, & Martini Papæ conceſſu, & Dagoberti Regis conductu, ab octauo vrbis Romæ miliario remotus S. Marcellus Papa & Martyr, ad prædictum locum cum honoris gratiâ eſt tranſlatus.

Hactenus *Vrſio*, ex quo conijcitur miraculoſa fuiſſe loci initia; ſiquidem (vt clariùs exponit *Baldericus Chron. ſui lib. 2. Cap 35.*) dictus Madelgarius eruditione & crebris miraculis B. Autberti informatus, & notanter in Cellæ diui Giſleni dedicatione ſub an. 643. factâ, cõpunctus, ſeſe deinceps obſequio Dei mancipare propoſuit. *Igitur, cùm de loco ſuæ conuerſationis expetendo ſollicitus curã gereret, non defuit diuina pietas ſancti viri deſiderium cõpletura: nam quadã nocte pluit Dñs niuem, & omnẽ regionẽ circùm & circa niueo rore reſperſit, excepto paululo loci, quod in modum Crucis reſpergendũ reſeruauit. Quod vir Dei ſuo deſiderio cœlitùs contigiſſe altiore conſilio intellexit, diuinoq; indicio certior factus, mox eodem in loco Monaſterium ex proprio ſumptu fundauit, &c.*

Vtrique textui præallegato conſonant variæ

Digitized by Google

variæ picturę & inſcriptiones in ſummitate templi vtrimq; expoſitæ ab an. 1614. præferuntque vlteriùs cōpleto ſacro ædificio, idipſum fuiſſe dedicatū à D. Autberto in memoriam Principis Apoſtolorū an. 646. vt habet *nouellus Hannoniæ Chronographus*: Et quò Diuorū tutelæ cōmitterentur noui coloni rebus & reditibus abundanter ditati, donatos fuiſſe corpore S. Marcelli à Martino Papa; dictumque Madelgarium, relicto tandē ſæculo, piæ coniugis aſſenſu, huc ſe contuliſſe ſub Diui Benedicti inſtitutis deinceps victurum, ſuiſque I. Abbatem præfuturum: Tādem verò popularis hîc frequentiæ pertæſum, *Sonegias*, velut ad ſecretionem locum, ſeceſſiſſe, & ibi ſediſſe ad mortem: Quâ demùm adueniente, primitiuæ familiæ haud immemor, & hanc & iſtam Beato Landrico cōmendauit. Sancto Patre ad meliora euocato ſub an. 660. eius hîc vices geſſit prætactus filius, eique poſtmodùm ſucceſſit Halidulphus, qui, inter alia geſta, S. Ansberti corpus apud ſuos defuncti in Galliam retulit an. 695.

Iamverò quinam, & num à dicto Halidulpho vſque ad tempora S. Gerardi fuerint Abbates, nobis incertum; Interim verò probabile eſt eundem ſanctū Bronij Abbatem, huius quoque Cœnobij (pro vt

multo-

multorum aliorum Belgicorum) curam ſuſcepiſſe an. 930. eique poſtmodò ſucceſſiſſe Ratherium. Certiùs autem Gerardum 1. Cameracenſem Epiſcopum, poſt Hungarorum vaſtationem, hunc locum Richardo Abbati Virdunico commēdâſſe, vt latè proſequitur noſter *Baldericus Lib.* 3. *Cap.* 6. *per totum.*

Sed antequàm eâ de re dicamus, duo notatu digna breuiter adferre viſum: Primò quidem Leonis Papæ III. in hunc locum aduentum; deinde verò ſubſecutam Monachorum perſecutionem, & fugam.

Quòd ad primum attinet, dictus Pontifex, peractâ Aquenſis Eccleſiæ dedicatione (euenit hæc an. 804. vt notat *Colueneriuſ in ſuo Kalendario Mariano ad* 7. *Ianu.* minimè autem an. 766.) plures Eccleſias in ſuo reditu viſitans, auditâ honeſtâ conuerſatione Monachorum Altimōtenſium, ad eos declinauit, factaque ibidem morâ, eaſdem Indulgentias, quas 366. annorum Aquiſgrani contulerat, huic Eccleſiæ per eum quoque conſecratæ donauit, teſte breuiculo ad Nauis columnam ſuſpenſo.

Sed ab eâ Leonis dignatione, quantùm heu minoratus fuit Mons iſte per Hungarorum vaſtationem! Contigit hæc, vt in templi fornice ſcriptum legimus, circa

an. 900.

an. 900. â fundatione verò Monaſterij 240. Eâ verò ſæuiente, redicata à dicto Pontifice Eccleſia conſedit in cineres, eiusque miniſtri partim trucidati, partim in fugam ſe dare coacti ſunt.

Verumenimverò, vt admirabili varietate triſtia lætis, triſtibusque læta permiſceri ſolent, tandem euolutis ab eâ vaſtatione centum ferè annis, & reſpirante à bellis Patriâ, Gerardus I. Cameracenſis Epiſcopus hunc locum dicto Abbati Richardo commiſit; pulſis inde ab eo Canonicis, reductisque S. Benedicti Monachis an. 1014. quâ de re *Baldericus Lib. & Cap. præcitatis*, vbi & inter alia ſubdit, quòd dictus Richardus, aliorum Cœnobiorum curis & negotiationi intentus, Fulcuinum Abbatem ſibi ſubſtituerit: Ipſe autem *multo labore monaſterium, quod deſertum inuenerat, Domno Epiſcopo adiuuante, tam clauſtro & cæteris ædificijs, quàm regulari fratrum ſeruitute muniuit*; eidem poſtmodò ſubſtitutis S. Poppone, Euerhelmo, & Vrſione, ſub quo, & à quo S. Marcellus PP. & M. fuit inuentus an. 1054. pro vt ſubiectis verbis legitur in eiuſdem Diui ſacello à dextris Chori.

Poſt Nordmannorum, & Hungarorum diram tempeſtatem, quæ per centum ferè annos

*vario vaſtationis genere depopulata eſt has regiones, circa annum 1054. tempore bellorum inter Henricum Imperatorem; & Balduinū Comitē, ſacræ Reliquiæ S. Marcelli P. & M. quas Monachi hinc profligati (ne in manus barbarorum deuenirent) in terrâ defoderant, in hoc ſacello diuinitùs ſunt inuentæ eò loci, vbi iacet ſaxum * cum inſcriptione Vrſio Abbas, quæ à B. Lietberto Cameracenſi Epiſcopo in nouam capsā, ſtudio Abbatis Vrſionis fabricatam, ſunt reconditæ.* Qui plura deſuper huius S. Martyris Paſſione, Inuentione, Itineratione, & Miraculis in eâ factis deſiderat, dicti Vrſionis Hiſtoriam perlegat: Ea penes me integra extat, cuius Præfatio ſic incipit: *Domino ſuo Lietberto verè Epiſcopaliter Epiſcopo ſalutem*, &c.

* *Viſitur ad aræ ſuppedaneū.*

Ad alia quòd iam pertinet, hoc ipſum Cœnobium multi Pontifices Romani beneuolè complexi ſunt, notanter Bonifacius VIII. cuius Bullæ initium hoc eſt: *Solet annuere ſedes Apoſtolica pijs votis.* Sunt & alij multi, quorum catenam ſi hîc fecero, plus iuſtò longus ſim; eos interim ſecundis curis aſſeruo, pro vt aliquot Epiſcopos Cameracenſes, qui diuerſa altaria huic loco donârunt.

Ad finem vt veniam, celebriores aliquot à dicto Vrſione Abbates ſubnecto.

Inpri-

Digitized by Google

Inprimis Widricum ſucceſſorem, Hieroſolymitanâ peregrinatione celebrem: Clarembaldum X. Aquicincto traducem, aliquot Pontificum literis dignatum: Radulphum XII. S. Thomæ Cantuarienſis Reliquiarum portione donatũ; Nicolaum de Waſme XXVII. hodierni cãpanilis erectione notum. D. Engeranum Signart XXXI. Antiſidiorenſem Epiſcopum: D. Guilielmum Bouillet S. Theol. Doctorẽ: D. Ioannem Briſelot reconditæ doctrinæ virum, ex Carmelita, & S. T. Doctore Epiſcopum Berytenſem, & Archiep. Arborenſem: Illuſtriſſimum D. Guilielmum de Croy Archiep. Toletanum, & Hiſpaniæ Primatem: Reuerendiſſimũ D. Carolum de Croy Epiſc. Tornacenſem: D. Nicaſium le Clercq, & hîc, & Hãſnonij Præſulẽ: D. Leodegarium Pronier moderni clauſtri renouatorẽ; & D. Nicolaum Fournier Iubilarium, à curâ ſpontè exemptũ an. 1588. ſucceſſore Dõno Iaſpardo Hano, poſt multas Cœnobij reparationes an. 1625. defuncto, ſuæque dignitatis conſortem relinquente R. D. *Petrum le Ieune* Malbodienſem, ordinem XLV. Cameraci benedictum an. prætacto 1625. 17. Aug.

Hic, pro ſuo in D. Marcellum adfectu, eius reliquijs perinſignem argenteam

thecam donauit an. 1634. Inſuper ſibi, ac ſucceſſoribus in perpetuùm mitram obtinuit fauore Vrbani VIII. qui Bullam Romæ expedijt de datâ anni 1640. penes me integrè extantem, & alibi cum cæteris huius argumenti literis edendam ſub huius tenore principij: *Decet Romanum Pontificem* &c. ſubſequente anno, ipſo die S. Michaëlis, eius capiti Montibus impoſitam. Det Deus ipſi iuxta hoc eius ſymbolum: *Sicut aquila*, benedictionem illam, quam Aſer moriturus dabat, *vt ſit ſicut dies iuuentutis eius, ita & ſenectus eius.*

Deut. 34.

DISTINCTIO III.

Criſpinium S. Petri.

Anno 647. *aut* 650.

INter Authores controuertitur de tempore fundationis huius Monaſterij. *Maſſeus* an. 647. deſignat; Alij verò 650. *Noſter autem Annaliſta* 651. Alij denique 652. in quibus eſt D. *Franciſcus Ber*, qui in ſuâ Lobienſi Cœnobiarchiâ aſſerit idipſum *Lobij* Cœnobium fundatum fuiſſe an. 636. à S. Landelino, inde poſt ſedecim annos ſeceſſum huc faciente.

Quidquid de anno fuerit, ab his, & alijs pariformiter tenetur dictum S. Landeli-

num

Digitized by Google

num huic loco initium dediſſe, & quartum à Lobio Monaſterium conſtruxiſſe ſuper flumen Hon, quâ de re ſic breuiter Baldericus Lib. 2. Cap. 41. *In vico Criſpinio eſt Monaſterium Canonicorum, vbi ſanctus vir Dei Landelinus, relicto Laubienſi Cœnobio, ſeceſſit, vitæq; nitidioris perfectione exactâ, migrauit ad Chriſtum, &c.*

Huic autem loco ad ſyluas *Ambliages* ſito, nomen indidit à criſpantibus vndis miraculoſis; cùm enim ad vſus ſuorum fratrum fons deeſſet, præuio orationis ſubſidio, *ſolo ictu baculi terræ ſuperficiem interrupit, &, re dignâ miraculo,* (notate Philippi ab Eleëmoſynâ biographi ſtylum) *viuus ſubitò fons erupit: cuius aquas perſpicuas vir ſanctus conſiderans ab imo abundantiùs ebullire, criſpantem ſuperficiem vndis tremulis ſcaturire, ipſumq; riuuli lapſum grato ſuſurro murmurare, alludens ſpeciei, quam criſpam & tremulam hilaris adnotauit, ipſum, in quo reſederat, locum, ſtatim Criſpinium nominauit, &c.* Conſtruxit autem in eo Deiparæ honori Eccleſiam dicto fonti adſitam, quæ tamen hodie non extat ampliùs, licèt ipſe fons etiamnum videatur inter prata, muris circumſeptus in centum & ampliùs pedum rotunditate, ex eo tempore vſque nunc contra febres ſalutaris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Sed dum hîc nimio populi concurſu D. Landelinus fatigatur, paulò remotiùs à dicto fonte versùs *Honiam* tranſmigrat, vbi & alteram SS. Petro & Paulo Baſilicam erigit, electâ poſtmodùm ſibi ibidem ſepulturâ.

Porrò ab eius obitu (qui euenifſe ſcribitur an. 685.) non inueniuntur, qui ei in dignitate ſucceſſerint. Legitur autem apud *Richardum VVaſſeburg* circa an. Domini 870. totum id Cœnobium à Nordmannis euerſum fuiſſe; quâ de causâ nihil in ſcriptis reperire ſit de eiuſdem S. Landelini ſucceſſoribus ante dictam vaſtationē.

Eâ autem tantiſper ſopitâ, conſtat occupatum fuiſſe à Clericis; vnde & à dicto *Balderico* vocatur *Monaſterium Canonicorum*; cuius adminiſtratio pro tempore commiſſa fuerit Stephano Elſatio Cameracenſi Epiſcopo à Carolo Francorum Rege per hoc ipſius præceptum: *Chriſtianæ conuerſationis religio bipertito videtur regimine ſubſiſtere*, ſubſequentia vide apud noſtrum *Baldericum Lib. 1. Cap. 67.*

Verùm quo præcisè anno, & à quo dicti Canonici introducti fuerint, incertum; certum interim à dictâ vaſtatione locum occupâſſe, & prædijs donatos fuiſſe in villâ *de Onnain* ab Henrico Romanorū Rege,

gẽ, pro vt legere eſt in eius literis an. 931. datis. Certum vlteriùs eoſdem ſeculares fuiſſe; & de tali eorum habitu teſtimoniū nobis perhibent picturæ ſacelli eiuſdem diui Landelini, in ſummitate murorum circūpoſitæ; vbi & notabile miraculum accidiſſe legitur, dum ab ipſis *Boſſutum* illata ſunt eiuſdem ſancti Confeſſoris lipſana, intuitu cuiuſdam donationis factæ à Giſlâ, & Berthâ germanis ſororibus.

Conſtat inſuper eos hîc conſediſſe ad an. 1080. quo, diuinâ ſic ordinante gratiâ, Gerardus II. Epiſcopus Cameracenſis, adiutantibus Balduino Comite, & Richilde eius matre; eoſdem inde extruſit, inſtitutis, aut ſaltem ſubſtitutis diui Benedicti Monachis, quibus Rainerum Abbatem Haſnonio euocatum prefecerit, tum Romanâ peregrinatione, tum S. Aiberti contubernio apprimè notum.

Ad cæteros huius loci Præſules vt veniam, dicto Rainero ſucceſſit Lambertus Haſnonij itidem Monachus, quem excepit Hugo Conuentualis, ſiue gremialis huius loci; iſtum verò Walterus; hunc autem XXX. alij ad annum vſque 1537. quo Antonius de Ligne, præter ordinarium morem, anno ætatis ſuæ ſeptimo in Coadiutorem ſui præceſ-

deceſſoris aſſumptus, anno tandem competente benedictus, poſt decem annos dignitatem reſignauit Reuerendiſſimo Domino D. Martino Cupero Epiſcopo Chalcedonenſi: Iſte verò per iconomachiam an. 1566. Præſulatu extruſus, ac Foreſti prope Bruxellam an. 1572. mortuus, ſucceſſorem habuit D. Ioannem Manilium Condatenſem, Pontificalibus inſignijs à Clemente VIII. donatum an. 1596. pro vt conſtat ex dicti Pontificis reſcripto, cuius hîc initium prætereo, defectu adminiſtrationis aliquoties à nobis petitæ.

Cæterùm non diu Manilius mitrâ vſus eſt, obijt enim anno prætacto 1596. relicto poſt ſe D. Petro Aimerich S. Theol. Doctore Hiſpano; eo autem Bruxellas ad Aulam ſeſe recipiente, ſucceſsêre per vices D. Claudius Louuel Atrebas, D. Iacobus Ghelneur Athenſis, & D. *Matthias Mouſnier* Montenſis; qui & modò præſidet ordine XLI. an. 1639. ipſo die S. Alexij apud nos benedictus, ex quo tempore id ſymboli præfert: *Pietate, & fortitudine.*

DISTIN-

DISTINCTIO IV.

Maricola B. Mariæ.

HVius Monaſterij primo à Landreſio lapide ad *Helpram* conſtituti, prima fundamenta poſuit, quidam vir illuſtris Choneberius nomine, Comes pagi Fano-Martēſis an. circiter 651. Poſtea verò ſuperædificauit S. Humbertus, factâ in huius loci fauorem donatione, pro vt ipſemet vir ſanctus adſtruit in ſuis literis *Cameracenſi Chronico intextis Lib.* 1. *Cap.* 27. indeque in *Mirei Codicem Cap.* 5. emendatiùs illatis iuxta autographum, quod Maricolenſes adſeruant. *Anno* 651.

In eo autem diſertis verbis ita legitur: *Anno duodecimo regni Domni noſtri Childerici* (hoc eſt anno Chriſti 667.) *ego in Dei nomine Huntbertus, etſi indignus peccator, cogitans de Dei timore, vel æterni boni retributione, ſeu abluendis peccatis meis, dono ad ſacro-ſanctum Maricolæ Monaſterium, quod vir illuſtris Chonebertus quondam ſuo opere conſtruxit, vbi ego ipſe indignus peccator Abbas præeſſe videor &c.*

Ex eo textu euidenter colligitur, quòd prima-

primarius huius loci fundator cenſeri debeat prætactus Chonebertus, ſecundarius verò diuus noſter Humbertus, S. Amandi ſocius in Romanâ peregrinatione, poſt quam huic Monaſterio datus ſit primus Abbas ſub an. 651. Cuique ipſe an. demum 667. dotem è ſuo adiecerit, pro vt explicat *Mireus in ſuis Belgij Annalibus* anno proximè iam citato.

De hac ipsâ S. Humberti dote loquitur Baldericus Lib. 2. Cap. 32. *Sanctus vir Dei Huntbertus, ſanctitate conſpicuus, & non modicè prædiatus, ex patriâ Landunenſi decedens in villam Mareclias, locum ſuæ ſanctæ conuerſationis elegit, ibiq; de rebus proprijs & prædijs Monaſterium in veneratione ſanctæ Dei Genitricis, ac SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Apoſtolicâ authoritate conſtruxit*, &c.

Obijt autem S. Humbertus an. 672. à cuius morte hoc ipſum Monaſterium ſucceſſiuè rexerunt quatuor eius parentes Aſculphus, Grimoldus, Aſpertus, & Iuſtinus ad an. vſque 760. Ipſis autem eo tempore mortuis, honeſtæ vitæ Clerici regimen exceperunt, & prudenter tenuerunt ad annũ 800. quo Rhodinus quidam dictum regimen à Carolo Magno obtinuit.

Ipſo autem Rhodino fratribus præſidente, Ludouicus Pius Imperator villam de

de Saſſegnies dicto Monaſterio contulit, vt patet ex eius diplomate Aquiſgrani dato Kalendis Maij an. 821. quod ſic incipit: *Rege Regum ac Domino dominantium diſponente, &c.*

Nec diu pòſt idem Rhodinus, anno duodecimo regni eiuſdem Ludouici Pij (qui erat à Chriſti Natiuitate 825.) prænio Angeli monitu, dicti S. Humberti corpus è ſepulchro tranſtulit, in quo centum & quinquaginta tribus annis latuerat, abſq; vllâ linteaminum, & florum putredine.

Cæterùm Rhodinus iſte præfuiſſe ſcribitur ad an. 830. & paulò poſt eius tempora, irruentibus in has partes barbaris, Maricola locus deſolationis facta eſt, eiuſque poſſeſſiones in manus ſæcularium pedetētim venerunt, à quibus tamen poſtmodùm extractæ. *Hanc ſiquidem Abbatiam primus Otto Imperator, tempore Fulberti Epiſcopi, habendam tradidit ſanctæ Dei Matris Eccleſiæ Cameracenſium*, vt refert Baldericus Lib. 2. Cap. 32. Qui & Lib. 1. Cap. 67. ſcribit eandem Abbatiam à Carolo Simplice priùs donatam fuiſſe anno 892. dictæ Cameracenſi Eccleſiæ; non quidem abſolutè, ſed cum ſæculari ſubiectione, pro vt conſtat ex dicti Regis præcepto, quod ſic incipit:

Chriſtia-

Digitized by Google

Chriſtianæ conuerſationis religio bipertito videtur regimine ſubſiſtere, &c.

Igitur ex præmiſſis patet, quòd Maricola Othonis I. fauore, à ſecularium Principum iugo liberata fuerit; quodque Fulberto, cæteriſque Epiſcopis Cameracenſibus ſecuturis tradita fuerit; ſub quorum primo regimine, magnis beneficijs à dicto Rege Carolo adaucta fuit, pro vt videre eſt in duobus eiuſdem diplomatis * anno 921. datis.

** Videantur in Mirei Codice Cap. 28. & 29.*

Sed his non obſtantibus, non deſijt eſſe in miſero ſtatu Maricola, tum quia Epiſcopi Cameracẽſes, pluribus alijs curis intẽti, per raram viſitationẽ minùs hîc aduigilarẽt, tum quia Clerici ab illis collocati, terrenis potiùs, quàm diuinis inhiarent.

Tandem verò Gerardus eo nomine I. Cameracenſis Epiſc. & huius loci Adminiſtratorum inter ſuos decimus, viſâ Clericorum irregulariter hîc viuentium nequitiâ, euidenti ruinæ proſpexit; ipſis nimirum à loco expulſis, ibique ſubſtituto Monachorum ordine, pro vt fuſiùs legitur apud *Mireum ex Legendâ S. Humberti*. Quâ de re etiam loquitur Conradus Imperator ſubiectis verbis, in quodam diplomate * fundationem Cœnobij S. Andreæ confirmante

**Eſt in Mirei Codice Cap. 47.*

Digitized by Google

mante: *Abbatiam quoque S. Humberti in Maricolis, quam idem Epiſcopus Gerardus, expulſis inde inreligioſis Canonicis, in priorem Monachorum ordinem reformauit, præcipimus dein inlibatam perſeueratum iri.*

Cæterùm prætacta Monachorum ſubrogatio contigit an. 1020. Quo tempore, aut ſaltem non diu pòſt, S. Humberti corpus in Flandriam delatum fuit ad Balduinum Comitem pro recuperandâ villâ, quam, ſancti corporis reuerentiâ tactus, reſtituit.

Quis autem ab hac Cœnobitarum reductione primus Abbas extiterit, nuſquam reperitur, & primorũ ſeries ſatis incerta eſt. Sanè vnum è primis fuiſſe diſco *Albertum*, quia diplomati Lietberti Epiſcopi Cameracenſis, in fauorẽ Einhamenſis monaſterij dato, ſubſcripſerit an. 1064. qui fuit dũtaxat 44. à dictâ Monachorum reductione. Paſchaſius præeſſe cœpit an. 1132. Ei autem ſucceſſit Radulphus, orationis efficaciâ notiſſimus, ſub quo facta eſt S. Humberti trãſlatio ad eius fontem, per Nicolaum I. Epiſc. Cameracenſem, mihi incerto, vt fatear, anno. Abraham cum multis alijs teſtibus ſubſcripſit fundationi cuiuſdam Regiæ Capellaniæ Montenſis an. 1145. Walterus brachium S. Hum-

Humberti (quod hodieque argenteo phy-
lacterio incluſum eſt) perornauit anno 1231. pro vt cõnſtat ex Latinâ ſuperſcriptione.

Celebriores ab eo fuerunt Ioannes de Maricolâ, Marbei pagi aliàs incautè venditi reuindicator. Ioannes Goſſelet, Eccleſiæ, totiuſque Monaſterij (pro vt modò cernitur) reſtaurator, nec non villarum Parcæ & Renaldifoliæ cum Salechij molendino recuperator. Et D. Fredericus Dyue Pontificalis infulæ conſequutor an. 1585. de indultu Sixti V. cuius hîc Bullæ initium ſupprimo, quia non ſit hactenus mihi data, licèt eo fine bis, terue ſcripſerim.

Noſtrâ, Patrumque memoriâ ſequuti fuêre D. Alexander de Briſſy, D. Nicolaus de la Croix Valencenas, D. Simon Boſquier Montenſis, D. Humbertus de Briaſtre Quercetenſis, D. Philippus de le Samme Aueſnenſis, & D. *Alexander de Briſſy* modernus Abbas, Valencenenſis, Lobij benedictus an. 1646. ex quo tempore hoc ſcito vtitur: *Vnanimiter.*

DISTIN-

DISTINCTIO V.

Haſnonium S. Petri.

SOlo poſterioris æui titulo, hîc demum ponitur Haſnonium, minimè verò dignitatis & præferentiæ in Statibus; eſt enim ſecundaria totius Prouinciæ Abbatia, & ad-inſtar Giſlenianæ *fuit regalis olim, & ditiſſima* teſte *Balderico*; ſed & antiquitate cum eâ propiùs certat in accepto mitræ priuilegio. *Anno* 670.

Eſt autem id Monaſterium tertio à Valencenis lapide ſitum in Auſtrouandiâ ad Scarpum; eique initium dedêre Ioannes Haſnonij Dominus, & Eulalia eiuſdem ſoror anno 670. Tunc enim inſtitutâ duplici vtriuſque ſexus congregatione, hic Monachos rexit, ſed Moniales illa, ſeparatim, & diuerſis in clauſtris agentes.

Quod ne cui mirum videatur, moneo breuiter ſic olim vixiſſe vtriuſque ſexus Cœnobitas *Marcenis, Hunccurti, Henniaci, Blangiaci, Cantiprati, Dononij*, & alibi in Belgio.

Immo

Immo verò Brigittanos, ex Ordinis ſui inſtituto, Brigittinis ſuis etiamnum cohabitare, muris tamen & clauſtris à ſe inuicem diuiſos.

Sed ab eâ digreſſiunculâ redeo ad primam huius loci fundationem, de quâ (præter varios Belgij Authores vniformiter quoad annum ſcribentes) ſic legitur in ſacello B. Mariæ retro Chorum in ipſius muri ſublimitate.

Anno à partu Virginis 670. Theodorici Francorum Regis quarto, à Ioanne Domino Haſnonienſi, & Eulaliâ eius ſorore, Autbaldi Auſtrouandiæ Comitis, & Grimoaræ Comitiſſæ liberis, conſtructum eſt geminum hoc Cænobium Monachorum, & Monialium; templumq; eius in honorem Dei, & ſancti Petri Apoſtoli pridie Calendis Maij conſecrauit ſanctus Vinditianus Cameracenſis Epiſcopus. Dederunt Cænobitis Haſnonium cum omnibus appenditijs. Huiuſque 1. inſcriptio.

Prætactæ inſcriptioni primos Abbates, & Abbatiſſas de induſtriâ ſubijcio, quia hi, & ipſæ nuſquam exprimantur. Primus igitur Abbas fuit dictus Ioannes, & 17. annis præfuit; obijt autem vltimo Aprilis 687. Mortuo per vices ſucceſsêre Aldo, Sauericus, Geroldus, Gotfridus, Waltearius, Amadeus, & Audulphus; qui,

tempo-

*tempore perſecutionis Nordmannorum, cladibus, mœroreq́; affectus obijt an.*880. teſte ad eius effigiem ſcripto.

Quòd iam pertinet ad ſequioris ſexus Antiſtites, nouem dinumeraui, quarum nomina, ſingularum picturis ſubterpoſita, ibidem videre eſt; nimirum dictæ Eulaliæ, Bertrudis, Sigebodæ, Adaluuaræ, Gundradæ, Martinæ, Alpiadis, Algintrudis, & Ermentrudis.

Sed priuſquàm ad alia deſcendam, obiter hîc interſerendum duxi dictæ Ermentrudis, & matris eius cognominis elogium, ex ſecundâ, & tertiâ dicti ſacelli inſcriptionibus petitum. Prior ſic habet: *Anno Domini* 858. *præſidente Algitrude* 8. *Abbatiſſâ, Ermentrudis Regina, propria Caroli Calui Francorum Regis vxor, ſpretis mariti amplexibus, liberis, mundiq́; gloriâ, vnà cum Ermentrude filiâ, pietatis ergò, cœtui Monialium Haſnonienſium adhæſit.* Altera inſcriptio ſic habet: *Sereniſſima Ermentrudis Regina, anno à religionis ingreſſu ſecundo, vnà cum filiâ Ermentrude nonâ & vltimâ Haſnonienſium Abbatiſſâ ſtatum Monaſterij ſummâ prudentiâ & authoritate annis nouem adminiſtrauit; moritur anno* 864. *& in Dominarum Oratorio ſepelitur.*

Cæterùm dictarum matris, & filiæ in-

tuitu prædictus Carolus Caluus (quartæ inſcriptionis verba reddo) *Dei gratiâ Francorum Rex & Imperator, anno ſecundo imperij, ſalutis autem 878. in gratiam Ermentrudis propriæ vxoris, & filiæ ſuæ nonæ Abbatiſſæ, cum priuilegijs villas tres Cœnobitis contulit; videlicet in Auſtrouandiâ Azinium, & VVauercinium, & in Teruanâ Anciacum,* pro vt fidem faciunt eius literæ eo tenore incipientes: *Si ſeruorum Dei vtilitatibus conferimus, &c.* videantur in *Mirei Codice Cap.* 22.

Sed heu quantùm, tertio poſt iſtam donationem anno, minoratum fuit iſtud Cœnobium! Enimuerò (vt quintam inſcripnem recitemus) *Anno Chriſti 880. à Monaſterio condito 210. præfecturæ Ermentrudis nonæ, & vltimæ Abbatiſſæ ſecundo, à Nordmannis & Danis ferro, & igne deſtructum eſt. Tranquillitate poſtmodùm redditâ, quidam Monachi proprias ſedes repetentes, Canonici facti ſunt vſque ad reſtaurationem*; de quâ pauca ex multis deinceps adferam ex *Tomello* domeſticarum rerum tunc temporis Scriptore.

Narrat hic in ſuâ ad Rolandum Abbatem I. Hiſtoriâ, quæ incipit: *Dicturus fundationem Haſnonienſis loci,* Balduinum Balduini Inſulani Flandriæ Comitis filium, in ipſo iuuentutis flore tantâ infirmita-

te detentum fuiſſe, vt ei pater candelam obtenderet, horam mortis exſpectans; ſed reſumptis in momento viribus, patri ſuo edixit, ſe à morte liberandum, ſi ab eo Haſnonium, ædificandi in eo Monaſterij gratiâ, ſibi donaretur, nihil vtique de rei veritate dubitanti, quia hoc ipſi in viſione promiſiſſent SS. Marcellinus & Petrus. Quid multis? pater annuit, filiuſque ſanitati redditur.

Subuerſo igitur Haſnonij caſtro (quod tnnc erat ſpelunca latronum) & inde fugato tyranno nomine Witerico, monaſterium conſtituit, aut potiùs reſtituit in honore SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, atque SS. Marcellini & Petri martyrum: quorum Reliquias ad perpetuum loci huius patrocinium Gandauo attulit; quæ ſuperioribus annis argēteo deaurato ferretro incluſæ per R. Adm. D. Leodegarium Tiſon, ter adeptæ per hos Martyres ſanitatis gratiâ.

Dictæ reparationis ſolemnia ſat multis recenſet dictus *Tomellus*, & paucis poſt eum *Meierus*: *Anno* (inquit) 1070. *Collegium Canonicorum apud Haſnonium in Oſtrouandiâ, conuertit Balduinus in Benedictinum Monaſterium. Vetus reparauit templum, idq́; à tribus Epiſcopis curauit dedicatum, &c.* Sed neque

 his

his contentus, ex diuerſis Belgij Eccleſijs & Cœnobijs viginti quatuor corpora Sanctorum conuehi iuſſit: Et vt D. Benedicti regula deinceps hîc refloreret, ſanctæ recordationis Abbatem, nomine Rolandum, Amandiaco vocatum, nouis Cœnobitis præfecit, electâ haud diu pòſt ſibi, & conſorti ſuæ Richildi ſepulturâ, cum inſignis mauſolæi erectione, quod demum anno 1566. à Gheuſijs violatum, modò per partes dumtaxat ſub campanili viſitur.

Quæ autem fuerit huius Cœnobij recens inſtaurati fama, teſtetur vnica B. Mariæ Valencenenſis Præpoſitura, eaque, veriſſimo pietatis argumento, huic vni Abbatiæ præ alijs commiſſa, tempore Lotberti ſecundi Abbatis; de quo, & alijs eius ſucceſſoribus vſque ad Dominum Iacobũ Labours ordine XXXII. cùm nonnulla præmiſerim in *Theatro Abbatiarum Hanno-niæ*, dicere hîc ſuperſedeo, ſubiiciens eundem D. Iacobum, infulis primò vſum, abſtractiuè tamen à ſucceſſoribus. Quo demùm priuilegio, pro ſe, & ſibi ſubſtituendis in perpetuũ, vti cœpit an. 1458. *D. Laurentius Iuoire.* Pij II. Pontificis eâ de re Bullam, eiuſdem ferè tenoris, & breuitatis cũ Ghiſlenianâ, (ad maiorẽ ſecundarij huius

Hanno-

Hannoniæ monaſterij gloriam) ſubtexto.

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monaſterij S. Petri de Haſnon, Ordinis S. Benedicti, Atrebatenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Expoſcit deuotionis veſtræ ſinceritas, ac religionis promeretur honeſtas, vt tam vos (quos ſpeciali dilectione proſequimur) quàm Monaſterium veſtrum, quod, vt accepimus, inter cætera partium illarum Monaſteria notabile & inſigne exiſtit, congruis honoribus attollamus. Hinc eſt, quòd nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati concedimus, vt tu Abbas, & ſucceſſores tui Abbates dicti Monaſterij (qui pro tempore fuerint) mitrâ, annulo, & Pontificalibus alijs inſignijs vti; nec non quòd in dicto Monaſterio, & Prioratibus eidem Monaſterio ſubiectis, ac Parochialibus, & alijs Eccleſijs ad ipſum Monaſterium pertinentibus (quamuis ad illud pleno iure non pertineant) benedictionem ſolemnem, poſt Miſſarum, Veſperorum, & Matutinorum ſolemnia, populis, in eiſdem Monaſterio, Prioratibus, & Eccleſijs conuenientibus ad diuina (dummodò aliquis Antiſtes, vel Sedis Apoſtolicæ Legatus tunc præſens non fuerit) elargiri valeatis: felicis recordationis Alexãdri Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Abbates, *& alijs quibuſcumq; conſtitutionibus*

Apoſtolicis in contrarium editis, nequaquam obſtantibus, authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium indulgemus. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octauo, quarto Nonas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno primo.

Sed ab iſto Pontificis Breui in orbitam redeamus, & mitratos huius loci Præſules ſingulatim exponamus.

Primus igitur Abbas mitratus fuit prædictus *D. Laurentius ab Iuoriaco*, ordine XXXIV. Eidem per vices ſucceſsêre

D. Iacobus Bertroldi vnius dumtaxat anni Præſul.

D. Stephanus du Ploich, qui honorem reſignauit 1517.

D. Ioanni Thery; ei autem an. 1534. mortuo ſucceſſit

D. Maximilianus de Falais, eique poſt biennium

D. Nicaſius le Clercq, quem quadriennio poſt excepit

D. Iacobus de Lattre, Fidei ſacræ in hoc

tractu

tractu Inquiſitor; cui etiam poſt quadriennium ſuffecti fuêre

D. Michael du Queſnoy.

D. Iacobus Froye, venerabîlis Bloſij diſcipulus.

D. Petrus Blondeau, qui multa vitio temporum, & turbarum vaga, vaſtataque reſtituit.

D. Leodegarius Tiſon, qui noſtrâ memoriâ magnificis, & altis ædificijs domum ſuam decorauit.

D. Michael de Raiſmes, qui exiguo, quo præfuit, tempore, percelebre odeium Valencenis erexit in S. Mariâ Maiore.

D. Iacobus Iappin, cui an. 1639. mortuo ſubſtitutus fuit

Eximius D. Archangelus Michel Tornacenſis, S. Theol. Doctor, modernus Abbas, ordine XLVII. qui peraptè ad nomen hoc ſymbolo vtitur: *In voce Archangeli* & ſibi & ſuis vigilans, ex quo Cameraci benedictus fuit an. 1640. ipſo die S. Sholaſticæ. Det Deus ipſi longam & felicem vitam, quæ erit & proderit Cœnobij bono, & Statuum Hannoniæ progreſſibus, quorum hodie Deputati munia laudabiliter exequitur.

DISTIN-

DISTINCTIO VI.

Lætia S. Lamberti Ep. & M.

Anno 751. COenobio huic antiquâ ſanctitate, & ſuperioris ſæculi reformatione conſpicuo, nomen indidit *lætitiæ ſitus*, quaſi corruptâ nonnihil Gallorum voce *lieſſe icy* diceretur: Inter Eppiam & Aueſnas locum deſignat fluuius Helpra; notabilis Eccleſiæ & caſtri maieſtas ſplendorem adfert; ſyluarumque & colliculorum in ambitu proſpectus & copia decus attribuit.

Nongenti iam, & pene quinquaginta anni numerantur, ex quo Wibertus Comes de Pictauiâ (cùm eſſet Pipino Francorum Regi percharus) aulicæ vtique vitæ pertæſus (vt *Lætia Chronicon* teſtatur) ab eodem Rege hunc locum velut honorarium munus petijt, & obtinuit, tanquam hæreditarium immenſæ capacitatis Dominium *à Molhaimo vſque Senueſcum*; quem in locum, velut futuræ ab aulâ quietis, & ſalutis animæ ſuæ portum, cum vxore, & liberis ſeſe ſubduceret.

Igitur eò loci, bonâ Regis veniâ, *profectus, cùm die quadam in venatibus aprum agitaret*

gitaret, contigit, vt eum comprehenderet ſuper fluuium Helpram, in loco, qui Lætia diceba-tur: cumq́; luminibus latè circumductis loci ſitum & commoditatem peruidiſſet, credo non fortuito, ſed diuino inſtinctu eius animo incidit, vt locum illum, qui priùs fuerat ferarum, habitationem faceret hominum; ac Monaſterium in honorem Dei, ac ſancti Lamberti Tungrorum Epiſcopi, non ita pridem Martyrum coronâ donati, *conſtrueret*, pro vt latiùs exprimitur in *manuſcriptâ S. Hiltrudis Hiſtoriá.*

Hæc eſt illa Hiltrudis dicti W-iberti filia, *Lætienſium dotatrix, & Patrona*, quæ repudiatis magni Burgundiæ Principis nuptijs, è parentum domo intempeſtâ nocte ad ſyluas profugit, ibíque latibulum ſibi quæſiuit, meliùs iudicans cum feris vitam degere, quàm carnalibus illecebris corpus polluere. Vnde & ſorore ſuâ Berthâ dicto Principi in coniugem, vice ſui, à parentibus datâ, ſuam ipſa virginitatem Chriſto illibatam, à Theòdorico Cameracenſi Epiſcopo vèlata, conſecrauit.

Quia verò virginibus ſecurum latere didicerat, ſolitudinis amore habitationi ſuæ cellulam delegit, oratorio Monachorũ contiguã, cuius anguſtijs clauſa, latitudine paradiſi, velut altera Aſella (de quâ *S.*

Hierony-

Hieronymus ad Marcellam) fruebatur, & cœleſtem vitam in terris agebat, æternarum rerum deſideria in ſe accendens, ſancti nimirum fratris ſui Gontardi 1. dictorum Monachorum Abbatis, frequentibus ac feruentibus adhortationibus incitata; donec tandem poſt ſeptem & decem annos, vocante Sponſo introiuit cum eo ad nuptias, relicto nobis ad ſolamen ſacro corpore, quod in dextrâ parte altaris S. Lamberti condigno honore ſepultum fuit an. 769.

Cæterum eâ mortuâ (cùm ſanctiſſimi parentes hæreditariâ donatione omnem ſuam poſſeſſionem filiæ commiſiſſent, vt ipſa poſt mortẽ ex paterno teſtãmẽto Abbatiã Lætienſem vltimis tabulis hæredem ſcriberet) hoc ipſum teſtamentũ in eius ſepulchro condi & aſſeruari voluerunt. Ijs deinde vitâ perfunctis dictus Gontardus Abbas parentauit, eorumque corpora, iuxta vltimam ipſorum voluntatem, in porticu Eccleſiæ recondidit, tum humilitatis, tum auxiliarium precum titulo, vt verè ac piè conſignat R. P. *Leander de S. Martino Benedictinus reformatus S. T. Doctor, in vitâ venerabilis Bloſij Cap.* 3.

His ſanctitatis parentum, filiæ, & filij præeminentijs in Domino gloriatur Lætia,

tia, & paulatim in magnam perfectionem per ſuos, durante vno, & ampliùs, ſæculo, excreuit; donec tandem Hungaris Galliam vaſtantibus, religione, nummis, & ſuorum numero decreuit. Nam ſub an. 860. & ſubſequentes, Nordmanni, Dani, alijque barbari in has regiones quaquauerſùm effuſi, in hanc quoque Lætienſem Eccleſiam irruerunt, quam tamen incendere non valentes (D. Hiltrude, vt credi par eſt, obſtante) omnem eius ſupellectilem diripuêre, eiuſdem Monachis partim occiſis, partim abductis.

Demum verò ſedatâ tempeſtate, quidam Canonici ſub Herluino Cameracenſi Ep. (hic præunte Angelorum melodiâ, præuiaque ſignorum famâ, prætactæ S. Hiltrudis corpus eleuauit an. 1004.) hūc locum inuaſerunt, ſed nec humanâ, nec diuinâ ſorte ipſis deſignatum. Vnde & nimiâ temeritate prædictum S. Hiltrudis teſtamentum ex eius ſarcophago auferentes, & in Curiam, ad probanda Eccleſiæ ſuæ bona, deferentes, cuiuſdam Wederici factione (ſciebat hic per id bona à ſe occupata repeti) de manibus legentium auulſum, mox in ignem proiici viderunt: Et hinc ex tunc omnia pene iura, & poſſeſſiones Lætienſis Eccleſiæ diſperſæ ſunt.

Tempo-

Temporis autem progreſſu, Theodoricus dicti Widerici filius & hæres, Aueſnæque Dominus, vt patris crimen aliquatenùs expiaret, aliud Aueſnis conſtruere monaſterium cœpit; ſed illo haud diu pòſt intermiſſo, alteram Lætijs Eccleſiam, cæteraſque Religioni congruentes officinas inſtaurauit; ad quam, & ipſas, eiectis Clericis, priſtinæ vitę Monachi, poſtliminio redirent.

Igitur ipſis à loco excluſis ſubſtituti fuerunt Cœnobitæ an. 1081. ſub normâ & inſtituto diui Benedicti deinceps victuri, quibus in Rectorem pro tempore datus eſt Reinerus I. Abbas Criſpinienſis. Vt autē nouelli incolæ temporalibus nō deſtituerentur auxilijs, prætactus Lætiæ reſtaurator (mininè verò fundator, vt à quibuſdā malè nominatur) pręter varias poſſeſſiones à ſe redditas, etiam *villam de Feron* cùm teloneo, & altari Aueſnenſi ipſis donauit an. 1103. alia & alia de ſuis elargiturus, nî mors ſuperueniens, pia eius deſideria interrupiſſet.

Sed & poſtmodùm Gualterus Aueſnæ itidem Dn̄s, dictæ Eccleſiæ benefecit an. 1160. per duorum molendinorū *de Eſtruen* donationē, pro vt patet ex quodā Nicolai Cameracenſis Epiſc. reſcripto, quod extat

in Notitiâ Eccleſiarum Mirei Cap.159.&ſic incipit: *Notum ſit tam præſentibus, quàm futuris, quòd Dominus Gualterus de Aueſnis,* &c.

Alios, & alios benefactores prætereo, ne longior ſim, & ad ſingularia monumenta, quorumdam Abbatũ geſtis intexta, veniẽs, dico inprimis, poſt dicti Reineri ad ſuos Criſpinienſes regreſſum, huic Cœnobio I. Abbatem præfuiſſe Gunterum an. 1096. & cum ſanctitatis opinione mortuum fuiſſe an. 1107.

Reineri II. Abbatis ſanctitatem prædicat cuiuſdã cæci illuminatio, qui de ablutione manuum eius inter celebrandum oculos ſuos liniens, viſum cõfeſtim recepit.

Wedericus III. interfuit tranſlationi corporis S. Lamberti ſub Alberone Epiſc. Leodienſi an. 1143. & pretioſas eiuſdem Sancti Reliquias inde ad ſuos huc detulit; quâ de re, & alijs huc ſpectantibus, latiùs diſſerui *Parte II. Cimeliarchij Latienſis Eccleſiæ, Montibus an. 1646. editi.*

Thomas XI. inſignes illas, quas hodieque poſſidet Lætienſis Eccleſia Reliquias, Conſtantinopoli detulit an. 1208. de quarum feſto, titulis, inſcriptionibus, diplomatis, & phylacterijs videatur dictum *Cimeliarchium Part. 1. per totam*: velut & de nouis Reliquijs à D. Antonio de Vuinghe acquiſitis ſyntagma, *Parte 3. per totam.*

Mau-

Digitized by Google

Mauritius de Rumigny XVII. intra 28. annos, quibus præfuit, Lætienſe caſtrum erexit ſub finem XIII. ſæculi. Eſt autem illud in ampliſſimo quadro fortiter ædificatum in aquarum medio, ex duro ſectoque lapide, inſuper ſublicio ponte munitum; ſed & interiùs tam induſtriè compoſitum, vt in eo nec pro regularibus officinis commoditas, nec contra hoſtium aſſultus ſecuritas, nec pro hoſpitum & aduenarum receptione amœnitas deſiderari poſſit.

Anſelmus de Sars XXIX. antea S. Amandi Præpoſitus in Pabulâ, Capitulum, Infirmariam, & ſomno ciboque capiendis receptacula, aliaque ædificia fecit, aut refecit.

D. Ægidius Gippus XXXIII. dictum Lætiæ caſtrum ex integro pene renouauit; inſuper domum in omni ædificiorum ſtructurâ inſignem Montibus conſtruxit; alteram Athi erexit, erecturus & nouum templum Lætijs, niſi pios eiuſdem conceptus mors intercidiſſet, priùs tamen in Coadiutorem aſſumpto venerabili D. *Ludouico Bloſio*,

Qui ſuis fructuoſus Abbas præfuit per editionem *Speculi Monachorum* ſub nomine Dacryani Abbatis, quod Latinâ voce lacryma-

crymatorem ſonat; eius enim propoſitum fuit deprauatos Monachorum æui ſui mores copioſis lacrymis proſequi: Quibus lacrymis, ac Speculo tantùm apud ſuos profecit, vt nouam religionis normam ipſis perſuaſerit, præſcripſeritque, poſtmodùm à Paulo III. Pontif. Max. anno 1545. probatam ſpeciali diplomate, quod ſic incipit: *Paulus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Alto diuinæ prouidentiæ conſilio*, &c. Videatur illud in operibus eiuſdem Bloſij cum 34. ſtatutorum eius articulis.

De cætero, non tam cenſuum aut fundorum amplitudine, vel dominiorum auctoritate, vel ſubſtructionum pompâ locus iſte gloriatur, quàm parcimoniâ, diſciplinâ, hoſpitalitate, & eleëmoſynarum diſtributione, per antedictum Bloſium, vt genere ita & virtute clariſſimum, introductis; & ideò in memoriâ æternâ erit, tam per has præmiſſas dotes, quàm per Scripta ſua, omnium gentium adplauſu & fructu excepta, quod alibi latiùs ediſſeram.

Poſt Bloſium an. 1566. mortuum, præfuêre D. Quirinus Douillet Athenſis, D. Nicolaus le Francq Montenſis, D. Antonius de Winghe Louanienſis, & D. Thomas

mas Luytens, qui ab Vrbano VIII. mitram, & cætera Pontificalia obtinuit an. 1640. pro vt conſtat ex dicti Pontificis Bullâ ſic incipiente: *In Apoſtolicæ dignitatis ſolio, & poteſtatis plenitudine conſtituti, &c.*

Trigeſimus nonus hodie præeſt R. Adm. D. *Iaſpardus Rogier* Tornacenſis, Lobij benedictus 25. Iulij anni 1645. qui hoc ipſo benedictionis ſuæ anno, 14. Sept. dictæ Bloſianæ reformationis Iubilæum Lætiæ celebrauit, eiuſdem Symbolo dictæ reformationi adludente, quo peraptè dicit: *Moderata durant.* Dominus conſeruet eum, & viuificet eum & hîc, & poſtmodò in terrâ viuentium.

DISTINCTIO VII.

Monaſterium S. Dionyſij in Brocqueroiâ.

Anno 1081. CVm S. Dionyſij iuxta Montes Abbatia deſit in *Chronico Balderici* (nec enim id vltra 1040. annum progreditur) huius loci notitiam aliunde mutuari cogor; nec eam alibi certiùs inuenerim, quàm in ipſius

ſius Fundatricis diplomate, quod ſic incipit: *Ego Richildis Comitiſſa mater Balduini Comitis, cernens totum mundum in maligno poſitum, ruere ad occaſum, cœpi tractare de ſalute animæ meæ, & filij mei Balduini. Pro talibus namque mihi ſæpè cogitanti & ingemiſcenti, occurrit intentio releuationis de quodam locello in honore ſancti dedicato Dionyſij, & ſtatuere ibi fratres Deo militantes iuxta regulam beati Benedicti*, &c.

Ex quibus patet inprimis prætactum locellum fuiſſe antea alicuius notæ & conſiderationis, quia de eius releuatione præexiſtentiam notante loquitur: Anno enim 868. (quo omnium Lobienſis Eccleſiæ terrarum à S. Ioanne Epiſcopo Cameracenſi facta fuit deſcriptio) locus iſte cum ſacello ſuo iuris erat Lobienſium; quo fortè titulo Ratherius quondàm Lobij Monachus an. 955. Italià pulſus, prætacti ſacelli dote à Fulcuinó Abbate donatus fuerit, vt refert *D. VVaulde in ſuâ Hiſtoriâ Lobiẽſi.* Patet inſuper hallucinari *Nicolaum Guiſium* ſcribentem * id monaſterij à dictâ Richilde erectum fuiſſe *in Montenſium refrigerium, qui ad Brocqueroyam funditùs pro Patriâ deleti fuerant an.* 1076. quandoquidem nihil eâ de clade in dictæ ſuæ fundationis literis adſtruat.

* *Hannoniæ Metropolis Cap.* 30.

D. Verum-

Verumenimverò, ne prædeſtinati à ſe Religioſi viderentur anarchi, ijſdem præſcripſit ſubiectionem & normam Monaſterij *Siluæ-Maioris* in Franciâ tunc maximè florentis; à quo nimirum, velut in coloniam, primi Monachi mitterentur, & primus ex eo Abbas conſtitueretur; quâ de re ipſam, ſi lubet, audiamus loquentem in altero ſuo diplomate an. 1082. dato: *Tēpore*, inquit, *quo hæc meo verſabātur animo, erat inceptum monaſterium in loco Silua-Maior nūcupato. Huic igitur Eccleſiæ placuit præfatum locum ſubijcere, vt ex tam nobili congregatione* (notate verba) *ſemper Abbatem ſuſcipiat, qui Eccleſiam S. Dionyſij rectè diſponat* &c. Hæc autem ſubiectio, & dependentia in principio naſcentis huius Eccleſiæ neceſſaria fuit ad formandum regimen, non tamen in progreſſu; ſuſceptâ & inolitâ iam educatione: vnde & poſtmodò mitigata, & tandem penitùs ſublata, pro vt inferiùs dicemus; potiora interim proſequamur.

Adhæc dicta Richildis, vt ampliore dote monaſterium fundaretur, cum dicto filio ſuo ante mortem effecit, vt tredecim præbendæ Monachorum S. Petri in Montibus (qui ex primæuâ inſtitutione probabiliter etiam erant Benedictini) dicto huic

huic monaſterio incorporarentur, pro vt. me docet præfacti Balduini diploma an. 1084. datum, quod ſic incipit: *Ego Balduinus Comes Hannoniæ iterum conſilio Domini mei Gerardi Camerac. Epiſcopi*, &c.

Sed cùm de hac donatione poſt mortem dicti Balduini, inter partes multùm ac diu decertatum fuiſſet, an. tandem 1123. Burchardus Ep. Cameracenſis *iſtud Eccleſiæ S. Petri beneficium, ſæpè libatæ ſancti Dionyſij Eccleſiæ Pontificali decreto aſsignauit*, vt ijs terminis dicti Epiſcopi literæ, eo tenore incipientes: *Burchardus Dei gratiâ Cameracenſium Epiſcopus notum facimus Eccleſiam ſancti Dionyſij prope Montes*, &c.

Sed omiſsâ huius controuerſiæ deciſione, præfati fundatoris, & aliquot eius ſucceſſorum beneficia, huic loco præſtita, commemoremus.

Vt Balduinus iſte, cognomento Hieroſolymitanus, huius ſuæ domus decorem & augmentum diligebat, præter dictarum præbendarum vnionem, eidem dedit *inciſionem lignorum in ſyluâ de Haurets ad omnes vſus ipſius Eccleſiæ perpetuò, tam in ſtructurâ ædificiorum, quàm in fomentis ignium*, pro vt legitur in diplomate Balduini ſexti an. 1197. dato. Inſuper locum ipſum

cum Aſcetis ab omni laicorum poteſtate exemit, teſte eius ſyngraphâ anno 1097. datâ.

Eas autem patris ſui donationes Balduinus III. *paterna ſequens veſtigia*, non ſolùm confirmauit, ſed etiam adauxit an. 1117. quo tale ab eo diploma emanatum: *Ego Balduinus Comes Haionenſium, filius glorioſæ memoriæ Balduini Hieroſolymitani*, &c. Inſuper Balduinus IV. cognomentò Ædificator, allodium de *Obrechie* cum ſuis attinentijs omninò liberum, huic dictæ Eccleſiæ collatum recognouit. Item Balduinus VI. dictus Conſtantinopolitanus, ne à progenitorum ſuorum pietate degenerare videretur, multa etiam huic Cœnobio beneficia contulit annis 1197. 1198. 1199. & 1200. quæ totidem diplomatis inſunt apud *Mireum in Donationibus, & Notitia Eccleſiarum Belgij.* Præterea Guilielmus dicti Comitis & Imperatoris patruus, illius nomine Hannoniam regens, huic etiam loco beneficus fuit an. 1203. quo literæ ab eo datæ ſic incipiunt: *Ego VVilelmus Domini Comitis Hannoniæ, & Flandriæ patruus*, &c.

Sed & Reuerendiſſimi aliquot Epiſcopi Cameracenſes, prædictos Comites imitati ſunt. Inprimis Gerardus II. *Epiſcopale ius, quod in Eccleſiâ, ſiue altari S. Dionyſij habebat,*

habebat, Deo condonauit, vt ibi degentes Monachi ab omni prorſus inquietudine eſſent liberi, ita ſecundæ dictæ Richildis literæ. Burchardus autẽ præter fauorabilem ſententiam ab eo latã in cauſâ dictarũ prębendarum S. Petri, *Eccleſias de Houdeng, Goignies, & Lembecq* huius loci Monachis in perpetuùm conceſſit an. 1119. Eius adſunt literæ: *Communicato noſtrorum Clericorum conſilio*, &c. Nicolaus huius nominis 1. *parochiam de Fouleng* Arnulpho Abbati dedit: Sed & alij plures alias (in quibus eminet Angienſis, decem & ampliùs ſimplicium beneficiorum fundatione decorata) contulêre, quas, & ipſa ſi hîc enumerem, plus iuſto longior ſim; proinde ad alia duo notatu digna.

Primum quidem eſt, quòd huius loci Antiſtes, ſit primitiuus Paſtor illuſtrium D. Waldetrudis Montibus Canonicarũ, & ſimul ordinarius ac Regius ad eiuſdem Diuæ aras Eccleſiaſtes, pro celebrandis Regis, Principum, totiuſque nobilitatis Hanonicæ funeribus; ſumpto huius dignitatis principio ab Eccleſiâ S. Petri, cuius Abbas, aut, ſi mauis, Superior, ex primæuâ dictæ ſanctæ Waldetrudis inſtitutione, ijſdem erat à ſacris,

Alterum eſt, quòd inde tanquam ex

Digitized by Google

redolentiſſimo monaſticç perfectionis alueari, nuper euocati ſint Aſcetæ ad monaſteria Affligemenſe, Gerardimontanum, Giſlenianum, & quædam alia Superioris Germaniæ, hæreticorum factionibus aliàs deuaſtata, vt in ſingulis diui Benedicti ſpiritum rectum innouarent.

Sed nunc ad primos Abbates è dictæ Siluæ-Maioris Cœnobio euocatos; inde enim veniens *Martinus* I. Abbas, monaſticæ religionis fundamenta iecit. Succeſsére Heribertus, & Balduinus, de quibus fit mẽtio in præcitatis Burchardi literis. Subſequentium ſeriem primis curis metricis dedi, hîc tantùm celebriores repetam. Bartholomæum an. 1198. Balduino Comiti charum. Marcellum profuſæ in pauperes liberalitatis virum. Petrũ authorem concordati inter ſuam, & Syluæ-Maioris Eccleſiam. Auguſtinum huius, & Monaſterij S. Amandi Præſulem. Theodoricum initæ ſocietatis inter ſuos, & Cellenſes fautorem an. 1321. Nicolaum de Montignies perennis aquæ in omnia monaſterij loca traductorem. Guilielmum Daſſonuille æternâ memoriâ dignum, ob ademptam Siluæ-Maioris in hanc domũ iuriſdictionem; quod quidem onus redemit *quingentis coronis auri cunei Regis Franciæ, boni & iuſti ponderis,*

ponderis, vt ijs verbis legitur in inſtrumẽto deſuper confecto an. 1426. Ioannem le Fort, de ipſius Eccleſiæ gremio, poſt aliquot Commendatarios, aſſumptum.

Notanter verò D. Petrum Rollier patriâ Lendienſem, Pontificalis annuli, & mitræ procuratorem de ſpeciali Sedis * Apoſtolicæ gratiâ, cuius hic prætereo Bullam, quia ter à nobis per tres & amplius quindenas rogata, nedum in promptu reperiri potuit. D. Ioannem Deſcamps Refugij Montenſis adornatorem. D. Franciſcum de Buzegnies authorem reformationis S. Iuſtinæ de Paduâ ſiue Caſſinenſis, cuius aſſumptioni intermortuus an. 1623. in eius poſtmodò locum ſuffecto R. D. Gaſpare Vincq S. Adriani 41. antea Præſule: Qui cùm ridigioris vitæ inſtitutum egregiè promouiſſet, multaque alia laudabilia, præter nouæ Eccleſiæ an. demum 1640. benedictæ fabricam, peregiſſet, Gandauũ ad S. Petri regimen à Rege fuit euocatus.

Ab eius exitu feliciter ac laudabiliter hodie præeſt R. Adm. D. *Martinus Gouſard* Lutcemburgenſis, ordine XLIV. Abbas, Bruxellis an. 1646. benedictus, ex quo tempore hoc vtitur ſymbolo: *Suſtinuit.* Det ipſi Deus felicem & longam vitam, nec minùs interea vires ac forti-

* *Opinor quod per Gregorium XIV. anno 1590. aut forte Innocentiũ IX. 1591. vel etiam Clemente VIII. 1592. Coniecturis his meis certitudinem cum tẽpore expecto; nec enim hactenus ſcire potui.*

fortitudinem, vt infractos humeros ſuſtinendis honoris ſui oneribus domi foriſque ſubijcere valeat: In quo voto deſino, tranſiturus interim ad nouam inſtituti Cluniacenſis Abbatiam.

CAPVT II.

De Ordine Cluniacenſi.

CVM Monaſticum inſtitutum in Galliâ admodùm remiſſum eſſet (*inquit Spondanus ad annum* 912.) fauente Wilielmo Aquitanorum Principe, Berno in Burgundię regione, pago Cluniaco, monaſterium exſtruxit, multoſque illuc Monachos collegit, &c. Ipſi verò ſucceſſit Odo, quem Sigebertus malè nominat primum Abbatem Cluniacenſem, &c.

Cæterum per hunc, & illum, & aliquot alios ſanctæ memoriæ ſucceſſores, collapſa monaſti-

cæ vitæ diſciplina egregiè reſtituta fuit in Gallis, & paßim alibi, pro vt diuerſæ Prouinciæ, Cluniaci inſtitutum amplexæ, teſtantur; inter quas Franciæ Prouincia ſub ſe olim continuit vnicum apud Belgas S. Saluij Prioratum, nunc Abbatiæ titulo gaudentem; cuius initia & progreſſus breuiter eo ſubiectum.

DISTINCTIO VNICA.

Abbatia S. Saluij.

PRæmiſſis ſeptem D. Benedicti Abbatijs octauam S. Saluij, eamque nouiſſimam ritè ſubnecto; quia pariformis regulæ tenax, in, & circa Valencenas ſummâ authoritate polleat, quod alibi ſpecialiter demonſtrabo, & quia pedo mitraque iunctim vtatur ab an. 1629. fauore Vrbani VIII. Pontificis, ad inſtantiam nobilis, & reuerendi D. Philippi d'Oignies, è Prioribus vltimi. Sed tranſpoſito nouiſſimæ huius exaltationis priuilegio, veteris huius loci originem, & progreſſum breuiter exponamus. *Anno 1629.*

Non procul à caſtro Valentianenſi (inquit noſter *Baldericus Lib. 2. Cap. 31.*) *olim quidem S. Martini Eccleſiola, nunc autem monaſterium canoni-*

Canonicale, in veneratione etiam S. Saluij Epiſcopi & Martyris conſtat: Ipſo namque tempore S. Saluius, totus ſupernæ patriæ inhians, causâ peregrinationis, habenas reliquit Epiſcopij, profectusq; peregrè prædicationi operam dare æſtimauit. Igitur de loco ad locum procedens, verbum Dei populo ſuggerebat, & maximè celebrationibus Miſſarum inſtabat. Verùm vbi ad ipſam viciniam deueniret, ac quadam die de Valentianenſi portu ad vicum Condatum tranſiret, à quodam peſtifero factis inſidijs captus, in cuſtodiâ religatur, raptisq; indumentis ſacerdotalibus, & ornamentis Epiſcopalibus, quæ ſecum portauerat, obtruncatur. Sepultusq; à viris religioſis in ſupradictâ S. Martini Eccleſiâ, tunc ad præſens, & poſtea præconizantibus miraculis, quanti & qualis meriti extitiſſet, apparuit. Vnde attonitus Princeps regionis (Carolus videlicet Magnus *) pro ſalute animæ, de ipſo fiſco Valentianenſi, & de alijs rebus locum augmentauit, ſumptumq; ſtipendiarium deputans, Canonicos conſtituit.*

Ex dictis colligitur, quòd Cœnobialis huius Eccleſiæ prima fundamenta iecerit dictus Carolus an. 801. tunc enim, poſt triennium à cæde dicti S. Saluij, monitus ab Angelo, ex Galliâ huc veniens,

Digitized by Google

niens, eiuſdem S. Martyris corpus è vicino *Brenitico* * in hunc locum, *Brennam* olim nuncupatum, tranſtulit, adiectâ ſex Canonicorum, & vnius Præpoſiti dote.

* *Vulgò dicitur Bunraige.*

Verùm tempore S. Brunonis Hanoniæ Reformatoris, Collegiata hæc SS. Petri & Pauli, atque S. Saluij Eccleſia diui Benedicti Monachis in Eccleſiâ S. Gaugerici (quæ modò intra vrbem eſt) olim fundatis, attributa fuit an. 965. Succeſſu verò temporis, cùm inter Canonicos & Monachos hîc conuiuentes magna eſſet controuerſia, & quoddam inuidiæ ſeminarium, Hugo VI. Abbas Cluniacenſis, eoſdem ad ſui monaſterij iuriſdictionem, ſuâ & ſuorum ſanctitate pellexit an. 1106. vt fuſiùs ſcribit D. *Theodoricus Gisbert* in ſui huius monaſterij Hiſtoriâ, quæ incipit: *Communi Scriptorum ſententiâ,* &c. tandemq; emortuis omnibus Canonicis, Pontius dicti Hugonis ſucceſſor, ne oues ſine paſtore errarent, an. 1118. Hubertum Priorem ipſis præfecit de ſuâ domo miſſum, cui alij & alij ſucceſſerunt de gremio & ordine Cluniacenſi per aliquot ſæculorum ætates.

Verùm poſtquàm Regna & Prouinciæ ad diuerſos Principes tranſeunt (vt vſu venire ſolet

ſolet bellorum tumultibus, varijsque rerum ſucceſſibus) nec liberum eſt per locorum diſtantiam Superioribus ab vno in aliud regnum tranſire, huius Cœnobij ius ad Duces Burgundiæ, tandemque ad Carolum V. Imperatorem pro denominando Priore recidit an. 1536. & ab eo ad eius ſucceſſores ; & ſic nihil hîc ſibi iuris vindicârunt Cluniacenſes.

Cæterùm à prætacto Huberto, XLII. Priores domum hanc rexêre, ſed magnâ ex parte Commendatarij, quibus ipſa non in Commendam, vt dicitur, ſed potiùs in comedendam, varijs temporibus commiſſa fuit. Dictorum verò Priorum vltimus fuit prædictus D. Philippus d'Oignyes, ex S. Vedaſti Monacho & generali Receptore, poſt D. Georgium ab Auſtriâ, ad id dignitatis aſſumptus an. 1619. Decennio pòſt, ad dicti Philippi inſtantiam, Vrbanus VIII. Pontifex S. Saluij Prioratum Abbatiali pedo & mitrâ ſimul (quod vtique nouum & inuſitatum) perornauit ; quâ de re eiuſdem literas, verbo tenùs ex ſuo principali deſumptas, ad longum ſubijcio, vt plenioris hiſtoriæ ſecundis curis edendæ defectum hîc ſuppleam.

Dictarum literarum tenor hic eſt.

Vrbanus PP.ª 8.us ſeruus ſeruorum Dei ad perpe-

perpetuam rei memoriam. In ſupremo ſedis Apoſtolicæ ſolio & poteſtatis plenitudine, cæleſtis Patris prouidentiâ, conſtituti, circa ea, quæ ad monaſteriorum, illorumq; Eccleſiarum, & locorum quorumlibet decorem & venuſtatem; ac perſonarum in illis ſub ſuaui Religionis iugo Altiſsimo famulantium, honoris incrementum, & ſpiritualem conſolationem; populorumq; ſalutem & profectum ſpectare & pertinere noſcuntur, propenſis ſtudijs intendimus, ac deſuper officij noſtri partes fauorabiliter interponimus, pro vt monaſteriorum, Eccleſiarum, & locorum, perſonarumq; huiuſmodi qualitatibus debitè penſatis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè pro parte dilecti filij Philippi d'Oignyes Prioris monaſterij S. Saluij Ordinis S. Benedicti prope Vallencenas Cameracenſis Diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd Monaſterium prædictum per Priorem regi & gubernari ſolet, ac ſexdecim Religioſorum in eo ad Chorum profeſſorum, ac ſub regularis diſciplinæ, & obſeruantiæ normâ laudabiliter viuentium numero de præſenti refertum, ac in illis partibus inſigne exiſtit, & illius Eccleſia à Chriſti fidelibus in magnâ veneratione habetur & frequentatur: Et propterea, ſi dicto monaſterio, Abbatiæ, illiuſq; Priori, Abbatis nomen titulus & denominatio, ipſi quoque Abbati vſus mitræ, baculi, aliorumq;

Ponti-

Pontificalium inſignium, modo & formâ infraſcriptis, per nos & Sedem Apoſtolicam benignè concederentur, procul dubio eiuſdem Monaſterij, illiuſq; Abbatis decori & venuſtati, diuiniq; cultus in eodem incremento, ac Christi fidelium ad Eccleſiam prædictam deuotionis causâ confluentium ſpirituali conſolationi non mediocriter conſuleretur. Quare pro parte dicti Philippi nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ei in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui diuinum cultum, & Chriſti fidelium deuotionem vbique augeri ſinceris deſideramus affectibus, prædictum Philippum ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes, ipſumq; ac monaſterij huiuſmodi ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione vel causâ latis (ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt) ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto congregationis venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſuper ritibus Eccleſiaſticis præpoſitorum, dictum monaſterium dignitate, titulo, & denominatione Abbatiæ, Apoſtolicâ authoritate, tenore

præſen-

Digitized by Google

præſentium, perpetuò inſignimus & decoramus, eidemq́; Philippo, ac eius in dicto monaſterio ſucceſſoribus canonicè intrantibus, vt eiuſdem monaſterij ratione, de cætero perpetuis futuris temporibus, non Priores, vt hactenus, ſed Abbates ſint, atque denominentur & nuncupentur, pro talibusq́; ab omnibus habeantur & reputentur, ac in omnibus ſcripturis per eos pro tempore conficiendis ac ſcribendis & ſubſcribendis, ſeſe Abbates ſcribere & ſubſcribere liberè & licitè poſſint & valeant, eiſdem authoritate & tenore concedimus & indulgemus. Præterea eidem Philippo, alijsq́; poſt ipſum futuris dicti Monaſterij Abbatibus, quòd ex nunc, & in perpetuùm, ipſi mitrâ, annulo, baculo, & alijs Pontificalibus inſignijs quandocumque, ac tam in præfato monaſterio & illius Eccleſiâ, quàm & in alijs quibuſcunque Eccleſijs, Prioratibus, & locis pijs tam ſecularibus, quàm regularibus, à dicto monaſterio pleno iure dependentibus, vel illi quomodolibet ſubiectis, nec non in celebribus Congregationibus, alijsq́; actibus publicis, ac Proceſſionibus & Stationibus celebrandis, indui & vti; nec-non Chriſti fidelibus ad Monaſterium, illiuſque, ac alias Eccleſias, Prioratus, & loca huiuſmodi, ipſi, & vt præfertur, pleno iure ſubiecta, accedentibus, poſt Miſſarum, Matutinorum, Veſperorum, & aliorum

diui-

diuinorum officiorum ſolemnia, ac poſt finitas Proceſſiones & Stationes huiuſmodi, benedictionem ſolemnem (dummodò aliquis Antiſtes, vel Sedis Apoſtolicæ Legatus ibi præſens non ſit, ſeu, ſi præſens fuerit, eius ad id accedat aſſenſus) elargiri; Cruces quoque, calices, patenas, imagines, campanas, & vaſa, (in quibus tamen ſacri olei, aut chriſmatis vnctio non adhibetur) atque etiam tabernacula pro conſeruatione ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, ac Reliquiarum ſanctarum, ac Corporalia, veſtimenta, & Sacerdotalia paramenta, & ornamenta quæcunque Eccleſiarum, Prioratuum, & aliorum locorum quorumcumque, dicto monaſterio (vt præfertur) ſubiectorum dumtaxat; eorumq; altaria cum ſolitis ſolemnitatibus & ceremonijs iuxta ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ritum benedicere; nec non Monaſterium, & illi ſubiecta Prioratus & loca huiuſmodi, eorumq; Eccleſias, Capellas, & Cœmiteria, quæ ſanguinis vel ſeminis effuſione, aut aliàs quouis modo pollui contigerit (aquâ tamen priùs, vt moris eſt, benedictâ) iuxta eundem ritum reconciliare liberè & licitè valeat, eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuò concedimus & indulgemus, ac plenam, liberam, & omnimodam facultatem, poteſtatem, & authoritatem ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis impartimur. Decernentes præſentes literas ſemper & perpetuò

validas

validas & efficaces fore, ſuosq́ue plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac tam ab illis, ad quos nunc ſpectat, & ſpectabit in futurum, quàm alijs quibuſcumque quauis auctoritate fungentibus, firmiter & inuiolabiliter obſeruari & adimpleri debere; neque Philippum eiusq́; ſucceſſores prædictos, deſuper à quoquam quauis auctoritate fungente, publicè vel occultè, directè, vel indirectè, quæſito quouis colore vel ingenio, moleſtari, perturbari, aut impediri poſſe; ſicq́; in præmiſsis omnibus & ſingulis per quoſcumque Iudices ordinarios, vel delegatos quauis auctoritate fungentes, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac eiuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & de latere Legatos, & Vice-Legatos, dictaq́; Sedis Nuntios, iudicari, & diffiniri debere: Irritum quoque & inane, quidquid ſecùs ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictorumq́; Monaſterij & Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæterisq́; contrarijs quibuſcunque. Volumus autẽ per quòd præſentem gratiam ſtatus dicti monaſterij non immutetur, nec immutatus eſſe cenſeatur. Nulli ergo omnino

hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, inſignitionis, decorationis, conceſsionis, indulti, impartitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, tertio Idus Iulij, Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Præmiſſo diplomati nouorum huius Domus Abbatum trigam ſubnecto. Primas tenet antedictus nobilis, & ampliſſimus D. *Philippus d'Oignies*, ex antiquâ & notabili familiâ oriundus, pro vt ſingillatim videre eſt in auiti ſtemmatis arbore, quam hîc in Refectorio aliàs vidimus à *D. Ioanne Scohier* Bellimontano inuentam. Magni & magnamini huius Præſulis memoria in æternùm hîc benedicetur, ob præciſam ſæcularibus viam, ad ambienda deinceps huius loci gubernacula. Poſt annorum quaſi 17. regimen, ad meliora (etiam hîc *in melius* tendens) feliciter tranſijt, an. 1636. 7. Ian. ſepultus ante aram principem.

Nuper ei à ſiniſtris contumulatur eiuſdem

dem ſucceſſor, R. Adm. D. Renulphus Becquet Orchiacenſis, ex S. Martini apud Neruios Cœnobita, Prior quondàm in Chantrou penes Gallos, Valencenis benedictus anno 1637. 18. Ian. cui ab eo die hoc ſymbolum fuit: *Piè & iuſtè.* Fatis tandem conceſſit anno 1648. 25. Iulij.

Eidem ſucceſſit R. Adm. D. *Iacobus de Buillemont* Piſcicurtanus, poſt omnia domus officia induſtriè & feliciter pertractata, ad eam dignitatem aſſumptus, & benedictus an. 1649. ipsâ die S. Ioannis ante portam Latinam · cui ab eo tempore familiare inprimis hoc dictum: *Pedetentim.*

Quo pede cœpit, eat; cœptis felicibus opto
Proſpera cuncta ſolo, proſperiora polo.

Digitized by Google

CAPVT III.

De Ordine Ciſtercienſi.

SANCTVS Bernardus Burgundus, ſcriptis & ſanguine nobilis, primus Abbas Clareuallis, 160. Monaſteriorum fundator, Ordinem Ciſtercienſem à beato Roberto Abbate Moliſmenſi anno 1098. inchoatum, mirificè propagauit. Obijt anno 1153.

Melliflui huius Doctoris, diuiq; Benedicti inter alios filij ſupereminentialis operâ, non dumtaxat in Hiſpaniâ, Galliâ, Germaniâ, aliisq; Regnis ac Prouincijs, ſed & in Belgio noſtro, diuerſa eius Ordinis Monaſteria pullulârunt, & ſimul floruerunt; veluti teſtantur Aurea Vallis in Ducatu Lutcemburgenſi, & Valcella in Cameraceſio an. 1131. *Duna apud Flandros* 1138. *Claromariſcus in Artheſiâ* 1137. *Villarium in Brabantiâ* 1147. *& Camberona apud Hannones* 1148. *vt innumera*

taceam

*rateā ab eius morte(quæ euenit an.*1153.)*excitata. Eius ſiquidem viri ſanctitas, miracula, & Monaſteria tam copioſa ſunt, vt repeti ſatis non poſſint; & vel maximè à nobis Belgis, quia ipſe Prouincias noſtras eiuſdem ſuæ ſanctitatis luce, ac frequentiſſimâ miraculorum copiâ paſſim illuſtrârit, vt pleniùs alibi dicam.*

Cæterum ſancti huius Ordinis Abbas & Rector Generalis, Ciſtercij reſidere ſolet ſecundo lapide à Diuione in Burgundiæ Ducatu. Is per ſe, vel Abbatem Clareuallenſem, aut alium ſubdelegatum, reliqua omnia huius inſtituti Monaſteria ad-inſtar Epiſcopi viſitare ſolet, quia Alexander III. Pontifex ab Epiſcoporum imperio & correctione totum Ordinem exemerit, quâ de re aliàs tale monoſticon legi.

Sanctus, & exemptus, primaque ab origine liber;
Nullus in hunc quidquam iuris habere poteſt.

Sed à genere in Species veniamus, & à Camberonâ vnicâ virorum apud nos Abbatiâ ordiamur.

DISTINCTIO I. ET VLTIMA.

Camberona B. Mariæ.

AGgredior ſcribere locum naturæ genio, hominum induſtriâ, & cœli *Anno* 1148.

benig-

benignitate ornatiſſimum, ſed anxius an rudi calamo fas ſit circa res tam eximias ludere. Attamen intendam fauces, & parum cõcinnus præco, tenui meâ laudatione alios prouocabo, quibus magè fœcundum pectus, facundiorque calamus.

Deſcriptio loci. Cambronium auribus inſonat, cui à Cambro Seruij Hoſtilij Romanorum Regis filio nomen inditum, vt narrat *Antoninus in ſuâ Coſmographiâ.* Cambronium in oculos incurrit partim montuoſum, partim in valle ſitum ad fluuiolum *Aliuam* vertendis duabus in, & iuxta molis aptiſſimum; magnificis ædificijs ſpecioſum, ſed & læto, latoque ſinu ſpatioſum (continet enim in circuitu viginti duo terræ iugera, adeò vt amplitudine ſuâ Athenſe oppidum ſuperare dicatur) vbique, ferè in orbem, altis muris circumdatum.

Ad exterioris areæ frontem perilluſtris Eccleſia viſitur, plurium Magnatum tumulis, Crucifixi ſigno ſuper odeium ſuſpiciendo, Monachorum ſubſellijs mirâ arte laboratis; inſignique venerabilis Euchariſtiæ loculamento decorata; cui ex oppoſito reſpondet diuæ Virginis miraculoſæ ſacellum, quatuor altaribus interſtinctum. Intùs autem, & ad dictæ

Cœno-

Cœnobialis Eccleſiæ latus, clauſtrum antiquum ingens videre eſt, ex quo mediante longâ porticu, ad prima quatuor & medij ſæculorum ædificia, ſatis adhuc integra & valde ſolida itur, in modum crucis ab ipſis Ciſtercienſibus olim (vt ferunt) excitata.

Nec longè hinc Infirmariam adiunctâ Ioannæ Comitis ædiculâ celebrem, & triplex hinc inde Refectorium, Dormitorium eique adſitam Bibliothecam, nec non alia capaciſſima loca conſpicis, pro vt alibi alias Regulares officinas, cum variantibus hortorum delitijs. Sed & alibi extra Monachorum clauſuram, villas, paſcua, viuaria, arboreta, aquas, & aquarum decurſus, aliaque neceſſaria ad immanentium commoditatem. Verùm ab ipsâ loci deſcriptione tranſeamus ad primitiuam eius fundationem.

Cambronij authores dum aſpicio, nobilem Clericum Anſelmum de Peronâ Domini Traſigniacenſis filium, & Sonegienſis Eccleſiæ Theſaurariũ, fundi donatorem ab vnâ parte dignoſco; ſed ab alterâ diuum Bernardum, ab eodem Anſelmo Camberonâ dono capientem, ſuſpicio: Reuereor hîc ſanctiſſimam Deiparam lo-

cum ſuo cultui deligentem;ibi autem beato Faſtredo cum duodecim Ciſtercij Monachis primas officinas extruenti congratulor ; nec minùs intereà Alexandro III. Pontifici,tenuia ſatis in initio huius Cœnobij bona confirmanti.

Annus & dies fundationis. Sed hæc omnia & ſingula paulò latiùs proſequi iuuat, auſpicalem annum& diem fundamenti vice præmittendo. Quòd ad annum pertinet, omnes vniformiter tenent fuiſſe 1148. qui tunc erat quartus Pontificatus Eugenij III. quondàm S. Bernardi diſcipuli,quinquageſimus autem à Ciſtercij fundatione, & trigeſimus tertius à Clareuallis inſtitutione. Verùm de die inter Authores controuertitur: *Meierus*, *Locrius*, *Mireus*, & poſt eos *Coluenerius in ſuo Kalendario*, 24. Iulij deſignant; alij verò primam diem Auguſti.

Fundationis narratio. Quidquid ſit de die, cùm anno prætacto 1148. dictus Anſelmus Deo, & beato Bernardo Abbati Careuallenſi, quidquid agrorum poſſidebat in tractu Camberonenſi,obtuliſſet (pro vt ſupra veteris Refectorij parietem expreſſum viſitur) is honorario dono adiutus prima monaſterij ſui, aut potiùs B. Mariæ fundamenta iecit, præauditis ſuauiſſimis Angelorum cantibus eo in loco, vbi nunc Eccleſia

conſpi-

Digitized by Google

conſpicitur: Cùm enim paulò altiùs verſùs Meridiem in loco (qui olim dicebatur *le Vieux Mouſtier*, hodie verò le *Camberzeau*) prætenderet erigere ſuum Conuentum, quadam nocte orans in dictæ Eccleſiæ circumferentiâ, lætitiæ concentum inaudijt; quo quidem indicio certior factus, mox eo in loco conſtruxit Monaſterium ſuum.

Eo autem ſatis tenuiter (vt initia quæque ferunt) dotato, ad hoc opus inchoandum B. Faſtredus mittitur, nobili quondàm familiâ in vicino caſtro de *Gauiamets* editus, ſuiſque ſocijs ex Clarauallе tranſmiſſis primus Abbas præficitur.

*Paſſi ſunt autem aliquamdiu Anſelmus & Faſtredus cum ſocijs moleſtias graues, quodam Ægidio * Sillio eas concitante; donec tandem Balduino Hannoniæ Comite, & Nicolao Cameracenſi Epiſcopo, alijſq; proceribus præſentibus, res omnes ſopitæ fuerunt. Cùm autem dictus Epiſcopus magnâ rerum penuriâ fratres Camberonenſes laborare animaduertiſſet, multis precibus à Sonegienſi Canonicorum Collegio ipſis vitæ ſubſidia impetrauit,* pro vt ijs verbis *Chryſoſtomus Henriques in Faſciculo SS. Ordinis Ciſtercienſis vita B. Faſtredi Cap. 1.*

* *Hic erat frater dicti Anſelmi.*

Qui & vlteriùs aſſerit, eundem, dum Clareuallenſem Abbatiam admittere recuſa- *Quadam de S. Fa-*

ſtredo 1. Abbate.
cuſaret, à Diuâ Virgine viſitatum, quæ ei, vt id oneris acceptaret, alteri velut Simeoni, Vnigenitum ſuum tradidit amplectendum. Quâ quidem viſione diſparente, mox ſibi perſuaſit, *quòd verè filij Dei, & membra Chriſti eſſent, qui eius prouidentiæ committebantur. Eo autem regimine ſuſcepto, vt alijs præcellebat officio dignitatis, ita & religionis exemplo: Parcimoniam, veſtitus humilitatem, cæteraſq; virtutes mirificè diligens, non ſolùm verbo & exemplo ſubditos informabat, ſed & corporis habitudine, ſeſe intuentes, mirâ deuotione afficiebat, vt refert Biographus.*

His virtutum decoratus ornamentis, dum Ciſtercienſis Eccleſia Paſtore vacat, vnanimi totius Ordinis voto Patriarcha deligitur, & ſimul ab omnibus diligitur: Verùm *conſummatus in breui*, tanquam ſi *expleuiſſet tempora multa*, ab humanis ad Cœlites tranſijt, poſtquàm tamen ſacrâ vnctione à ſummo Pontifice Alexandro III. in præſentiâ Ludouici Galliæ Regis munitus fuiſſet. Cuius animam magnâ gloriâ circumdatam, in cœlos ab Angelo deferri quidam Angliæ Monachus vidit. Sedit autem Ciſtercij anno vno, menſe vno, obijt an. 1163. 21. Aprilis, minimè verò 19. Maij, vt ſcribit *Molanus in ſuis Natalibus*,

libus; contrarium enim patet ex libro obituum Abbatum Ciſtercij: Ita me docuit *dictus Henriques in ſuo Menologio Ciſtercienſi*.

Præmiſſi huius ſancti Abbatis occaſione, Camberonenſis Eccleſiæ Sanctorum viticulam ſubnecto, ſex palmitibus diſtinctam. Martyrij quidē ratione primum conſtituo (licèt omnium nouiſſimum) S. *Antoninum* martyrem Romanum; cuius Reliquias mediante R. P. Baltazare Dauila Ordinis Minimorum Generali, anno 1648. Româ impetratas, condigno honore cum ſuis excepit Reuerendiſſimus D. Ioannes Cœne, nouiſſimus piæ memoriæ Abbas Camberonenſis, totiuſque Ordinis per Belgium Vicarius Generalis. Præclaræ confeſſionis titulo ei ſuccedat D. *Bernardus* totius Ordinis Patriarcha, & huius, & 160. aliorum Monaſteriorum fundator; cuius hîc caſula, & & ſtola etiamnum extant, & vtrâque Neomyſtæ in primitijs ſuis vti ſolent. Magiſtrum excipiat diſcipulus, prætactus nimirum *S. Faſtredus*, Deiferæ Matris viſione quondàm honorificatus, antequàm principem dicti Ordinis Ciſtercienſis dictaturam ſuſciperet, pro vt ſupra retuli. Quarto loco ſequitur *ſanctus Deſiderius* Morinenſis Epiſcopus, *Sancti Camberonenſis Eccleſia.*

Blende-

Blendecani apud Audomaropolim Cœnobij (quod Ciſtercienſis inſtituti Virginum eſt, & quidem primum in Belgio) fundator, qui relicto Epiſcopatu ſanctè hîc vixit ſub B. Daniele tertio Abbate, & in ſanctâ ſenectute moriens ſepulturam elegit. Ipſius tumba etiamnum viſitur prô arâ principe, ad medium pedem, plus minùs, elata, benedicentis Epiſcopi ſigno decorata, quam ab olim calcare nefas ſit. Quintus accedat beatæ memoriæ *Gerardus* II. Abbas, tum vitâ, tum ſanguine præclarus. Agmen claudat beatus *Daniel* III. Abbas *ſanctitatis eximiæ, miræ humilitatis, & raræ abſtinentiæ, & propter vitæ puritatē Regibus, & Principibus charus,* pro vt teſtatur in dicto ſuo Menologio ad 20. diem Ianuarij præcitatus Author.

Reliquiæ Camberonenſes. Sed iam à ſanctis viris ad notabiliores huius Eccleſiæ Reliquias tranſitum faciamus. Æſtimo inprimis ſalutiferæ Crucis partem, Angeli manibus ſuſtentatam: Exinde partes de linteis Chriſti, de eiuſdem præſepio, columnâ, lanceâ, ſpongiâ, ſepulchro, & tunicâ inconſutili. Adiicio prædictis glorioſæ Dei Matris Reliquias; videlicet de eiuſdem calceo, capillis, veſtibus, & ſepulchro. Præter has, & hîc ſeorſim viſi ſolent pars capitis S. Agathæ, &

Digitized by Google

& caput vnius è Socijs S. Mauritij: Item os vnum de brachio eiuſdem S. Mauritij, & alterum de brachio S. Blaſij, pro vt & S. Helenæ pollex. Nec omittendæ plures aliæ Reliquiæ SS. Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum; quæ, partim tempore R. D. Roberti d'Oſtelart, quatuor capſis incluſæ, modò iuxta ſummum altare penſilibus tholis ineſſe ſolent; partim etiam recenter duobus prææltis loculamentis ex ebeno & argento ſubtiliter elaboratis, ijsque in quatuor fercula diuidi ſolitis, interſtinctę, ſupra maius altare ſępiùs exponuntur cum hac intermediâ ſcriptione: *Eritis ſicut illi, ſi feceritis ſicut ipſi.*

Inter potiores Reliquias, in vtriuſque loculamenti ſummitate vidi dentem, iuncturam, & os S. Bartholomæi; item capita Thebæorum martyrum, & plures alias infra ſupraque diſpoſitas; quarum alibi ſyllabum dabo; hoc vnum adijciens, quòd præclarum id principis aræ ornamentum fieri curârit an. 1646. Reuerendiſſimus D. Ioannes Cœne nouiſſimus piæ memoriæ Abbas.

Ad alia ſacra quòd iam pertinet, in prælibato Camberonæ Cœnobio hodieque viſitur Deiparæ Virginis ſignum geſtantis *D. Virgo Camberonenſis.*

puer-

puerulum Ieſum à Magis adoratum; quod cùm impius Iudæus, aut ſaltem ſpeudo-chriſtianus, nomine Guilielmus, an. 1322. haſtâ ſuâ violâſſet, mox ex eo ſanguis effluxit. Reo autem per quatuor annos, de Prætoris Hannoniæ conniuentiâ, impunito remanente, eccè tandem Deipara tam enormis in ſe contumeliæ memor, infirmũ ſenem Liptinis elegit, qui fortè Apellam confunderet, lateq; proſterneret in duelli campo ad Montenſis oppidi portam; vbi hodieque ædicula viſitur D. Virginis Camberonenſis titulo prænominata; quæ in facti memoriam à R. D. Ioanne Antoine 29. Cãberonæ Prælato initium ſumſit an. 1550. pro vt Gallico idiomate in eiuſdem frontiſpicio legitur.

Proſtrato autem ſic, vt præfertur, Iudæo, mox Diuæ, eiuſdemq; honoris vindici applauſũ, inſtitutâ ſub ipſius Cœnobij muros ſolẽni proceſſione; cuius antea circuitũ ipſa Virgo virginũ, multis comitata Angelis, viſa eſt à quibuſdã peregrinis (qui ſole ad occaſum vergente iuxta idem Monaſterium ſubſtiterant) deſignâſſe, pro vt inter alios narrat *Coluener. in ſuo B. Mariæ Kalendario.* Vnde tam prætacti miraculorum miraculi intuitu, quàm aliorum ſubſecutorum, omnium pene Belgicarum gentium literis & linguis

linguis modò prædicatur; maximè ex quo ſancti huius loci inquilinos *omni armatura fortium* an. 1581. cõtra iuratos fidei noſtrę hoſtes defendit: cuius rei ſeriem, & alia ad maiorem miraculoſæ huius Diuæ notitiam facientia, pleniùs explicabo *in Hannoniâ Marianâ*, pluribus eiuſdem facti ſimilibus per Belgium, & alibi quandoque viſis, ad aſſerendam rei veritatem, in medium adductis.

Veniamus iam ad ſeriem Abbatum, nõ tamen omniũ, eò quòd ſingulos cum alijs aliorum Ordinum ritè produxerim in *metrico Abbatiarũ Hannoniæ Theatro*: Interim verò celebriores obiter reproduco. *Series Abbatum.*

Primùm quidem ſanctioris vitæ merito tres primi prodeant; videlicet S. Faſtredus ex 1. huius loci Abbate, totius Ordinis Generalis: B. Gerardus à Burgundiâ: & B. Daniel à Gerardimonte, omnium primus in Capitulo ſepultus cum hac ſimplici inſcriptione: *Hîc iacet Dominus Daniel tertius Abbas de Camberone*. D. Balduinus VI. præmentionatam Cœnobialem Eccleſiam eo ſchemate, quo nunc etiam viſitur, perfecit, ſacris initiatam anno 1240. poſtridie S. Lucæ, à Guiardo I. Epiſcop. Cameracenſi; quâ de re *Coluenerius in dicto Kalendario ad 19. Octobris*,

&c.

& quotannis eo die anniuerſarium dictæ conſecrationis recoli ſolet. D. Ioannes Marbais VIII. prima fundamenta iecit Prioratus de Stopeldicq in Flandriâ apud Hulſtum. D. Balduinus XI. S. Theol. Doctor, ambitum monaſterij muris ad medium milliare protenſis circumdedit. D. Ioannes Scullin XIX. innocens à maleuolo occiſus fuit, diuque poſt cædem, peractis exequijs, ſanguinem emiſit, quaſi vindictam in cœlum clamaret. D. Ioannes Hoſton XXIII. D. Virginis miraculoſæ ſacellum, ab Iuone tenuiter incœptum, in hodiernam formam extendit, & dedicari curauit ab Hugone Epiſc. Dagnenſi an. 1462. Ea autem dedicatio per eius ſtatutum quotannis celebrari ſolet Dominicâ tertiâ poſt Paſcha, perantiquo Liptinæ ſodalitio ad feſtiuitatem, vt moris, conueniente. D. Ioannes Wilielmi XXV. ſibi & ſucceſſoribus ſuis mitram à ſanctâ Sede obtinuit per Bullam Iulij II. Papæ, quam hîc verbotenùs reddo.

Bulla mitra. *Iulius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Ioanni Abbati Monaſterij B. Mariæ de Camberone, Ciſtercienſis Ordinis, Cameracenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Expoſcit deuotionis tuæ ſinceritas, & religionis promeretur honeſtas, vt tam te,*

(quem

Digitized by Google

(quem ſpeciali dilectione proſequimur) quàm monaſterium tuum dignis honoribus attollamus. Hinc eſt, quòd nos te à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſâ latis (ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis) ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt tu Abbas, & ſucceſſores tui Abbates dicti Monaſterij, qui pro tempore fuerint, mitrâ, annulo, & baculo paſtorali, & alijs Pontificalibus inſignijs vti; ac in dicto, & quibuſuis alijs Monaſterijs, & Prioratibus, alijsque Regularibus locis, ſibi etiam non pleno iure ſubiectis, ac Parochialibus, & alijs Eccleſijs ad illud ſpectantibus, & illi pleno iure etiam non ſubiectis, benedictionem ſolemnem, poſt Miſſarum, Veſperorum, ac Matutinorum ſolemnia (dummodò in benedictione huiuſmodi aliquis Antiſtes, vel Apoſtolicæ Sedis Legatus præſens non fuerit) elargiri; ac Monachis dicti Monaſterij, & alijs Religioſis ſibi mediatè, vel immediatè ſubiectis, Minores Ordines conferre; nec-non altaria, vaſa, veſtes, & alia ornamenta Eccleſiaſtica ad diuinum cultum eidem Monaſterio neceſſaria benedicere; ac Eccleſias, Monaſteria, & alia

Digitized by Google

loca eidem Monaſterio (vt præfertur) ſubiecta, poluta (non tamen ratione homicidij) quotiens opus fuerit, aquâ benedictâ prius per aliquem Antiſtitem, vt moris eſt, benedictâ, reconciliare, liberè & licitè valeatis (felicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Abbates,*conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterij & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis, cæteriſq; contrarijs nequaquam obſtantibus) auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium indulgemus. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo duodecimo, pridie Non. Oct. Pontific. noſt. anno nono.*

Sed à præmiſsâ mitræ Bullâ, ad cæteros Præſules, eâ viciſſim decoratos, tranſeamus. Primus igitur Abbas mitratus, fuit dictus Ioannes Wilielmi Hulſtenſis, eo dignitatis ſuæ incremento adauctus anno, vt præfertur, 1512. qui triennio pòſt defunctus, quietem accepit in Capitulo;

Digitized by Google

tulo;vbi & eius cœnotaphium Latinè ſignatum conſpicitur.

Poſt eum præfuêre D. Alardus du Bois Herbiſoleus. D. Ioannes de Florbecqz Athenſis. D. Quintinus du Belloy Melinenſis, anno ætatis 28. in Abbatem cooptatus: Damnum fuit exquiſitis dotibus præditum, poſt conſtructam ab illo hodiernam Prioris manſionem, quinquiennio dumtaxat præfuiſſe. D. Ioannes Denthelin Camberonenſis, breui tempore, quo præfuit, horologium cum ſuis attinentijs erexit. D. Gedeon Des-Foſſes Epiſcopus Caſtorienſis, & Suffraganeus Leodienſis, poſt trium & medij annorum regimen, humanis exceſſit anno 1554. D. Ioannes Begin 24. ætatis anno Abbas renuntiatus, Spinoſi-Loci Paternitate donatus fuit an. 1561. à Reuerendiſſimo D. Hieronymo Abbate Clareuallenſi. D. Guillielmus de le Court anno ætatis 32. ad id dignitatis aſſumptus, *vt ipſa opera hoc loco exſtructa loquuntur, dilexit decorem Domus Domini. Præfuit Monaſterio annis decem, menſibus octo. Obijt* 1572. 23. *Octobris*, vt habet eius epitaphium in medio Chori introitu. D. Robertus d'Oſtelart vt Abbas ſuperlatiuus, *annis* 40. *&* *menſibus ſeptem laudabiliter præfuit, & tandem* (poſt Ordinis ſui in

Belgio Vicariatum pluribus annis geſtum, & recuſatos Suffraganei Cameraçenſis honores) *obdormiuit in Domino* 1. *Dec. anno* 1613. Iacet in medio Chori cum præmiſsâ tumuli epigraphe. Athenſem Athenſis excepit, D. videlicet Ioannes Farinart S. Theol. Doctor, Ordinis ſui *per Belgium & Leodium Vicarius generalis, qui ſuauiſſimis moribus, & omni virtutum decore perillustris, domum hanc* 22. *annis feliciter rexit. Obijt autem* 3. *Iunij* 1635. pro vt ſupra eius tumbam legitur. A dicto Ioanne in viuis, viuido prorſus iudicio, ſelectus fuit Coadiutor D. Ioannes Cœne Tornacenſis, & totius Ordinis ſui per Belgium Progeneralis, an. 1635. apud ſuos ſolemniter benedictus; ex quo tempore vſque ad mortem (quæ euenit an. 1649.) ſpartam ſuam egregiè adornauit, fuitque maximæ inter Hannoniæ Prælatos, & Proceres authoritatis, *meliora ſperans* & hic, & in cœlo.

Eius modò ſucceſſor ordine XXXVI. R. Adm. Dom. D. *Iacobus Seiournet*, benedictus fuit in Loco-Spinoſo prope Montes, currente hoc anno Iubilæo, ipſo die S. Benedicti, à Reuerendo admodùm Domino D. Edmundo Iouuent Pręſule Alnenſi, Ordinis Ciſterçienſis per Pa-

triam

triam Leodienſem Vicario generali; eidem adſiſtentibus Patrinis, Ampliſſimis Dominis D.D. Hieronymo Marlier S. Giſleni, & Archangelo Michel Haſnonij Abbatibus; ex quo die hoc ei dictum familiare; *Tempus prope eſt.* Faxit Deus, vt tanto ambitu à ſuis petitus, & tanto datus, longâ & felice vitâ perfruatur; eaque durante, ſic tempore tempora temperet, vt piè, iuſtè, & circumſpectè dignitatis ſuæ munia exequatur.

Finirem, niſi me tantiſper hîc in calce detinerent tot Procerum monumenta in huius Eccleſiæ Choro, Naui, & Clauſtro ſub varias apſides pertuſis muris olim compoſita; non enim mos antiquitùs erat intra templa ſepeliri, ſed ante eorumdem porticus & limina. Quod euidenter patet in antiquis Flandriæ Foreſtarijs, Harlebecæ prô templi veſtibulo ſepultis; & notanter legitur de Wiberto & Adâ Lætiæ fundatoribus, quòd in porticu Eccleſiæ tumulati fuerint. Sic & hîc magna pars in Clauſtro, quamuis tamen nonnulli in Choro, & Naui; ſignanter illuſtris Dominus *Ingelbertus de Angiâ*, qui cum dominâ Maria de Lalaing conſorte, ſub regali monumẽto iacet iuxta venerabile Ciborium; nec-non præpotens Dñs *Nicolaus*

Digitized by Google

de Condato, qui cum dominâ Catharinâ de Carency vxore ſuâ, quieſcit ad Eccleſiæ ingreſſum ſub pretioſo marmore, ad tres pedes è terrâ ſublato. Inſuper alij multi è pręcipuis totius Prouinciæ familijs in ambitu iacent, quibus recenſendis ex inſtituti mei intentione non immoror; hoc dumtaxat pro coronide adijçiens, quòd pro nobilium hîc ſepultorum magnificentiâ & numero, Camberona dici poſſit *Hannonicæ nobilitatis cœmiterium.* Et verò ſummo honori olim ſibi attribuebant Magnates, ſi hîc poſſent ſepeliri, & Necrologio, aut Miſſali inſcribi, pro obtinendis precum ſuffragijs.

Huius rei gratiâ, finio in memoriâ præfati Reuerendiſſimi D. *Ioannis Cœne* huius Eccleſiæ XXXV. Abbatis, an. 1649. 14. Oct. Bruxellæ mortui, dum nouum S. Bernardi apud Antuerpiam Præſulem nouiſſimè benedixiſſet; cui de omnibus bene merito, & ideò omnium auxiliaribus precibus condigno, monumentum hoc ære perennius, honoris, amoris, & moris ergò L. V. Q. dedico.

Virginei lugete chori, lugete viriles;
Belgicus amiſſum lugeat Ordo Patrem.
Veſter enim Patriarcha iacet; ſed & Hannia luge;
Namq; decus Statuũ, vel magis Atlas obît.

Ecquis

Digitized by Google

Ecquis Atlas? virtute potens, ſermone diſertus,
Viuidus ingenio, conſilioq́; ſagax.
Hinc foris atque domi præclara negotia geſſit,
Quæ memori volitant laude per ora virûm.
Et tamen eximijs pollens tot dotibus Abbas,
Prô dolor! externâ mortuus vrbe tacet.
Væ tibi Cambronium, niſi par ſucceſſerit Abbas!
Namque tuo capiti dempta corona perît.

ALIVD.

Sperabat meliora, *ſibi dum viueret Abbas;*
Mortuus at cunctis, iam meliora *tenet.*
Vixit, rexit, obît cum laude; proinde meretur
Optima quæque polo, qui meliora *ſolo.*
Cedat vt illud ei, dic verba precantia Lector;
Lumina, thus & aquam tuba quotannis habe.

de Condato, qui cum dominâ Catharinâ de Carency vxore ſuâ, quieſcit ad Eccleſiæ ingreſſum ſub pretioſo marmore, ad tres pedes è terrâ ſublato. Inſuper alij multi è pręcipuis totius Prouinciæ familijs in ambitu iacent, quibus recenſendis ex inſtituti mei intentione non immoror; hoc dumtaxat pro coronide adijçiens, quòd pro nobilium hîc ſepultorum magnificentiâ & numero, Camberona dici poſſit *Hannonicæ nobilitatis cœmiterium.* Et verò ſummo honori olim ſibi attribuebant Magnates, ſi hîc poſſent ſepeliri, & Necrologio, aut Miſſali inſcribi, pro obtinendis precum ſuffragijs.

Huius rei gratiâ, finio in memoriâ præfati Reuerendiſſimi D. *Ioannis Cœne* huius Eccleſiæ XXXV. Abbatis, an. 1649. 14. Oct. Bruxellæ mortui, dum nouum S. Bernardi apud Antuerpiam Præſulem nouiſſimè benedixiſſet; cui de omnibus bene merito, & ideò omnium auxiliaribus precibus condigno, monumentum hoc ære perennius, honoris, amoris, & moris ergò L. V. Q. dedico.

Virginei lugete chori, lugete viriles;
Belgicus amiſſum lugeat Ordo Patrem.
Veſter enim Patriarcha iacet; ſed & Hannia luget;
Namq; decus Statuū, vel magis Atlas obît.

Ecquis

Ecquis Atlas? virtute potens, ſermone diſertus,
Viuidus ingenio, conſilioq; ſagax.
Hinc foris atque domi præclara negotia geſſit,
Quæ memori volitant laude per ora virûm.
Et tamen eximijs pollens tot dotibus Abbas,
Prô dolor! externâ mortuus vrbe tacet.
Væ tibi Cambronium, niſi par ſucceſſerit Abbas!
Namque tuo capiti dempta corona perît.

ALIVD.

Sperabat meliora, *ſibi dum viueret Abbas;*
Mortuus at cunctis, iam meliora *tenet.*
Vixit, rexit, obît cum laude; proinde meretur
Optima quæque polo, qui meliora *ſolo.*
Cedat vt illud ei, dic verba precantia Lector;
Lumina, thus & aquam tuba quotannis habe.

CAPVT IV.

De minoribus S. Benedicti Cœnobijs.

ILluſtrioribus pleriſq; Benedictinorum Hannoniæ Abbatijs annexa ſunt Monaſteriola, quæ Præpoſituras, Prioratus, aut Cellas vulgò nuncupant; in quibus duo, aut tres Monachi commorari ſolent; tum vt à Cœnobio, in quo frequentiores ſunt, velut in coloniam tranſmittantur; tum vt bona Cœnobij circumiacentia ſtudioſiùs curentur, tutiuſq; poßideantur. Sic D. Vedaſti Monaſterio ſubiacet Præpoſitura Haſprenſis, Haſnonio Præpoſitura B. Mariæ Maioris Valencenis, Marcenæ Prioratus Hamaticenſis, Aquicincto Aimerienſis, Lobio Monaſterienſis in Faniâ, & quidam alij his, & illis Abbatijs; de quibus, (vt membra ſuo capiti connectantur) deinceps breuiter agam, ſeruato vbique antiquitatis ordine, minimè verò dignitatis, qui ſi obſeruandus eſſet, primatum habere deberent Haſpra, & Aimeria, *quia prioris loci Præpoſitus, & Prior alterius,*

rius, cum cæteris Hannoniæ Prælatis ſedem, & ſuffragium habeant in Prouinciæ Statibus.

De cætero nullus mihi improperet de præferentiâ, aut poſtpoſitione, ego enim temporis ordinem ſequor; & propterea cæteris præponendus venit Hamatici Prioratus, de quo hæc pauca ex multis habe.

DISTINCTIO I.

Hamaticum S. Petri.

QVo præciſè anno fundatum ſit hoc monaſterium, nuſquam in ſcriptis reperi; nuper interim audiui à R. D. Præpoſito Marchianenſi initiatum fuiſſe an. 628. & fortè antè, quia S. Gertrudis vidua, eiuſdem fundatrix, diuam Rictrudem Marchianenſis Cœnobij an. 630. inchoatricem, æuo præceſſerit. *Anno 628.*

Vt vt ſit de fundationis anno, hoc certum maneat, quòd dicta S. Gertrudis idipſum inchoârit; eâ autem defunctâ an. 655. perfecit, & pleniùs dotauit S. Euſebia proneptis. Huius mei dicti teſtem aduoco Baldericum Lib. 2. Cap. 27. *In villâ* (inquit) *Hamatgia, beata Chriſti famula Euſebia, ex rebus hæreditarijs Eccleſiam ſtruxit, quam ſanctimonialibus conſtitutis, etiam ipſa Abbatiſſa,*

pro

pro modo facultatis, multâ ope dotauit; quæ nunc per ſæcularitatem multùm delapſa, vix paucos Canonicos habet. Ex quibus verbis ſat euidens eſt, Hamaticum, fuiſſe primitùs parthenonem Virginum; poſtea verò Collegium Canonicorum, quibus ſubſtituti fuerint Monachi, anno probabiliter 1028. quo etiam ipſi eiectis Marcenâ virginibus ſubrogati ſunt.

Ab eo tempore vſque nunc, manet Prioratus Marchianenſis Cœnobij, vulgò *Hamage* nuncupatus, à quo diſtat vnius horæ quadrante: Eſt tamen in Hannoniæ Prouinciâ iuxta pagum *de VVandegnies*; quem vnus, alterue Monachus incolit ſub vnius Prioris iuriſdictione; quâ hodie vtitur R. Domnus *Iacobus le Sueur* Atrebas.

DISTINCTIO II.

VVaſterum S. Petri.

Anno 640. NOmen id habet à Waſſero fluuio, originem à S. Landelino, & dotem à Dagoberto Francorum Rege. Fundationem breuiter exprimit *Baldericus Lib. 2. Cap. 33. In villâ*, inquit, *VVaſtero beatus Landelinus monaſterium ad paucos fratres condidit, cui S. Dodonem bonæ memoriæ virum præfe-*

cit,

cit, &c. Sed quo id anno contigerit, nec dictus Author, nec *Coluenerius* eiuſdem interpres exprimunt; proinde ad alios recurrendum.

Miræus donationum Belgicarum Lib. 2. Cap. 1. & 2. duo diplomata recitat; primum quidem dicti Regis Dagoberti, an. 640. donantis S. Landelino prædium Waſlare, ad exſtruendum ibi Monaſterium, & ſic incipit: *Regia Maieſtatis excellentiam.* Alterum verò S. Autberti, id donum in ſuam protectionem ſuſcipientis, quod ſic incipit: *Ad noſtram curam, & ſollicitudinem.*

Primus autem huic loco præfuit S. Dodo, non quidem vt Abbas (nec enim pingitur cum baculo paſtorali) ſed vt quiſpiam Superior, aut Prior; nec etiam ad mortem, quia abdicatâ dignitate, in vicino loco ſe recluſerit, videlicet *Monaſterij in Faniâ*, vbi & ſanctè obijt.

Cæterùm poſt Waſleri reparationem à Theodorico Ep. Cameracenſi factam an. 844. vt refert *noſter Baldericus Lib. 1. Cap. 41.* Nordmannorum, aliorumque barbarorum illuuies ſuperuenit; à quibus id Monaſterium (vti & alia multa Belgica) euerſum ſit, eiuſdem dote ad prælibatam S. Dodonis cellam tranſlatâ.

DISTIN-

DISTINCTIO III.

Monaſterium S. Dodonis.

PHyſici pro maximâ tenent, quòd *corruptio vnius, generatio alterius ſit*; ſic & hîc dici poteſt, quòd præmiſſi Waſleri ruina, ex ſuperfluis ſuis bonis, Monaſterij Prioratum generârit, Lobijs ab eo tempore vſque nunc ſubiectum, & Parochiæ de Bauiâ accenſitum; vbi & hodie (ſaltem ante hæc bella) S. Dodonis corpus aſſeruari ſolet, eiuſque tumbam in veteri quopiam ſacello, aut cellulâ videre eſt.

Eiuſdem S. Patroni Reliquiæ circumferri ſolent Dominicâ poſt S. Lambertum in Sept. quo die præcipua loci ſolemnitas. Hodie Priorem agit R. Dominus *Adrianus Delbecq*, Lobijs, adinſtar pręcedentium, tranſmiſſus.

DISTINCTIO IV.

Hunia, & quidam alij Prioratus Lobienſes.

SVbnectenda hîc eſſet Hunnia (vulgò *Hein*) ab Hunnis ſic dicta, primo à Traſi-

Traſinijs lapide ſita in Parochiâ de Iumet; ſub annum 909. vel 911. Lobienſibus ad incolendum data per Stephanum Epiſcop. Leodienſem, pro vt anno 1648. didici ex relatu R. D. *Vrſmari Maurage* ibidem Prioris: Sed quia terra neutralis ſit, Hannoniæ, Namurceſio, Brabantiæ, & Leodienſi Patriæ interiacens, conſultim prætereo; tribus verbis dumtaxat adjiciens, Deiparæ ſignum à deuoto femineo ſexu hîc viſitari qualibet feriâ ſextâ, & inuocari maximè pro mortuis-natis.

Eſt & alius Prioratus Lobio ſubiectus, dictus *Houſdaing* in Arteſiâ, de quo minùs attinet hîc ſcribere, quia ſit extra noſtros limites.

Denique alius Prioratus fuit Lobienſium, vulgò *S. Petri in Hion* iuxta Montes, de cuius euerſione aliquid infra ſuo *loco* perſtringam.

DISTINCTIO V.

Monaſterium S. Quintini Malbodij.

POſtquàm D. Aldegundis ſacræ religionis habitum Altimontij ſuſcepiſſet, illicò Malbodium reuerſa, pro *Anno 644.*

nobi-

nobilibus puellis monaſterium fundauit anno 644. quarum ſpirituali regimini vt proſpiceret, diui Benedicti Monachos (iuxta decretum Toletani Concilij tunc recẽs editi, an. videlicet 638.) ijs ipſis præfecit; quorum hodie vices ſupplent Canonici Malbodienſes, pro vt in fine huius operis ſuo loco dicam.

DISTINCTIO VI.

Monaſterium S. Petri Montibus.

Anno 649. BEata Waldetrudis mariti exemplo Monaſticen amplexa, diui Petri Eccleſiam Cellæ ſuæ contiguam dotauit, collocatis in eâ Monachis, probabiliter Altimontio euocatis, vt ſtatis horis, in ſacrâ virginum æde, diuinis operarentur, & ſpirituali earumdem directioni præſiderent: Quo quidem miniſterio etiamnum funguntur diui Germani Canonici, dictorum S. Petri Monachorum præbendis in rem Dionyſiani Monaſterij ab an. 1084. conuerſis; vnde & huius loci Abbas dictarum virginum Canonicarum primitiuus Paſtor manet.

§. *VI.*

DISTINCTIO VII.

Haſprenſis Præpoſitura.

ILluſtris hæc Præpoſitura tam antiquitatis, quàm dignitatis titulo, Cameraco & Valencenis interiacet, refertque ſua exordia ad Pipinum Herſtallium anno 692. accepta, primis Monachis Gemetico euocatis; quorum poſtmodò curæ & cuſtodiæ, ſæuientibus in Galliâ Nordmannis, corpora SS. Aichadri, & Hugonis commiſſa fuiſſe legimus. *Anno 692.*

Temporis intereà progreſſu, quia Gemeticenſis proprius horum *Monachorum Abbas longè aberat, eosq; rariſsimè pro difficultate longinquitatis viſitare ſolebat, in libertate ſoluti ſæculum ſectabantur, inregulariterq; viuentes vſque ad tempora Gerardi Epiſcopi, abſque rectore, periclitabantur*, vt narrat *Baldericus* Lib. 2. Cap. 25. per totum. Quod dictus Epiſcopus animaduertens, & fortè hac cum Leduino Abbate ſancti Vedaſti tranſiens, eundem ſalubri conſilio hortatus, poſt aliquot inde dies effecit, vt Vedaſtini Anglicuriam in Gallis ſitam, in ſum Gemeticenſium, ipſi verò Haſpram vſum Vedaſtinorum cederent. Quæ quidem

quidem permutatio ad melius bonum ex æquo facta, coram Roberto Francorum Rege, & Balduino Hannoniæ Comite, à partibus confirmata fuit Rothomagi an. probabiliter 1024. aut 1044. iuxta præfati Leduini Abbatis diploma, quod ſic incipit · *Principi æternitatis Domino noſtro Ieſu Chriſto, &c.*

Eâ autem permutatione factâ, dictus Abbas *vt ædificator idoneus* (dicti Balderici textum reſumo) *locum cum ſummo ſtudio, ad laudem & venerationem Sanctorum, qui ibidem quieſcunt, emendauit, nouiſq; ædificijs, & clauſtro regulari inſignire feſtinauit.*

Cæterum huic Cœnobio magni nominis, & ſummæ prudentię Prępoſiti ſępiùs obtigerunt; qualis inter alios fuit eruditus D. Nicolaus Caudrelier poſtmodũ Abbas S. Vedaſti. Superioribus annis pręfuit R. D. *Philibertus de Spinosâ*, an. 1648. Bruxellæ mortuus.

DISTINCTIO VIII.

S. Gaugerici Prioratus Valencenis.

Anno 752. HVius loci valde antiqua eſt fundatio; initium & dotem fecit Pipinus;

ıus ; an. 752. ipſe enim tunc *Valencenas eniens caſtrum reparauit , & infra procin-ꝉum oppidi , Abbatiam Monachorum S. Be-edicti, in honorem S. Gaugerici, inſtituit* teſte *uiſio in ſuis Chronicis.* Sed hîc mihi ſcrupu-*ıs* de Pipino: Alij Pipinum Herſtallium le quo ſuperiùs in Haſprâ tetigi) intel-gunt; alij autem Pipinum Regem Fran-ırum. Eâ opinione inter alios ducitur *Theodoricus Gisbert in ſuâ de S. Saluij Prio-tu Hiſtoriâ*; vbi ad annum 965. enarrat, ıòd S. Bruno Archiep. Colonienſis, di-ıs Hannoniæ Reformator , indulſerit, emorientibus S. Saluij Canonicis, di-ı Monachi Gaugericiani, vnus poſt aliũ, ulatim ſuccederent, ijſque deinceps ollegiatæ Eccleſiæ bona accederent : ıod anno demum 1106. integrè & tota-er completum; dictorum veterum Mo-chorum Eccleſiâ ab iſto æuo Parochiæ ımen retinente, eiuſque Patronatu ad Saluij Priores pertinente.

DISTINCTIO IX.

Salechij Prioratus apud Quercetum.

AD octauum ſæculum referendus vi-detur Prioratus iſte Maricolenſium, *Anno 800. aut for tè vl-tra.*

 in

Digitized by Google

in quo, ante Nordmannorum tempora, monaſticâ religione, magnaque ſanctitate floruit diuus Quinibertus. Quo autem tempore hic vixerit, vel quis eum Epiſcopus à terrâ leuauerit, ignoratur.

Sed & nobis incertum, quo præcisè anno, quoue authore, & cuius Sancti titulo conſtrui cœperit hic locus; Certum nihilominùs per barbarorum factiones intercidiſſe, à quibus & prælibati Sancti legenda, & res geſtæ abſumptæ ſint; ne modico quidem Cœnobij veſtigio ad memoriam relicto: Superſunt tamen eiuſdem Sancti Reliquiæ in Parochiali Eccleſiâ, ex quâ nonnulla pars ſuperioribus annis Maricolas tranſlata ſit, argenteo locello ibidem incluſa.

DISTINCTIO X.

Prioratus de Alemannis in Franciâ; Item alius Perüeti in Hannoniâ.

Sub annum 810. S. Elephas Giſleniani Cœnobij Præſul à Carolo Magno creatus, eiuſdem fauore, bonorum ſuorum partem dedit, ad erigendum in villâ *de Alemannis* iuxta

Sueſſio-

Sueſſionem Prioratum; poſtmodò *parui S. Giſleni* titulo tranſnominatum. Quæ quidem donatio inter annos 800. & 815. facta (nec enim præciſum annum reperi) à dicto Imperatore eiuſdem conſanguineo adprobata fuit, & poſtmodùm ab Vrbano II. confirmata, pro vt conſtat ex eius literis huius monaſterij bona confirmantibus. Deſijt tamen hodie Prioratus iſte, altero enim ſeculo alienatus fuiſſe ſcribitur à Reuerendiſſimo D. Carolo Croyo Epiſcopo Tornacenſi, & huius loci quadrageſimo quarto Abbate.

Fuit & quondàm Prioratus alter in *Perûet*, S. Giſleni monaſterio ſubditus; ſed quando, quóue authore initiatus fuerit; quoue tempore, & quam ob cauſam eſierit, hactenus me latet. Audiui R. D. Auguſtino Crulay vltimo piæ memoriæ Abbati, eam quandoque fuiſſe mentem, vt aliquot è ſuis Religioſos poſtliminiò hîc reſtitueret; maximè ex quo *Diua Virgo à iuſto Succurſu* indigetata, miranda hîc operatur; Sed eâ re per eius mortem infectâ adhuc manente, de primâ huius Prioratus fundatione deinceps erudiri peto, vt ſecundis curis reſtituam, quod hîc omiſi.

Digitized by Google

DISTINCTIO XI.

Præpoſitura Beatæ Mariæ Valencenis.

Anno 1081. DE hac S. Mariæ maioris Præpoſiturâ Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectâ, ſic obiter ſcribit *Leſſabæus in ſuâ Hannoniæ Topographiâ: Inter Curiata Valencenenſis oppidi templa præcipuum eſt Deiparæ, cui Summæ cognomen inditum, venuſtæ ad miraculum vetuſtatis. Balduinus filius cum Richilde matre, miro lapideo tabulatu perfecit, permiſitq. Haſnonienſibus Cœnobitis ibidem penſum Eccleſiaſticum perſoluturis; atque eâ de cauſâ, in ſolemnibus ad natæ Virginis ſupplicationibus, Abbas inter infulatos Ordinis ſui Antiſtites Primatem agit.*

Sed totam rem paulò clariùs explicare iuuat per duo diplomata: Primo quidem narratur, qualiter Balduinus & Richildis pro redemptione animarum ſuarum ędificârint Valencenis, ad Clericorum vſus, quoddam Oratorium ſub titulo B. Mariæ, & S. Fidis virginis an. 1081. quod ab ijs priùs dotatum, prætactus Balduinus poſt matris obitum (euenit hic an. 1086.) annuente

nuente Gerardo II. Epiſcopo Cameracenſi (atrio Monaſterij iam tunc ab eo benedicto)tradidit S.Petro Haſnonij Patrono, ſub manum Lotberti II. Abbatis, *eâ ratione, & diſpoſitione, vt ibidem Fratres ſub habitu monachali & normâ Deo dilecti patris Benedicti Christo militantes conſtitueret, & tanquam propriam Cellam, abſque vllius refragatione, perpetuo iure poſſideret*, Ita loquitur Balduinus in ſuo diplomate, cuius tale principium eſt: *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis; Balduinus dono Dei Comes de Montibus, &c.*

Altero diplomate narratur, quâ ratione præcitatam donationem confirmârit Gerardus Epiſcopus; qui & prædicti Lotberti petitione, inſignem huius loci Baſilicam cum atrio conſecrauit; quâ de re pleniſſimam fidem faciunt eiuſdem literæ eo tenore incipientes: *Ego Gerardus ſanctæ Cameracenſis Eccleſiæ Epiſcopus, notum volo fieri &c.*

Iamverò quòd pertinet ad huius Eccleſiæ pulchritudinē, reliquias, priuilegia, & anniuerſariam proceſſionem, in Natali Deiparæ cum totius vrbis lætitiâ recoli conſuetam, eò quòd ſingula alibi deſcripſerim, prætereo, ne longior ſim: Sed pro mantiſsâ breuiter dico, hanc ipſam Præ-

 poſi-

DISTINCTIO III.

Monaſterium S. Dodonis.

PHyſici pro maximâ tenent, quòd *corruptio vnius, generatio alterius ſit*; ſic & hîc dici poteſt, quòd præmiſſi Waſleri ruina, ex ſuperfluis ſuis bonis, Monaſterij Prioratum generârit, Lobijs ab eo tempore vſque nunc ſubiectum, & Parochiæ de Bauiâ accenſitum; vbi & hodie (ſaltem ante hæc bella) S. Dodonis corpus aſſeruari ſolet, eiuſque tumbam in veteri quopiam ſacello, aut cellulâ videre eſt.

Eiuſdem S. Patroni Reliquiæ circumferri ſolent Dominicâ poſt S. Lambertum in Sept. quo die præcipua loci ſolemnitas. Hodie Priorem agit R. Dominus *Adrianus Delbecq*, Lobijs, adinſtar pręcedentium, tranſmiſſus.

DISTINCTIO IV.

Hunnia, & quidam alij Prioratus Lobienſes.

SVbnectenda hîc eſſet Hunnia (vulgò *Hein*) ab Hunnis ſic dicta, primo à Traſi-

Traſinijs lapide ſita in Parochiâ de Iumet; ſub annum 909. vel 911. Lobienſibus ad incolendum data per Stephanum Epiſcop. Leodienſem, pro vt anno 1648. didici ex relatu R. D. *Vrſmari Maurage* ibidem Prioris: Sed quia terra neûtralis ſit, Hannoniæ, Namurceſio, Brabantiæ, & Leodienſi Patrïæ interiacens, conſultim prætereo; tribus verbis dumtaxat adjiciens, Deiparæ ſignum à deuoto femineo ſexu hîc viſitari qualibet feriâ ſextâ, & inuocari maximè pro mortuisnatis.

Eſt & alius Prioratus Lobio ſubiectus, dictus *Houſdaing* in Arteſiâ, de quo minùs attinet hîc ſcribere, quia ſit extra noſtros limites.

Denique alius Prioratus fuit Lobienſium, vulgò *S. Petri in Hion* iuxta Montes, de cuius euerſione aliquid infra ſuo loco perſtringam.

DISTINCTIO V.

Monaſterium S.*Quintini Malbodij.*

POſtquàm D. Aldegundis ſacræ religionis habitum Altimontij ſuſcepiſſet, illicò Malbodium reuerſa, pro Anno 644. nobi-

nobilibus puellis monaſterium fundauit anno 644. quarum ſpirituali regimini vt proſpiceret, diui Benedicti Monachos (iuxta decretum Toletani Concilij tunc recẽs editi, an. videlicet 638.) ijs ipſis præfecit; quorum hodie vices ſupplent Canonici Malbodienſes, pro vt in fine huius operis ſuo loco dicam.

DISTINCTIO VI.

Monaſterium S. Petri Montibus.

Anno 649. BEata Waldetrudis mariti exemplo Monaſticen amplexa, diui Petri Eccleſiam Cellæ ſuæ contiguam dotauit, collocatis in eâ Monachis, probabiliter Altimontio euocatis, vt ſtatis horis, in ſacrâ virginum æde, diuinis operarentur, & ſpirituali earumdem directioni præſiderent: Quo quidem miniſterio etiamnum funguntur diui Germani Canonici, dictorum S. Petri Monachorum præbendis in rem Dionyſiani Monaſterij ab an. 1084. conuerſis; vnde & huius loci Abbas dictarum virginum Canonicarum primitiuus Paſtor manet.

§. *VI.*

Digitized by Google

DISTINCTIO VII.

Haſprenſis Præpoſitura.

Illuſtris hæc Præpoſitura tam antiquitatis, quàm dignitatis titulo, Cameraco & Valencenis interiacet, refertque ſua exordia ad Pipinum Herſtallium anno 692. accepta, primis Monachis Gemetico euocatis; quorum poſtmodò curæ & cuſtodiæ, ſæuientibus in Galliâ Nordmannis, corpora SS. Aichadri, & Hugonis commiſſa fuiſſe legimus. *Anno 692.*

Temporis intereà progreſſu, quia Gemeticenſis proprius horum *Monachorum Abbas longè aberat, eosq; rariſsimè pro difficultate longinquitatis viſitare ſolebat, in libertate ſoluti ſæculum ſectabantur, inregulariterq; viuentes vſque ad tempora Gerardi Epiſcopi, abſque rectore, periclitabantur,* vt narrat *Baldericus* Lib. 2. Cap. 25. per totum. Quod dictus Epiſcopus animaduertens, & fortè hac cum Leduino Abbate ſancti Vedaſti tranſiens, eundem ſalubri conſilio hortatus, poſt aliquot inde dies effecit, vt Vedaſtini Anglicuriam in Gallis ſitam, in vſum Gemeticenſium, ipſi verò Haſpram in vſum Vedaſtinorum cederent. Quæ

quidem

quidem permutatio ad melius bonum ex æquo facta, coram Roberto Francorum Rege, & Balduino Hannoniæ Comite, à partibus confirmata fuit Rothomagi an. probabiliter 1024. aut 1044. iuxta præfati Leduini Abbatis diploma, quod ſic incipit. *Principi æternitatis Domino noſtro Ieſu Chriſto, &c.*

Eâ autem permutatione factâ, dictus Abbas *vt ædificator idoneus* (dicti Balderici textum reſumo) *locum cum ſummo ſtudio, ad laudem & venerationem Sanctorum, qui ibidem quieſcunt, emendauit, nouiſq; ædificijs, & clauſtro regulari inſignire feſtinauit.*

Cæterum huic Cœnobio magni nominis, & ſummæ prudentię Prępoſiti ſępiùs obtigerunt; qualis inter alios fuit eruditus D. Nicolaus Caudrelier poſtmodũ Abbas S. Vedaſti. Superioribus annis pręfuit R. D. *Philibertus de Spinosâ*, an. 1648. Bruxellæ mortuus.

DISTINCTIO VIII.

S. Gaugerici Prioratus Valencenis.

Anno 752. HVius loci valde antiqua eſt fundatio; initium & dotem fecit Pipinus;

nais; an. 752. ipſe enim tunc *Valencenas veniens caſtrum reparauit, & infra procinctum oppidi, Abbatiam Monachorum S. Benedicti, in honorem S. Gaugerici, inſtituit* teſte *Guiſio in ſuis Chronicis.* Sed hîc mihi ſcrupulus de Pipino: Alij Pipinum Herſtallium (de quo ſuperiùs in Haſprâ tetigi) intelligunt; alij autem Pipinum Regem Francorum. Eâ opinione inter alios ducitur *D. Theodoricus Gisbert in ſuâ de S. Saluij Prioratu Hiſtoriâ*; vbi ad annum 965. enarrat, quòd S. Bruno Archiep. Colonienſis, dictus Hannoniæ Reformator, indulſerit, vt emorientibus S. Saluij Canonicis, dicti Monachi Gaugericiani, vnus poſt aliũ, paulatim ſuccederent, ijsque deinceps Collegiatæ Eccleſiæ bona accederent: Quod anno demum 1106. integrè & totaliter completum; dictorum veterum Monachorum Eccleſiâ ab iſto æuo Parochiæ nomen retinente, eiusque Patronatu ad S. Saluij Priores pertinente.

DISTINCTIO IX.

Salechij Prioratus apud Quercetum.

AD octauum ſæculum referendus videtur Prioratus iſte Maricolenſium, *Anno 800. aut fortè vltra.*

in quo, ante Nordmannorum tempora, monaſticâ religione, magnaque ſanctitate floruit diuus Quinibertus. Quo autem tempore hic vixerit, vel quis eum Epiſcopus à terrâ leuauerit, ignoratur.

Sed & nobis incertum, quo præcisè anno, quoue authore, & cuius Sancti titulo conſtrui cœperit hic locus; Certum nihilominùs per barbarorum factiones intercidiſſe, à quibus & prælibati Sancti legenda, & res geſtæ abſumptæ ſint; ne modico quidem Cœnobij veſtigio ad memoriam relicto: Superſunt tamen eiuſdem Sancti Reliquiæ in Parochiali Eccleſiâ, ex quâ nonnulla pars ſuperioribus annis Maricolas tranſlata ſit, argenteo locello ibidem incluſa.

DISTINCTIO X.

Prioratus de Alemannis in Franciâ; Item alius Perüeti in Hannoniâ.

Sub annum 810. S. Elephas Giſleniani Cœnobij Præſul à Carolo Magno creatus, eiuſdem fauore, bonorum ſuorum partem dedit, ad erigendum in villâ *de Alemannis* iuxta Sueſſio-

Sueſſionem Prioratum; poſtmodò *parui S. Giſleni* titulo tranſnominatum. Quæ quidem donatio inter annos 800. & 815. facta (nec enim præciſum annum reperi) à dicto Imperatore eiuſdem conſanguineo adprobata fuit, & poſtmodùm ab Vrbano II. confirmata, pro vt conſtat ex eius literis huius monaſterij bona confirmantibus. Deſijt tamen hodie Prioratus iſte, altero enim ſeculo alienatus fuiſſe ſcribitur à Reuerendiſſimo D. Carolo Croyo Epiſcopo Tornacenſi, & huius loci quadrageſimo quarto Abbate.

Fuit & quondàm Prioratus alter in *Perûet*, S. Giſleni monaſterio ſubditus; ſed quando, quóue authore initiatus fuerit; quoue tempore, & quam ob cauſam deſierit, hactenus me latet. Audiui R. D. Auguſtino Crulay vltimo piæ memoriæ Abbati, eam quandoque fuiſſe mentem, vt aliquot è ſuis Religioſos poſtliminiò hîc reſtitueret; maximè ex quo *Diua Virgo à fauſto Succurſu* indigetata, miranda hîc operatur; Sed eâ re per eius mortem infectâ adhuc manente, de primâ huius Prioratus fundatione deinceps erudiri peto, vt ſecundis curis reſtituam, quod hîc omiſi.

DISTINCTIO XI.

Præpoſitura Beatæ Mariæ Valencenis.

Anno 1081. DE hac S. Mariæ maioris Præpoſiturâ Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectâ, ſic obiter ſcribit *Leſſabæus in ſuâ Hannonia Topographiâ: Inter Curiata Valencenenſis oppidi templa præcipuum eſt Deiparæ, cui Summæ cognomen inditum, venuſtæ ad miraculum vetuſtatis. Balduinus filius cum Richilde matre, miro lapideo tabulatu perfecit, permiſitq. Haſnonienſibus Cœnobitis ibidem penſum Eccleſiaſticum perſoluturis; atque eâ de cauſâ, in ſolemnibus ad natæ Virginis ſupplicationibus, Abbas inter infulatos Ordinis ſui Antiſtites Primatem agit.*

Sed totam rem paulò clariùs explicare iuuat per duo diplomata: Primo quidem narratur, qualiter Balduinus & Richildis pro redemptione animarum ſuarum ędificârint Valencenis, ad Clericorum vſus, quoddam Oratorium ſub titulo B. Mariæ, & S. Fidis virginis an. 1081. quod ab ijs priùs dotatum, prætactus Balduinus poſt matris obitum (euenit hic an. 1086.) annuente

nuente Gerardo II. Epiſcopo Cameracenſi (atrio Monaſterij iam tunc ab eo benedicto) tradidit S. Petro Haſnonij Patrono, ſub manum Lotberti II. Abbatis, *eâ ratione, & diſpoſitione, vt ibidem Fratres ſub habitu monachali & normâ Deo dilecti patris Benedicti Chriſto militantes conſtitueret, & tanquam propriam Cellam, abſque vllius refragatione, perpetuo iure poſſideret,* Ita loquitur Balduinus in ſuo diplomate, cuius tale principium eſt: *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis; Balduinus dono Dei Comes de Montibus, &c.*

Altero diplomate narratur, quâ ratione præcitatam donationem confirmârit Gerardus Epiſcopus; qui & prædicti Lotberti petitione, inſignem huius loci Baſilicam cum atrio conſecrauit; quâ de re pleniſſimam fidem faciunt eiuſdem literæ eo tenore incipientes: *Ego Gerardus ſanctæ Cameracenſis Eccleſiæ Epiſcopus, notum volo fieri &c.*

Iamverò quòd pertinet ad huius Eccleſiæ pulchritudinē, reliquias, priuilegia, & anniuerſariam proceſſionem, in Natali Deiparæ cum totius vrbis lætitiâ recoli conſuetam, eò quòd ſingula alibi deſcripſerim, prætereo, ne longior ſim: Sed pro mantiſsâ breuiter dico, hanc ipſam Præ-

poſituram à ſui initio fuiſſe, & eſſe adhuc incorporatam Haſnonio; nec tam dignitatem eſſe, quàm officium, quo laudabiliter hodie perfungitur Dommus *Benedictus Des-Foſſes*, quondàm hîc Parochus, exindeque Prior Haſnonienſis.

DISTINCTIO XII.

Aimeria B. Mariæ.

Anno 1088. HVius loci apud municipium de Berlaymont ſiti, ea dignitas eſt, vt in publicis Hannoniæ Comitijs eiuſdē Prior inter cæteros Abbates locum, & vocem habeat. De ſitu, & donatione Aquicinctinis factâ ſic breuiter meminit *D. Franciſcus Bar Prior Aquicinctenſis* an. 1606. mortuus, optimè in viuis de patriâ antiquitate meritus.

Porrò Aymerienſis, ſeu Aymericenſis Prioratus in pago eiuſdem nominis apud Berlaymont inter Landriſium & Malbodium ſitus eſt ad Sambram flumen. Dono accepit Aimericus III. Abbas Aquicinctinus, à Gerardo II. huius nominis Epiſcopo Cameracenſi anno 1088. Concordat tempus; nam eo anno dictus Aimericus, ſeu Hamericus, Alelmo in

tertium

tertium Abbatem ſuffectus fuit.

Ab eâ donatione Aquicinctini iuris Prioratus manet, & honorario triplicis perſonæ titulo gloriatur, videlicet Prioris, Decani, & Theſaurarij, propter Epiſcopalem iuriſdictionem (quam hîc, & in vicino pago de *Aulnoit* exercent) ipſis immediatè delegatam à Prælato Aquicinctenſi; ipſi, ſuiſque præceſſoribus, ac ſucceſſoribus, Apoſtolicæ Sedis fauore, competentem, pro vt clariùs, & latiùs ſecundis curis exponam.

Prioris dignitate modò decoratur *Reu. D. Maximilianus de Baſſecourt*, frater D. Adalbaldi Cœnobitæ Marchianenſis, hodie apud Binchium (vt audio) Præpoſitâ deſignati.

DISTINCTIO XIII.

Fidemij Prioratus in Berlaymont.

VT Aimeriæ ſitu proximum eſt Barlemontium, ſic & fundationis tempore proximus huius loci Prioratus; cuius fundationis annum ſubijcio, licèt fundatorem necdum ſcire potuerim. *Anno* 1100.

Inſtitutum fuiſſe anno 1100. aut circiter,

citer mihi retulit *Rev. D. Andreas Pottier*, modernus ibi Prior, quondàm Præpoſitus S. Andreæ in Caſtello Cameraceſij; necnon ſpeciali domicilio, ac ſacello haud longè ab iſto municipio fuiſſe inſtructum. Sed vtraque nunc perierunt per hęc Francorum bella; qui & parochialem Eccleſiam cum adſito caſtro ſubiectis ignibus concremârunt an. 1637. adeò vt antedictus Prior à primitiuâ domo profugus, alibi ſedem fortunarum figere cogatur. Plura ad maiorem huius loci notitiam, ex eius *ad Balderici Chronicon Supplemento*, ſecundis curis ſperare liceat.

DISTINCTIO XIV.

Donum-Petri S. Ettonis.

Anno 1160. A morte S. Ettonis (quæ euenit circa annum 654.) aliquot hîc Canonici reſederunt, teſtante id *Balderici Chronico Lib.* 2. *Cap.* 34. ſed quamdiu, incertum. Certius autem, quòd Guilielmus de Dono-Petri, Monachus & Acolythus (vt habet Lætiæ Chronicon) Lætienſi Monaſterio hunc ipſum locum donârit anno 1160. eâ conditione, vt domnus Abbas diuinum illic

illic officium per ſuos deinceps fieri ordinaret, dictique Sancti corpus exinde amoueri non pateretur, pro vt conſtat ex literis Nicolai Epiſcopi Cameracenſis an. 1162. datis, eo tenore incipientibus : *In nomine Domini, Amen. Ego Nicolaus &c.*

Verùm propter inſtantem neceſſitatem in vtroque à ſanctâ Sede diſpenſatum fuit an. 1556. nam & ſacrum pignus ob bella Lætias tranſlatum, & Monachi inde reuocati. Remanet autem Donum-Petri filia Eccleſiæ Fiſciacenſis, & Lætiæ Prioratus; quamuis hodie nullus ibi Monachus, ſed ſæcularis Presbyter immoretur.

DISTINCTIO XV.

Aliquot alij Prioratus Lætienſes.

FVerunt, & ſunt hodie quidã alij Prioratus Lætiæ Monaſterio ſubiecti, notanter *Sartum-Monachorum* apud Goſceliam in Namurceſio, in quo & ſecularis Presbyter vice Monachorum degit.

Fuit & alter iuxta Athum, vbi nunc aſſenſu & Capituli Lætienſis (ad quorum Patronatum locus hic pertinebat) Abbatiſſa & Moniales Ordinis Ciſtercienſis hodie

hodie reſident ab anno 1234.

Fuerunt & alij duo, vnus in *Fontanella* apud Capellam Franciæ oppidum, & alter *in Toruoy*. Vtriuſque fundationes lubens volenſque hîc prætereo; aliàs, vbi innotuerint, ſuo loco & tempore deſcripturus.

DISTINCT. XVI. ET VLTIMA.

Aliquot alij Prioratus, & Prepoſituræ.

Priche. PRæmiſſis annecti poteſt *Præpoſitura de Priche* ad Binchienſis oppidi muros ſita; quem locum aliquot Monachi è Marchianenſi D. Rictrudis Cœnobio (à quo hodieque dependet, velut & feudum de *Battegnies* intra vrbem) tranſmiſſi, ante octoginta annos incoluerunt, ſub vnius Præpoſiti regimine diuina officia ſimul peragentes. Fundum libertate donauit Ioanna Hannoniæ Comitiſſa: adeò vt dolendum ſit eandem libertatem per hæc bella violari, eaque-propter locum deſeri. Nuper interim, ad bonorum eius conſeruationem, eò loci immiſſus fuit R. D. *Hugo du Trieu* noſter olim in humanioribus Collega; quo ad meliora in cœlis nouiſ-

ſimè

ſimè euocato, nouus huius loci Præpoſitus deſignatus eſt R. D. *Adalbaldus Baſſecourt*, à quo plura deinceps ſpero.

Fuit & olim Prioratus alius in Parochiâ de Silly, qui hodie villa *de Bronfaut* dicitur, S. Marculphi memoriâ celebris; quam illuſtris dominus Ægidius de Traſegnies diui Adriani apud Gerardi-montes Cœnobio dedit an. 1180. velut legitur in eiuſdem loci regeſtis: Sed modò deſijt; pro vt alia nonnulla huius inſtituti Benedictini Monaſteria, quæ aut principalium Cœnobiorum incuriâ, aut bellorum iniuriâ alijs vſibus nunc ſubſeruiunt. *Bronfaut.*

Certè, ne belli exempla longè petamus, hoc ipſum viderunt Maiores noſtri anno 1572. in parochiâ de Hion iuxta Montes; vbi cùm extra Gueritæ portam vſque tum ſtetiſſet *Capella S. Petri cum adiuncto Prioratu Lobienſi*, per vrbis ab hoſte occupationem penitùs euerſa fuit; ſaluo interim eiuſdem S. Apoſtoli dente intra vrbem ad Refugium delato; ipſiusque fundi maceriâ peſtiferorũ ſepulturæ poſtmodò deputatâ. *S. Petrus in Hion.*

An verò alij à præmiſſis olim fuerint, aut modò ſint Prioratus, vel Præpoſituræ, vt vnus ſcire omnia non poteſt, fateor me ex nunc non ſcire. Rogo interim Lectores meos, vt ſi quos alios, vel alias à præmiſ-

præmiſſis reſciant, aut fortè deinceps nouerint, certiorem de his me reddere non grauentur, vt per ignorantiam à me omiſſa, ſecundæ editioni reſtituere valeam.

CAPVT V.

De Ordine Carthuſianorum.

SANCTVS Bruno Colonienſis, Pariſijs Doctor, Rhemis Canonicus, mortui voce commotus, anno 1084. abdidit ſe cum ſex socijs in Carthuſiæ ſolitudinem, vbi Carthuſianorum Ordinem auſpicatus eſt. Obijt anno 1101.

Poſt primam Ordinis ſui ſub regulâ diui Benedicti militantis Eccleſiam, in honore Deiparæ conſtructam, Sanctis anno demum 1514. adſcribitur.

A dicti Ordinis exordio (ſextum iam agitur ſæculum)

Per tria, Si. So. Vi. Carthuſia permanet in vi.

Id eſt ſilentium, ſolitudinem, & viſitationem

Supe-

Digitized by Google

Superiorum: quamuis tamen vnicum Calabriæ Monaſterium à primo S. Brunonis feruore degenerârit per diſſitorum Viſitatorum abſentiam; proinde ad Ciſterncienſe inſtitutum tunc recens exortum tranſijt; & Ciſtercienſi religione paulatim ibi decreſcente, tandem Leo X. Pontifex diui Brunonis ſanctitate motus, eiuſdem feſtum omnibus Ciſtercienſium Eccleſijs quotannis celebrandum indixit, dictumq; Calabriæ Monaſterium, in quo eiuſdem ſancti Patriarchæ corpus requieſcit, à Ciſtercienſibus ad Carthuſianos reuocauit anno prædicto 1514. vbi & nunc Carthuſiano more viuitur.

Habet autem Belgium Carthuſias circiter viginti, præcipuis vrbibus, aut ſuburbijs incluſas, quarum omnium vetuſtior Audomarenſis, an. 1198. inchoata. Vno pòſt ſæculo initium ſumpſit Valencenenſis, alteroq; ſubſequente ſæculo Angienſis; omnium verò nouiſſima eſt Armenterienſis, anno demum 1618. fundata; quæ cùm ad nos non pertineat, ad præmiſſas Angienſem, & Valencenenſem eius matrem, calamum transfero.

DISTIN-

DISTINCTIO I.

Domus B. Mariæ de Macourt.

Anno 1293. CElebris hæc Carthuſia omnium Belgij ſecunda, iuxta Cameracũ primitùs initiata fuit an. 1288. in hodierno Minoritarum fundo per Ioannem de Aueſnis Hannoniæ Comitem, cooperante Guilielmo de Hanno niâ Epiſcopo Cameracenſi, eiuſdem fratre. Sed inde ob loci incommoda, iuxta Valencenas in Marlis tranſlata fuit an. 1293. conſtructa Eccleſiolâ de, & ſub titulo Deiparæ virginis, quæ ab eo tempore vocata fuit *Noſtra Domina de Macourt* ratione fundi.

Temporis autem progreſſu (Patrum numero, & ſimul opibus accreſcentibus) dirutâ eorum primâ Eccleſia, longè capacior reſtructa fuit; eidem ſanctiſſimæ Deiparæ anno 1300. redicata. Sed anno 1339. alia iterum erecta fuit à D. Ioanne de Malbodio Canonico Cameracenſi, in quâ & ipſe ſepultus iacet ante principem aram.

De reliquo damnum eſt tam inſignem ſtructuram in ſuo decore non perſtitiſſe, ſed penitùs cum totius monaſterij corpo-

re

re deſijſſe ſub an. 1566. quo à Gheuſijs eraſa, etiamnum in ſuis ruinis ſepulta iacet, & fortè in æternùm.

Ne interim ex toto periret hæc Domus, R. P. *Ioannes de l'Eſcluſe* tunc Prior, diſperſos Aſcetas in vrbem reuocauit anno 1574. coëmpto Ducis Arſchotani prope S. Nicolaum Refugio, in quo nouam Charthuſiam, *poſtquàm hæreticorum dira rabies priorem illam, quæ in vrbis pomœrio florens conſpiciebatur, ſolo æquâſſet, intra eius muros, hac ſeptam areâ, ſumptus parcimoniâ ſuppeditante, funditùs excitauit*, pro vt his verbis legitur in epitaphio dicti Prioris an. demum 1610. mortui, & in maioris clauſtri ſacello ſepulti.

Illuſtriſſimus D. Ludouicus de Berlaymont Archiep. Cameracenſis, nouæ Eccleſię & clauſtro primum lapidem ſubiecit an. 1575. 17. Martij; quam (atrio priùs ab eodem Archipræſule benedicto) ſacris inunxit an. 1582. 22. Iulij, Reuerendiſſimus D. Andreas Francquart eiuſdem. Suffraganeus, præfixo dedicationis anniuerſario ad Dominicam S. Magdalenæ feſto prę uiam.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO II.

Capella B. Mariæ ſecùs Angiam.

Anno 1314. PRiuſquàm in hoc ſyluatico loco Carthuſiæ nomen innoteſceret, quidam recluſus, nomine Theodoricus, è cœlo didicit, quid ſibi portenderent crebra luminaria ſuper aream noctu quondàm demiſſa. Is igitur ritè præſagijt, quod poſtmodùm rei probauit euentus. Vt autem eius vaticinium adimpleretur, Prædicatores, & exinde Hoſpitalariæ ſorores locum occupârunt, ſed non diu tenuêre; nam hæ, & ipſi per Dominum à loco viciſſim depulſi ſunt.

Tandem verò Walterus, non autem Segerus (vt refert *D. Colins in ſuâ Angiæ Hiſtoriâ*) huius nominis III. Dynaſta, cùm dudum decreuiſſet circa *Capellam B. Mariæ*, religioſum Conuentum fundare, auditâ Carthuſienſis Ordinis ſanctitate, hunc aduocare voluit, ſed morte præuentus haud potuit: Quod an. demum 1314. per eius Teſtamenti executores impletum, primorũ Patrum coloniâ Valencenis euocatâ.

Adhæc Walterus præcedentis filius, parentis

rentis legata ratificans, huic Domui benefacere viſus eſt; ſicut etiam Zegerus, & Walterus eiuſdem hæredes continuârunt; nec-non his ſuffecti *Lutcemburgici*, in quibus *Petrus à Lutcemburgo* cor hîc ſuum ante principem aram ſepeliri voluit an. 1482. Sed & *Borbonij* facti eorum ſucceſſores, hanc quoque Carthuſiam impensè fouerunt ad an. 1606. quo *Princeps Arembergius*, præuiâ emptione Dominus, eandem mirificè dilexit & fouit cum Illuſtriſſimâ ſuâ coniuge D. *Annâ Croyâ*, quæ ſuperliminarem templi feneſtram dedit anno 1634.

Non tamen prętermittendi alij, in quorum numero primus ſit Reuerendiſſimus *D. Ioannes de Haricouriâ* Alexandriæ Patriarcha, nec-non Epiſc. Tornacenſis, exindeque Archiepiſc. Narbonenſis an. 1451. vnius cellæ & hîc, & apud Tornacum fundator. Deinde Illuſtriſſima D. *Margarita d'Yorck* Burgundiæ, & Brabantiæ Duciſſa, præter S. Catharinæ phylacterium, & plurima alia huic Eccleſiæ an. 1473. data, aliam itidem cellam fundauit: Imò eovſque hunc locum dilexit, vt visâ aliquoties Religioſorum ſanctitate, ijſdem cōtumulari optârit; quod aliquatenùs impletū, ejuſdem corde in medio Chori ſepulto

pulto cum ſuperſcriptione anni 1500.

Inſuper multi alij (quibus recenſendis breuitatis causâ ſuperſedeo) hanc Domum ſuis medijs promouerunt. Ipſa tamen à benefactis paulò minorata fuit ex duplici fato anni octogeſimi; nam per limitaneos Flandriæ hoſtes an. 1480. Prioris ſui captiuitatẽ, & cæterorum exulium cum magno diſpendio ſuſtinuit. Anno autem 1580. infra Viſitationis B. Mariæ octauam à Ninouiæ Gheuſijs penitùs incenſa fuit, ſolâ Deiparæ ſtatuâ ab ignibus, non ſine miraculo, intactâ remanente, quâ de re latiùs dicam *in Hannoniâ Marianâ.*

Subdere poſſem corollarium de numeroſis huius Eccleſiæ Reliquijs; inſuper de varijs ſanctæ memoriæ Patribus, quorum veſtigijs inſiſtit *R. D. Adrianus Buiick* modernus Prior, miræ abſtinentiæ; ac poſtremò de aliquot Scriptoribus; ſed breuitatis memor, ſingula alibi ſuo tempore perſcribenda ſepono.

CAPVT

CAPVT VI.

De Ordine Guilielmitarum.

SANCTVS Guilielmus Aquitaniæ Dux, à S. Bernardo conuerſus, Eremitarum Ordinem ferè collabentem in tranſ-Alpinâ Galliâ reſtituit; Guilielmitas inſtituit. Moritur anno 1155.

Licèt hunc Ordinem multi ſubyciant S. Auguſtini regulæ, Benedictinæ tamen ſubiectum eſſe conſtat, partim ex ipſius S. Benedicti Regulâ, Breuiario, & Miſſali æquè Guilielmitis, ac Benedictinis proprio; partim etiam ex varys Pontificum Bullis; partim denique ex habitu, quia eodem ferè cum Ciſtercienſibus vtantur; quas quidem rationes ſecundis curis deducam. Cæterùm multa huius inſtituti apud Belgas Cœnobia ſunt; notanter Siluæ-Ducis ab an. 1205. Aloſti, prope Niuellas, Leody, & alia alibi, quorum duo ad rem noſtram pertinent, videlicet Vallis B. Mariæ apud Walincourt, & Mons noſtræ Dominæ in Flobecq.

DISTINCTIO I.

Vallis Beatæ Mariæ apud Walincuriam.

Anno 1255. ETiamſi hic locus ad Hannoniam ſpectare non videatur (cùm in Cameraceſio ſit) quia tamen vicinus eſt, eiuſdemque loci Dominus Par Hannoniæ ſit, tribus verbis hîc dico monaſterium id fundari cœpiſſe an. 1255. ab illuſtri viro Balduino de Dours hærede, & Domino de Walincourt;ita in ſuis Antiquitatibus tradit *D. Franciſcus Bar.*

DISTINCTIO II.

Mons noſtræ Dominæ in Flobecq.

Anno 1283. MAriana hęc domus initium ſumpſit an. 1283. fundata & dotata à quodam Ioanne, Aldenardæ in Flandriâ Domino, vt refert *D. Franciſcus Vinchant in ſuis Annalibus nouiſſimè editis*. Sed modò nõ ſubſiſtit, ideoque plura dicere vetor.

CAPVT VLTIMVM.

De inſtituto Templariorum.

INTER varios Ordines militares ſub Regulâ diui Benedicti militantes, non infimus olim erat Ordo Equitum Templariorum, inſtitutus an. 1118. & à Sede Apoſtolicâ confirmatus in Concilio Trecenſi an. 1127. teſte Spondano, cuius alibi textum recitabo, aliquid interim ſingulare de ipſis breuiter hîc ſcripturus, quia multæ veteres eorumdem memoriæ in Hannoniâ paſsim videantur; licèt ab ipſis in alios vſus modò diſtractæ ſint.

Ab etymo vt ordiar, habent ipſi nomen à templo, quia primitùs habitârint iuxta tẽplum Hieroſolymitanũ. In dicto autem Concilio Trecenſi adſignata eſt ipſis Regula, & veſtis alba: Quæ quidẽ regula 72. articulis diſtincta legitur in Ciſtercienſi Chronico Mirei.

Cæterùm dictus Ordo ſub inſtituto Ciſtercienſi militauit ad an. 1307. quo per Clementem V. Clementinarum conſtitutionum authorem, vniuerſim extinctus, poſtulante Philippo Pulchro Gallorum Rege.

DISTINCTIO VNICA.

Templariorum Hannoniæ Monaſteria.

VAria dictorum commilitonum Templa, ſiue Monaſteria apud nos (velut & in toto Belgio) antiquitùs fuerunt, & etiamnum extant; quorum alia in generali ipſius Ordinis diluuio perierunt, & alia Hoſpitalarijs fratribus S. Ioannis in Hieruſalem donata ſunt.

Dicti autem fratres Hoſpitalarij, *Melitenſes Equites* hodie vocari ſolent, ex quo ab inſulâ Rhodio per Soldanum expulſi, à Carolo V. Melitenſi inſulâ donati ſunt, omnibusq; Templariorũ fundis, cenſibus, & bonis dotati, pro vt fidem nobis faciũt multiplices Hannoniæ Villæ & Tẽpla; notanter *in Marlis* prope Valẽcenas, *in Pieton* apud Binchiũ, *in S. Symphoriano* iuxta Mõtes, *in Ville* ſuper Haynam, *in Frameries*, *in* pago *du Cochet*, *in Sart*, *in Berelle*, & alijs in vicis, quos hîc breuitatis gratiâ prætermitto; hoc vnum dumtaxat pro coronide adijciens, quòd dicti Melitenſes Templarijs ſubſtituti, ſub regulâ diui Auguſtini militent ab anno 1106. quo eorum Ordo inchoatus & approbatus.

Digitized by Google

LIBER II.

Benedictinarum Cœnobia:

CAPVT I.

De inſtituto filiarum S. Benedicti.

SANCTA Scholaſtica ſoror S. Benedicti, ſacrarum Virginum ſub fratris regulâ Deo militantium anteſignana, eodem, quo frater anno, deceſſit in Monaſterio ſuo B. Mariæ de Plombariolâ *apud Italos: vbi frequenquentia ſui inſtituti habet Cœnobia, ſed non æquè multa in Belgio, quæ & virorum monaſterÿs antiquitate non certant; quamuis tamen nonnulli velint Niuellenſe, Thorenſe, Malbodienſe, Montenſe, Dononienſe, & his ſimilia ſecularium hodie Canonicarum Collegia, primitùs fuiſſe Ordinis S. Benedicti.*

Quòd autem hîc ad Hannoniæ monaſteria pertinet, aliquid ſubiectum venio de prædictis Malbodienſi & Montenſi, de Curtiſolrano & Berſelienſi; quibus & alia tria ſubtexam, videlicet Dononienſe, Giſlenghemienſe, & Montenſe ſub titulo Pacis noſtræ Dominæ de nouo excitatum; cuius generis varia hodie in Belgio ſunt; notanter Duaci ab an. 1604. Atrebati 1612. Gerardimontij, Bethuniæ, Namurci, Brugis 1623. & alibi, quarum quidem vrbium Monaſteria prioris Duaceni coloniæ ſunt.

DISTINCTIO I.

Monaſterium B. Mariæ Malbodij.

Anno 646. OBijciant hîc quidam iſtud, & ſequentia duo monaſteria, nunquam fuiſſe ordinis S. Benedicti; ſed contrarium (ſi non euidenter, ſaltem probabiliter, alibi oſtenſurus) dico S. Aldegundem huic ſuo monaſterio initium feciſſe ſub an. 646. pro vt ſubiectis verbis innuit *Baldericus Lib. 2. Cap. 36. Dicendum eſt quoque in Melbodio monaſterium puellarum, quod beata Chriſti virgo Aldegundis ad opus ſuæ conuerſationis ex proprijs prædijs ſtruxit, quod etiam beatus Autbertus multis viris ſecum adhibitis dedicauit, &c.* Hæc autem dedicatio facta eſt

decimâ

decimâ Iunij in honore ſanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ & SS. Apoſtolorum, pro vt fuſiùs habetur in eiuſdem Diuæ teſtamento apud *R. P. Baſilidem Capucinum, & in Mariano Kalendario apud Coluenerium.*

DISTINCTIO II.

Monaſterium B. Mariæ in Coulſore.

LEgitur in vitâ prætactæ S. Aldegundis per dictum *P. Baſilidem* Gallicè nuper redditâ, quòd in loco de Curtiſolrâ dicto, diuæ Genitricis Eccleſiam à ſuis genitoribus incœptam perfecerit, duodecim in eâ Monialibus inſtitutis.

De cætero quamdiu nobile id Gynecæum floruerit, incertum; interim probabile eſt ad S. Huberti Epiſcopi Leodienſis tempora perſtitiſſe, & fortè vlteriùs, qui ſanctos Walbertum & Bertiliam ibidem ſepultos eleuâſſe ſcribitur. Eorum verò ſepulturæ locus non fuit is, in quo nunc eſt parochialis S. Martini Eccleſiâ, ſed alius, qui vulgo *le Vieux-Mouſtier* dicitur, ſubterranea veteris Eccleſiæ & clauſtri veſtigia etiamnum oſtendens.

DISTINCTIO III.

Monaſterium B. Mariæ Montibus.

Anno 650. HVius Monaſterij fundatrix habenda eſt S. Waldetrudis, quæ à marito ſeruatâ charitate ſeparata, circa an. 650. à D. Autberto ſacrum velamen ſuſcepit, eoque ſuſcepto, monaſterium B. Mariæ in Caſtriloco ædificauit. *Cùm enim vir ſuus beatus Vincentius* (Balderici * textum reddo) *relicto mundi naufragio, monaſterij portum expetierit, ipſa quoque diuinâ clementiâ inſpirante, calcare ſeculum æſtimauit, ſanctoq́; debriata ſpiritu, habitum ſancti velaminis ſumpſit. Deinde verò ex ſuis dotalibus beneficijs & proprijs prædijs, ipſum monaſterium in honore ſanctæ Mariæ, ex ſententiâ & auctoritate ſancti Autberti patroni ſui, condidit: Vbi etiam adſcitis non paucis familiaribus feminis, puritatem vitæ laudabilis duxit* &c.

Lib. 2. Cap. 39

Temporis autem lapſu dictum iſtud monaſterium à D. Brunone Archiepiſcopo Colonienſi tranſmutatum fuit in nobilium Canonicarum Collegium, cuius perpetuus Abbas & Aduocatus eſt Comes Hannoniæ; quâ de re, & alijs huc ſpectantibus

bus latiùs agam ſuo loco ad calcem huius operis.

DISTINCTIO IV.

Monaſterium S. Ragenfredis in Berſely.

NOn longè à Thurâ monaſterio Regularium diui Auguſtini Canonicarum, diſſidet *Berſelia*, vulgò dicta *Abbatica*, quia olim in eâ fuerit Abbatia. *Sub annum 760. plus minus.*

Incolæ præferunt, & manuſcripti Annales referunt ſanctos Aldebertum & Reginam vnum hîc Cœnobium primitùs inchoâſſe eo in loco, vbi haud procul à parochiali S. Martini Eccleſiâ, S. Ragenfredis nomen hodieque effulget certo in fundo, ad particularem Dominum pertinente; nec diu pòſt idipſum tranſtuliſſe *Dononium* ad Schaldim, adeò vt Dononienſis Cœnobij mater dicenda ſit Berſelia.

Digitized by Google

DISTINCTIO V.

Dononium B. Mariæ.

Anno 764. HVius loci originem & progreſſum ſuccinctè deſcribit hoc modo *Baldericus Lib. 2. Cap. 28. In vico Duneng beata Rainfredis ex ſui iuris rebus cellam fundauit, & ſanctimonialibus conſtitutis, ipſa etiam Abbatiſſa regimonium duxit. Hanc autem poſtea, incumbente inopiâ, inclinatam pauci Canonici incolebant, donec conſilio Gerardi Cameracenſis Epiſcopi, & Leduini Abbatis Vedaſtini, Balduinus Comes ad priſtinum ſtatum reſtituit, ibiq; Monialibus regulariter inſtitutis, Abbatiſſam, nomine Ermentrudem, præfecit;* Hactenus ille.

Ad maiorem præmiſſorum intelligentiam, dico inprimis Cœnobium id duobus à Valencenâ milliaribus diſſitum, videri ad Schaldim itinere Duacum versùs; eiuſque conditores fuiſſe SS. Aldebertum & Reginam coniuges, ſimulque Auſtrouandiæ Comites, pro vt narrat *Locrius in ſuo Chronico* ad annum 764.

His decem filiæ cùm eſſent, & ſingulæ cælibem, aut potiùs cœlitem vitam elegiſſent, pij parentes dictum monaſterium erexe-

ærexerunt, Collegio Clericorũ ad obeunda ſacra inſtituto. Prima cõſodalibus ſuis Abbatiſſa præfuit diua Ragenfredis, & res in tantùm poſt dictos parentes auxit, vt altera quaſi fundatrix habeatur. Quo autẽ anno deceſſerit, nuſquam inueni; nec alias reperire mihi contigit, quæ ipſi per vices ſucceſſerint vſque ad tempora Nordmannorum: A quibus euerſum quoque id monaſteriũ, poſtea reparauit Carolus Caluus Imperator hortatu Giſlæ ſororis ſuæ an. 877. (non autem 805. vt malè *Locrius* aſſerit de Carolo Magno) dato ſuper id diplomate, quod ſic incipit *in Mirei diplomatis Lib. 2. Cap. 12. Pro timore, & amore Dei, &c.*

Cæterùm quis huius loci ſtatus ab eã reparatione fuerit, quis etiam vitæ tenor, incertum; puto interim communis & Regularis vitæ vſum *inter fratres & ſorores ibidem Deo militantes* (ſic enim in præcitato diplomate legitur) perſeuerâſſe ad annum 1029. quo diui Benedicti Regula ipſis pręſcripta fuit de conſilio dictorum Gerardi Epiſcopi, Leduini Abbatis, & Balduini Comitis, datâ ipſis in primam Abbatiſſam *Ermentrude*; cui aliæ & aliæ mihi hactenus incognitæ ſucceſſerunt vſque ad *Enſiliam*, quæ bona quædam ad Eccleſiæ ſuæ vtilitatem Xanthenſi Capitulo vendidit

anno

anno 1240. cuius eâ de re literæ in *Natalibus Molani* ſic incipiunt: *Vniuerſis paginam hanc viſuris &c.*

Cæterùm ab iſtâ Leduini reformatione, cùm antea fuiſſent Regulares, ſancti Benedicti canonem amplexæ ſunt; vnde & Benedictinis virginibus eaſdem accenſet *Mireus in ſuis Benedictinarum Virginum Cœnobys*; hodie tamen vocari ſolent Dominæ Canonicæ, quarum Abbatia ab aliquot annis iam vacat: Audiui interim Valencenis nuper exiſtens, nouæ Antiſtitæ factam eſſe electionem. Vtinam Deus eam dare dignetur, quæ Domini zelo zelata ſit, ad primitiuæ religionis deſiderium in ſuis reaccendendum.

DISTINCTIO VI.

Guiſlenghemium B. Mariæ.

Anno 1126. PEr-nobile, & per-eximium iſtud Cœnobiũ, (titulo *Vallis Virginum* ab olim dictum) Atho & Angiæ interiacet, pari pene duarum leucarum interuallo. Fundatrices habentur Ida Toparchæ Cheruienſis vidua, & altera Ida mater Nicolai Epiſcopi Cameracenſis; quæ (vt rerum copiâ

copiâ affluebant) collatâ dote idipſum mirificè auxerunt an. 1126. primis S. Benedicti Monialibus è Strumenſi apud Atrebates Cœnobio euocatis, quibus ambæ ſeipſas in religioſo habitu aſſociârint.

Alterutrius Idæ tumulus ad duos pedes aſſurgens, poſt principem aram viſebatur ante annum 1639. tunc enim per Chori amplificationem loco tranſmotus, muro incluſus fuit; cuius rei memoriam Gallicè nobis repræſentat inſcriptio ſupra dealbatum parietem ad ſiniſtrum Presbyterij latus expoſita.

Ab eo quoque latere peculiare D. Virginis ſacellum extat, & ſuper eo eiuſdem ſtatua varijs miraculis inclyta, pro vt varia anathemata circumpendentia fidem faciunt, quorum primum euenit an. 1402. circa cæcum illuminatum; alterum 1404. quo infans mortuus-natus reuixit; tertiũ 1409. & alia multa ſubſecutis temporibus, notanter anno currentis ſeculi vigeſimo ſeptimo, quo hæc ipſa Eccleſia ab oppoſitæ domus incendio intacta permãſit, precibus & meritis potentiſſimæ ſuæ Tutelaris, vt piè tunc creditum; vnde & in gratiarum actionem, ſolemnis ex tunc proceſſio quotannis celebrari ſolet; quâ de re, & alijs ad maiorem huius Dominæ noſtræ noti-

Digitized by Google

notitiam facientibus, fuſiùs ſcribam *in Hannoniâ Marianâ.*

Sunt inſuper raræ & notabiles in huius Cœnobij ſacrario Reliquię Saluatoris, B. Mariæ, Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, ac Virginum; cum quibus, ex decreto dicti Nicolai Epiſcopi, Cheruienſis vrbis proceſſioni conuentualiter adſiſtere cœperunt ab an. 1153. ad annum vſque 1480. quo prętacta obligatio ad cautelam ſublata per Reuerendiſſimum Dominum Henricum à Bergis; particulari deinceps ſupplicatione iiſdem ſanctimonialibus decretâ, quæ quotannis etiamnum obſeruatur Dominicâ poſt Natiuitatem B. Mariæ; quâ de re, deque prætactis Reliquijs latiùs alibi ſcribam ex penſili tabulâ, quæ ibi ſingularum nomina continet.

Iamverò quòd ad illuſtres huius loci Antiſtitas pertinet, ſingulas hîc ordine dinumerabo, pro vt ſubſequẽtium monaſteriorum Ciſtercienſis, & Regularis Ordinis virginum; quia nihil de his, & ipſis ſcripſerim *in meo Theatro Abbatiarum Hannoniæ*, virilia dumtaxat Cœnobia continente: Sed neque hanc chordam tetigerunt *Iacobus Guiſius, D. Franciſtus Vinchant, eiuſq; Annalium recognitor*, aut alij in ſuis ſcriptis.

Ne verò fallar, aut fallam, præmoneo me ſingulas hîc nomine tenùs deſignare, iuxta ordinem & catalogum olim mihi traditum à R. D. Dionyſio Noielle, ſpirituali Dominarum huius loci directore, nouiſſimè mortuo.

1. Prima ergò præfuit D. Wauburgia; cui D. Sibilla, D. Cæcilia, D. Ioanna, D. Maria, D. Eliſabeth, & D. Mechtildis abſque cognomento ſuffectæ ſunt.

8. *Poſtmodò ſubierunt* D. Catharina Serain.

9. D. Richildis de Angiâ.

10. D. N. de Rambourc.

11. D. N. Aelis.

12. D. N. de Sottenghien.

13. D. Margarita de Seranuillers.

14. D. Ioanna de Chin.

15. D. Anna de Roberſart.

16. D. Margarita de Somain.

17. D. Ioanna de Montignies.

18. D. Catharina d'Enghien.

19. D. Margarita de Waudripont.

20. D. Margarita de Limene, dicta de Mareque.

21. *Patrum memoriâ ſucceſſêre* D. Carola de Croy.

22. D. Anna de Mortaigne an. 1601.

23. D. Philippa de Croy.

24. D. Ludouica de Goich, an. 1608. 8. Octobris benedicta cum hoc dicto inſignibus adludente : *Cruce duce.* Obijt an. 1634.

25. D. Guilielma de Mortaigne, aliàs de Potelles, benedicta fuit an. 1636. Agnetis ſecundo, hoc ſibi ex tunc deſumpto ſymbolo : *Non ſine Cruce.*

26. Eidem humanis an. 1648. 17. Iulij exemptæ, nuper à Rege nominata, ſucceſſit nobilis & reuerenda Domina *D. Maria de Lalaing* anno 1650. 24. Ian. ſolemni ritu apud ſuas benedicta per Reuerendiſſimum Dominum Gaſparem Nemium Antuerpiæ Epiſcopum, Cameracenſis Eccleſiæ Archipræſulem à Rege deſignatum. Quod ipſa ſymbolum ab eâ die præferat, neſcio: Per me ſi ſtaret, meritò adſignem : *Virtute duce.*

DISTINCTIO VII.

Abbatia Pacis N. Dominæ Montibus.

Anno 1646. NArratur 1. Regum Cap. 16. quòd, cùm Samuel veniſſet in Bethleem ad Dauidis Regis vnctionem, *admirati ſunt ſeniores*

ſeniores ciuitatis occurrentes ei, dixerintque, pacificuſne eſt ingreſſus tuus? & ipſe ex tempore illis reſponderit, *pacificus.*

Pari modo interrogare hîc poſſim vos, ô reformatæ Pacis filiæ, per turbas nihilominùs & ſeditiones anno 1637. Leodio digreſſæ; *Pacificuſne eſt ingreſſus veſter in Montes?* reſpondebitis, opinor, *pacificus:* Et benè, quia pacis nomen vbique præferentes, pacificam ſedem ex tunc quæſiuiſtis; & quia per ſingulos dies pacem loquimini cum Deo, vobiſcum, proximo, ac etiam inimicis, qui cùm maledixerint, vos ipſis benedicitis. Sed reformationis veſtræ originem, & veſtram è Leodienſi ciuitate ad nos digreſſionem paucis deinceps explicare viſum.

Magni illius Patriarchæ S. Benedicti benedictionibus Hannonia, cum cæteris Prouincijs, nouiſſimè participauit, per receptionẽ eius filiarũ de reformatione, ſub titulo Pacis noſtræ Dominæ feliciter inceptâ, à venerabili Dominâ Florentiâ Werquignuel; quæ, cùm *Monaſterij ſuper Sambram in Namurceſio,* ſæcularis Canonicæ functiones per duodecim annos laudabiliter exercuiſſet, meliorum deinceps chariſmatum æmulatrix, ad Ciſtercienſe inſtitutum tranſijt. Sed nec eo, per vi-

ginti annos *Flinis* ritè ſeruato, contenta, cum quatuor ſociabus à Deo vocatis Duacum in viciniâ ſeceſſit an. 1604. 17. Nou. ad nouum ibi monaſterium ſub auſpicijs B. Virginis Lauretanæ inchoandum, in quo D. Benedicti regulam ad priſtinum rigorem vigoremque reductam obſeruaret, vt refert *eximius D. ac M. N. Coluenerius in ſuo Kalendario Mariano ad prætactam diem*; qui & ibi vlteriùs refert hoc ipſum *Monaſterium Pacis B. V. Mariæ, primum eſſe Benedictinæ reformationis in Belgio*; aliaq; ſubſecuta fuiſſe, videlicet Atrebati, Gerardimõtij, Bethuniæ, & Namurci; inde deductâ ſexti monaſterij ad Leodienſes coloniâ.

Sunt nimirum hi dulces fructus, quos prædicta Duacenſis Abbatia Belgicæ Prouincijs germinauit ſub prædictâ D. Florentiâ venerabilis memoriæ Antiſtitâ, quæ vigeſimo ſexto ſui præſulatus anno regimen ſponte dimiſit, vt ſibi ad bene moriendum faciliùs iter præſtrueret; l[illegible]tamen non ſine ſanctitatis opinione vixiſſet, pro vt cum eâ feliciter obijt * iuxta

* An. 1638. 29. Augusti. testimonium eximij, reuerendique admodùm D. Archãgeli Michel S. T. Doctoris, tunc in Marchianenſi Collegio Præſidis, & ſimul huius loci Virginum inſpectoris.

Iamverò; vt ad rem noſtram propiùs veniamus, ſciendum eſt ex prætacto mo-

Digitized by Google

naſterio Leodienſi (cùm ciuitas hæc an. 1637. ſeditionibus & turbis infeſtaretur) reuerendam D. *Nataliam Gordine* dicti monaſterij Abbatiſſam, de aliquorum cõſilio, cum aliquot è ſuis Monialibus ſeſe inde ſubduxiſſe in partes Regiæ Maieſtatis; futurã noui Cœnobij erectionẽ per hos tumultus Deo (vt credi par eſt) pręſignante.

Igitur à Deo inſpiratæ Montes conuenerunt, extemporali reſidentiâ ad pedem caſtri ſibi quæſitâ, & impetratâ in domo nobilis viri Theodorici d'Offignies, Domini de Calenelle, & primi ſupremæ Curię Conſiliarij, qui fuit auus reuerendæ Dominæ hodiernæ Abbatiſſæ.

Interim verò poſt aliquot menſes ſeſe remittentibus Leodij tumultibus, prædicta D. Natalia ad ſuas reuertitur, tribus è ſuis religioſis tutelæ Dei apud nos derelictis ſub vmbrâ & protectione Dominorũ Ordinis ſui Abbatũ; quorũ deinceps ſubſidijs & authoritatibus adiutę, vetus Alti-Mõtenſis Cœnobij refugiũ in Cantiprato ſitum, (illud antiquitùs vocabatur hoſpitium de pace cordis) emunt an. 1641. idipſum (earum intuitu) ad ſe retrahente reuerendo admodùm D. Petro le Ieune moderno Alti-Montis Præſule.

Sed vix eo in loco tres illæ Religioſæ

ſeipſas incluſerant, cùm ſtatim in eas variæ oppoſitiones directæ ſunt; nihilominùs, cùm Deus eſſet pro ipſis in eum ſperantibus, frequentiſſimâ ſanctiſſimæ Dei Genitricis, eiuſdemque Sponſi inuocatione, fortes factæ ſunt in bello, & tandem aduerſæ partis caſtra verterunt; præuio tamen Magiſtratus fauore, ad inſtantiam & ſupplicationes reuerendorũ Haſnonij, Altimontij, Lætiæ, & Maricolæ Prelatorũ, ſibi cõparato; ipſis enim mediãtibus, ab eo remanſionis, & perpetuæ admiſſionis actum impetrârunt; cuius virtute, nullis deinceps moleſtijs aut perturbationibus à Rege concuſſæ ſunt: Vnde & mox diuinis publicè fungi cœperunt de indultu & beneplacito reuerendorum admodùm generalium Cameracenſis Eccleſiæ Vicariorum.

Ab eo tempore plurimæ deinceps virgines ad earum contubernium de ſæculo tranſierunt, Domino ad nouæ prolis augmentum notabiliter in dies cooperante; maximè ex quo nobilis, & reuerenda D. *Anna-Maria d'Acoz* in primam Abbatiſſam cooptata, à pietate, induſtriâ, & facundiâ maximè commendabilis; cui longam & felicem vitam adprecor, ex debitæ gratitudinis officio.

CAPVT

CAPVT II.

De Bernardinarum inſtituto.

QVia non pauci ex triginta S. Bernardi ſocijs cum eo Ciſtercium ingreßis, vxoribus copulati fuerant, ne earum pudicitia, & ſancta de inito diuortio voluntas periclitarentur, illicò Bernardus pro deuoto femineo ſexu monaſterium conſtrui fecit; in quo ſanctimoniales illæ alteris nuptijs cæleſti Sponſo copularentur, pro vt legitur in vitâ eiuſdem Sancti apud Surium.

Conijcimus hinc D. Bernardum non viris dumtaxat, ſed & virginibus ac maritatis de optimâ parte eligendâ prouidiſſe; quamuis tamen in eius Ordinis principio non ita fuerint multiplicata virginum Cœnobia.

Certè quòd ad Belgium pertinet, primæ virginum Abbatiæ fuerunt Herkenroda in patriâ Leodienſi, Blendeca in Artheſiâ, Spermalia in Flandriâ, & Camera apud Bruxellam, fundari cœpta anno 1201. *Nec diu pòſt apud Hannones initium habuêre Fontinella,*

Digitized by Google

Locus-Spinoſus, & Refugium noſtræ Dominæ præmiſſi monaſterij Camberonenſis filiæ, pro vt ſex aliæ, videlicet dicta Camera & Argentonium apud Brabantos; Bellum-Pratũ Nonniſboſcus & Flina apud Flandros; nec-non Viridarium in Artheſiâ; quibus ſepoſitis (non enim ad rem meam pertinent) Hanoniæ dumtaxat Monaſteria conſequenter ſubijcio.

DISTINCTIO I.

Fontinella B. Mariæ.

Anno 1202. VT à topographiâ incipiam, illuſtris & potens hæc Abbatia ſitum habet ad Schaldim inter pagos de Pont, Trith, & Main, vno circiter milliari à Valencenis ad iter versùs Cameracum; eſtque prima inter ceteras Hannoniæ tum antiquitate, tum nobilitate.

Nomen habet à fonte, iuxta quem oratorium primitùs habuit ſanctę vitę Eremita, qui fuſis ad D. Virginem precibus, Valencenates à peſte liberari obtinuit an. 1008. quâ de re pluribus egi *in Hannoniâ noſtrâ Marianâ.*

Licèt autem huius loci fundatio à Scriptoribus referatur ad an. 1212. integro tamen decennio vetuſtior eſt, pro vt aſſerit

&

& probat *D. Franciſcus Bar ex loci monumentis*. Referunt illa, quòd Dominus ab Haſpris an. 1202. dederit huic monaſterio 60. ſolidos, è ſuo iure viuarij Haſprenſis annuatim recipiendos, & hæc ſumma etiam nunc quotannis recipitur: Vnde inferri poteſt idipſum hoc anno, aut fortè priùs, fundari cœpiſſe.

Quòd autem *Guiſius & Mireus* ſcribunt duas nobiles ſorores initium dediſſe an. 1212. controuerti poteſt, quia ipſarum pater Helinus Eques, ambabus portionem hęreditatis adſignârit, & ipſæ huic loco reſignârint anno demum 1248. de conſenſu Margaritæ Comitiſſæ. Sequitur ergo (vt dictus *Bar* concludit) duas iſtas ſorores nullo modo id Cœnobium fundâſſe, aut ſaltem primò dotâſſe. Verùm, quia præmiſſis refragatur communis Scriptorũ ſententia, per nos licet, vt ab iſtis duabus ſororibus inchoatum fuiſſe dicatur.

Quidquid eâ de re fuerit, vniformiter tenetur duas iſtas ſorores fuiſſe Begginas, & à Deo cœlitùs inſpiratas Oratorium fundâſſe in honorem beatiſſimæ Virginis iuxta prædictum fontem: Sed cùm plures aliæ, purioris vitæ deſiderio, ſeipſas illis aſſociâſſent, ad capaciorẽ locum præ multitudine trãſire parantibus obſtitit Abbas

Criſpi-

Digitized by Google

Criſpinienſis, quia de eius patronatu erat hic locus; tandem verò Pontificij Legati interuentu pactum cum dicto Abbate inierunt an. 1216. cuius pacti literæ ſic incipiunt : *Vniuerſis Chriſti fidelibus Eccleſia B. Landelini Criſpinij ſalutem &c.*

Eâ verò Patroni gratiâ donatæ, de veteri domicilio ad nouum commigrantes, nouæ ibi Eccleſiæ fundamenta poſuerunt, ſed modò à Gheuſijs dirutæ. Immo verò, cùm nulli antea Monaſticę regulæ nomen dediſſent, Ciſtercienſe inſtitutum deſumpſerunt ex placito Reuerendiſſimi totius Ordinis Generalis, pro vt fidem faciunt eius literæ ſic incipientes : *Frater Adam Abbas Ciſtercienſis, dilectiſſimis in Chriſto ſororibus de Domo S. Mariæ de Fonte &c.* Sed & poſtmodùm dicto Ordini incorporatæ, & Clare-Vallis filiæ denuntiatæ ſunt à Capitulo Generali, per literas an. 1228. datas ſub tali exordio : *Nouerint vniuerſi præſentes literas inſpecturi, quòd Hauuidis Abbatiſſa, & Moniales B. Mariæ de Fonte iuxta Valencenas &c.*

Ordo Abbatiſſarũ. Venio iam, dictæ Hauuidis occaſione, ad cæteras nobilis huius Antiſtitij Præſides.

I. Dominâ Hauuide ad meliorem vitam euocatâ,

D. Ac-

D. Aelis præficitur an. 1232. ſed anno 1242. ad Iardineti regimen aſſumptæ ſuccedit 2.

D. Maria de Senguin, & regit ad annum 1271. 3.

Succeſsêre D. Sapientia de Putte; D. Margarita; & D. Aelis, quæ pertigit ad an. 1309. 4. 5. 6.

D. Iſabella Taiſniers decem annis prę-fuit. 7.

D. N. de Sarto. 8.

D. Agnes de Marlis. 9.

D. Iſabella de Priche dignitati ceſſit an. 1348. 10.

D. Margarita à S. Giſleno 20. annis prefuit. 11.

D. Margarita de Bauaco. 12.

D. Ioanna de Lamelin regebat anno 1390. 13.

D. Maria de Atho. 14.

D. Ioanna Berniere. 15.

D. Agnes de Lamelin. 16.

D. Helena de Lamelin anno 1454. reſignauit. 17.

D. Maria d'Ollie. 18.

D. Maria de Roeſne onus etiam dimiſit anno 1479. 19.

D. Margarita Geruaiſe fauore neptis ceſſit anno 1502. 20.

D. Ioan-

Digitized by Google

21. D. Ioanna Geruaiſe rexit ad an. 1516.

Auctum deinceps ædificijs Cænobium per ſequentes

22. D. Ioannam Deſcarmaing, quæ inſignem aulam, ſeu Abbatialem domum exſtruxit.

23. D. Helenam Deſcourieres, quæ nouum hoſpitibus diuerſorium erexit.

24. D. Annam de Failly, quæ nouam Infirmariam iuxta Schaldim compoſuit.

25. *D. Mariam le Poiure*, quæ domum ſuam à Gheuſijs ann. 1567. 6. Ian. concrematam, nec diu pòſt à ſiluaticis furibus ſpoliatam, iterùmque à Francis an. 1572. aliquoties remoliri ſtuduit; Sed cùm in eâ, ob patriæ turbas, nulla ſecuritas foret, inde Valencenas tranſmigrans ad ſuum Refugium in Parochiâ B. Mariæ de Calcheiâ ſitum, nouum hîc monaſterium an. 1578. erexit de conſenſu Prioris S. Saluij, in quo diuina, peregerunt ad annum 1612. quo ad antiquas ſedes rediêre, ſaltem ad tempus.

Poſt factam à dictâ Mariâ reſignationem ſubſecutæ ſunt

26. D. Barbara Blocquel.

27. D. Catharina le Moiſne.

28. Et D. Ludouica de Barbaize, quæ lauda-

Digitized by Google

laudabiliter præfuit ad an. 1644.

Ab eius morte diu vacauit Abbatia; tandem verò eandem obtinuit *R. D. Bernarda Vantor Inſulenſis*; cui, ignotus licèt, proſpera quæque deinceps exopto. 293

DISTINCTIO II.

Locus-Spinoſus B. Mariæ.

MOnaſterium iſtud à Regulæ ſuæ obſeruantiâ commendatiſſimum, in medijs pratis iuxta Montes ad Haynam conſidet, eiuſdem interluentibus aquis, adinſtar inſulæ, circumcinctum; de cuius origine ſic breuiter agit *Leſſabæus*. *Anno 1216.*

Cænobium (cui Loci-Spinoſi nomen illatũ eſt) primùm coluit Eremita, nomine (vti ſanctis viris moris eſt) diſſimulato, vt omnem à ſe ſuæ probitatis opinionem, neglectâ hominum exſpectatione, amoliretur. Hic Beatrici à Lendio ceſſit, adlaboranti incultam regionem exſtructâ ædiculâ celebrem reddere, & virginibus Ciſtercienſibus ſtrenuam ducem, & mulierem ſe fortem præbere. Annus erat 1216. *cùm ſacer ſanctimonialium chorus eò inuectus eſt ſub ſerum diei Sabbathi, Pontifice Honorio, & illuſtri Ioannâ Hannoniæ Comite; quæ annuos*

annuos prouentus adiacentium agrorum adie-ctione magnificè inſtruxit, hæc ille.

Quamuis autem dictæ Comitiſſæ initium non debeat hic locus, ſed cuidam Eremitæ (à quo videlicet erutis hinc inde ſpinis primum oratorium cum adſitâ cellulâ ſit exſtructum) ipſi tamen propter fundi donationem (primitùs enim pertinebat ad Comites Hannoniæ) & dotis munificentiam, pręcipuæ fundatricis honorem defert; licèt prędicta Beatrix in fundationis partem acceſſerit: Nam (vt erat nobilis, nubilisque virgo, multis ſubinde pecunijs ad matrimonij vſum ſibi legatis aucta) prępoptans *longè fieri ab amplexibus hominum*, propriam dotem contulit ad ſuperędificandum monaſterium in Loco-Spinoſo, per inſtantes ſupplicationes ſibi à dictâ Ioannâ dato; vt vnde eruperant ſpinæ, inde pullularent laudes diuinæ.

Igitur amoto Eremita (qui poſtmodò Conuerſum fratrē hîc egiſſe ſcribitur) ipſa Beatrix an. prætacto 1216. quodam die Sabbathi huc veniens, ſeipſam Mariano Collegio inſcripſit ſub conductu piæ admodùm Dominæ Ramburgæ primæ Abbatiſſæ; cuius ſanctitate & induſtriâ plurimæ virgines hîc coadunatæ, & cenſus adau-

adaucti, varijs varia certatim, in eius gratiam, donantibus.

Hinc & dicta Comes Ioanna eius intuitu plurima huic loco donauit, duobus expreſſa diplcmatis. Prioris tale eſt initiũ: *Ego Ioanna Comitiſſa Flandriæ & Hannoniæ notum eſſe volo, quod ego conceſſi in perpetuam eleëmoſynam Eccleſiæ de Spinoſo-Loco ſex iugera terræ exiſtentia apud Montes, vt dictæ Baſilicæ non ſolùm ædificia abſoluantur, ſed & nutriantur ſanctimoniales &c. Datum Gandaui anno* 1217. Similis data legitur in altero eius diplomate, quod ſic incipit: *Ego Ioanna Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa omnibus Chriſti fidelibus &c.*

Adhęc Ferdinandus dictæ Ioannæ prior maritus, & Thomas alter, plurima alia, pro ſalute animæ ſuæ, contulerunt, notanter ſyluam *de Mouiſſart*; eaque-propter ſolemne anniuerſarium quotannis habent ad quintam Decembris. Sed & Walterus Dominus de Lendio, triginta ampliſſimorum nemorum iugera adiecit; & ſic deinceps alij plurima huic Eccleſiæ contribuerunt, donec ad hodiernæ diei amplitudinem & magnificentiam peruenit.

Sed à veteris gloriæ faſtigio plurimùm minorata fuit ſuperiore ſeculo; quando videlicet per Belgij tumultus (neſcio quo prætex-

prætextu) à vicinis incenſa fuit an. 1578. feriâ tertiâ poſt Natalem domini, & ſuis dehinc monialibus, eam ob cladem in vrbe ad D. Magdalenam exulantibus, per ſedecim & ampliùs annos deſtituta.

Tandem verò reſpirante à malis Patriâ per reuerendas Dominas Abbatiſſas Iacobam Couſin & Annam de Lannoy reſtaurata, priſtinum decorem aliquatenùs recepit: Prior enim nouos ambitus cum maiore ſacello reparauit an. 1595. quo huc reuerſæ Moniales; altera verò Eccleſiam hodierno ſplendori reſtituit an. 1601. pro vt inciſum lapidi ſupra dictæ Eccleſiæ principalem ianuam.

Series Abbatiſſarũ. Quòd iam pertinet ad cæteras Abbatiſſas, duæ primæ *de Remburgis* cognominatæ, vt purioris vitæ ſequaces, tenue monaſterij peculium auxerunt.

3. Tertia ijſdem ſuffecta fuit D. Eliſabeth de Iauche, virtute vt claritate nobilis; pro vt ſequacium maior pars, auitæ nobilitatis ſtemma, vel ſolo cognomine, referentium.

4. Succeſsêre D. Agnes, quæ obijt octauo Calendas Dec.

5. D. Margarita obijt octauo Idus Nou.

6. D. Felicitas obijt decimo ſexto Calendas Mart.

D. Mar-

D. Margarita obijt 10. Ian. 7.
D. Maria obijt 16. Feb. 8.
D. Ioanna. 9.
D. Maria Raſſoir obijt 5. Kalēdas Nou. 10.
D. Iacoba obijt 15. Calendas Dec. 11.
D. Iuliana de Potes obijt 8. Idus Apr. 12.
D. Ioāna de Feſtelle obijt 2. Nonas Aug. 13.
Subſequitur D. Iacoba Rogier regularis diſciplinæ amantiſſima, quia reformationem omnium prima ſuſceperit, quam & lubens amplexæ 14.
D. Helena de Silly, & 15.
D. Helena de Lannoy an. 1572. mortua. 16.
D. Magdalena le Cocq S. Pharaildis reliquias Gandauo excepit an. 1576. præuiſoque domus incendio obijt 1594. 17.
D. Iacoba Couſin euerſi Cœnobij reſtauratrix, obijt anno 1598. 18.
D. Anna de Lannoy hodiernæ Eccleſiæ reparatrix, obijt an. 1611. 19.
D. Maria de Buzegnies, poſt refectorij, dormitorij, & aliorum locorum innouationem, omniumque rerum communitatem inter ſuas reductam, obijt an. 1619. 20.
D. Philippa de Beugnies poſt vtramque rem ſex annis laudabiliter adminiſtratam, obijt an. 1625. 21.
D. Magdalena Farinart, genere apud Montenſes nota, pietate apud ſuas, 22.

diſcretione & prudentiâ apud omnes, *confidens in Dominò* rexit, & obijt an. 1636. cui ſubrogata

23. *D. Anna l'Eueſque*, ab ijſdem, quibus præcedentes, laudibus commendanda. Det ipſi Deus, vt præuio ſymbolo, quo dicit: *E Cruce palma*, per eiuſdem Crucis virtutem, de omnibus ſuis aduerſarijs triumphet.

Atque hęc quidem de Abbatiſſis ex dictæ Eccleſiæ necrologio. Iam alia liceat ſubnectere ex venerabilis *D. Franciſci de Sayne* ibidem quondàm Patris Confeſſarij inſtructione, an. 1648. acceptâ; ac primùm de *S. Pharailde*, quæ hic miraculis claret ab an. 1576. quo eiuſdem Reliquię Gandauo illatæ ſub prædictâ D. Magdalenâ le Cocq, per D. Petrum le Cocq Commiſſarium Regium, eiuſdem fratrem; qui eas ipſas deferendas acceperat à Domno Ægidio l'Oliuier primo è Camberonâ huius loci Virginum directore; nam vſque tunc Moniales Clareuallenſium directioni ſubiacuerant.

Quædam de S Pharailde.

Dictus autem D. Ægidius, cùm in *Stopeldicq* Burſarium ageret, Spinoſi-Loci haud immemor, ad eius Dominarum inſtantiam Gandaui tantùm effecit, vt modicam dictæ S. Pharaildis reliquiarum portionem,

tionem, â Cornelio Ianſenio I. Epiſcopo Gandenſi cuidam è ſuis ſacellano aliàs datam, eandem quoque dono acceperit, moxque etiam in donum primigenijs ſuis filiabus tranſmiſerit.

Ex quo tempore plura hîc miracula contigerunt in luxatorum brachiorum, & tibiarum curatione, in articularis morbi leuamine, in mitigando capitis, dentium, ac renum dolore; notanter annis 1578. & 1590. (quo quidam Hiſpaniæ Princeps Bruxellis agens, impotentium membrorum vſui reſtitutus) ſed & annis 1604. 1611. 1612. & 1616. pro vt legitur in quodam eius loci manuſcripto.

In eo autem præter alia aduerti, quòd dicta S. Pharaildis 30. annis virgo fuerit ante coniugium 30. item in coniugio, & totidem in viduitate: Inſuper quòd cæcum illuminârit, claudis greſſum impetrârit, occiſamque à domeſticis auim reſuſcitârit; vnde & pingi ſolet cum aui ad pedes, & tribus in manu panibus, quia eius meritis in lapides conuerſi fuerint, quâ de re latiùs agam *in Nouali SS. Hannoniæ.*

Interim verò pauca de *S. Huberto* mihi liceat intexere, quia & hîc, per miraculoſi digiti virtutem, mira operetur in lunaticis, phreneticis, eiuſdemque Sancti morbo cor- *Quædam de S. Huberto.*

K 4 bo cor-

bo correptis. Vnus inter alios fidem facit quidam Flander nomine *Zacharias le Cam*, qui cùm ad tympani vel buccinę ſonitum, in terram ruere ſolitus eſſet, à puellâ diuinitùs ei tranſmiſsâ (nec enim ipſam antè nouerat, nec ab eo die vidit) deductus fuit an. 1586. ad Spinoſi-Loci Dominas, Montibus tunc apud S. Magdaſenam agentes. Quo in loco, poſt dies 40. in S. Huberti venerationem ab eo, & ſubſidiarijs ſororibus impenſos, plenè conualuit: Vnde & in tanti ſigni memoriã, ferrea vincula, quibus ad-inſtar frenetici cõſtrictus fuerat, hodieque proſtant Eccleſiæ Spinoſi-Loci muris appenſa; ſed & ipſe tanti beneficij memor, quotannis adeſſe ſolet ſolemni ſacro; quod ex tunc 3. die Nou. cantari ſolet.

De Reliquijs huius Cœnobij. Plura eiuſdem Sancti beneficia breuitatis memor omitto, vt paucis deſignẽ præſtantiores huius Cœnobij Reliquias. Æſtimo præ alijs raram vitalis ligni portionem; item ſpinam de coronâ Domini. Inſuper duo capita ex ſocietate S. Vrſulæ; exinde notabiles partes de eiuſdem, & S. Mauritij ſocietate, duabus ſtatuis deſuper altari incluſas; & plures alias, quarum indicem fuſiùs alibi dabo, pro vt *B. Luciæ* ibidem Prioriſſæ encomium; hoc interim

pro

Digitized by Google

pro coronide adijciens, quòd dicta Spinoſi-Loci Eccleſia frequenti miraculorum glôriâ illuſtris, copioſam & frequentem ad ſe trahit proximæ vrbis multitudinem, præſertim Kalendis Maij, & in Natali præcurſoris Domini.

DISTINCTIO III.

Oliua B. Mariæ.

ANtiſtitium hoc parochiæ *de Morlanuuez* limitibus incluſum, haud longè à Mariæ-montis palatio diſſidet, ſubſidetque Regio parco in amœnâ valle nemoribus circumdatâ, limpidiſque fontibus, & riuulis irriguâ. *Anno 1220. aut 1228.*

Eius autem ſic inter alios meminit Leſſabæus. *Oliuæ Cœnobium primo conceſſu habuit vir incerto nomine; ſed tamen genere Teutonus, Eremiticæ deditus vitæ; qui populari adiutus liberalitate, ædificia pro modo virium inſtruxit, Ioannâ Flandriæ & Hannoniæ Comitatui inauguratâ. Eum poſtea locum precibus ſanctis virgines Ciſtercienſes abs memorato Eremita extorſerunt; moxq́; loco antea anonymo Oliuæ nomen impoſitum, ob nouellam Chriſto Domino plantationem.* Hæc ille breuiter.

Digitized by Google

Verùm paulò fuſiùs & diſtinctiùs rem totam exponamus ex vitâ dicti Eremitæ, quę integra apud me extat iuxta autographum *R. D. Baſilij Gillets*, S. Dionyſij Cœnobitæ reformati, & ſic incipit: *Regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, &c.* Scribitur autem in eâ Capp. 20. 21. & 22. quòd peractâ iugi pœnitentiâ ob liberioris vitæ culpas, Presbyter ordinatus ſit, completoque Oratorio ex eleëmoſynis cuiuſdam *Berthæ* huius loci Dominæ, idipſum virgineo Ciſtercienſis Ordinis cœtu inueſtire deſiderârit. Eâ verò mente cùm per diuerſas nationes iret, ad nouellas præmiſſæ *Fontinellæ* Moniales perueniens (præuiſo earũ vitæ tenore) ad ſuam eremum nonnullas tranſmitti petijt, & obtinuit. Sed cùm illæ per aliquod tempus pauperem vitam hîc egiſſent, honeſtæ conuerſationis triumphum reportantes, ad matricis Eccleſiæ ſinum redierunt.

Quamobrem vir Dei non modicè anxius, ſeptem alias virgines laxiori tum regulæ ſeruientes, è *Monaſterio* * *ad Sabim* ad ſe pertraxit; quarum perſeuerentiâ plures aliæ virgines pauperem huius Eremitæ locum ſubierunt, ex Ciſtercienſis Ordinis inſtituto deinceps victuræ.

* *Eſt hodie vtriuſque ſexus Capitulũ in Namurceſio.*

Quid multis? cœpit ex tunc hic locus fœtu

fœtu nouæ prolis augeri, dictoque Ordini, iuxta ſancti viri deſiderium, canonicè incorporari, concreatâ (vt moris eſt) Abbatiſsâ, quæ, cuius nominis fuerit, nuſquam expreſſum legi; tranſmutato etiam Eremi nomine in *Oliuam*. Et verè Oliuam primiceriæ virgines appellârunt; vel quia *veri luminis*, *& vnctionis miſericordiæ largitur vbertatem* iuxta prædictæ vitæ textum; vel quia nobis ob oculos reponit memoriam multiplicis frumenti, & fructuum, quos Deus in gratiam optimi Eremitæ ibidem produxit.

Eccè Lector Oliuetani Cœnobij origo & fundatio, ſed abſque chronicâ deſignatione, de quâ inter Authores controuertitur. D. *Mecthildis de Campene*, deſuper huius Cœnobij ſui antiquitatibus à me conſulta, per ſuas literas ad me miſſas 25. Ian. an. 1648. deſignat annum 1213. quo S. Maria Oigniacenſis huius loci fundatori perfamiliàris obijt; ſed annus iſte diſconuenire videtur ex eo, quòd Fontinella nondum tunc eſſet Ciſtercio incorporata, ex quâ primariæ virgines per dictum Eremitam euocatæ. *Mireus in ſuo Chronico Ciſtercienſi* adſcribit annum 1240. ſed perperàm, quia hoc ipſo anno noſter fundator mortuus, diu ante mortem ſan-

ctimoniales hîc fouit, vt conſtat ex ſupradictis. *D. Franciſcus Bar* annum 1216. deſtinat, ſed vereor, ne nimis præproperè. Itaque potiùs elegerim 1219. aut cum *Gazeo* 1220. aut cum dicto *Gilletio* 1228. pro vt adnotat in margine dicti capitis 22.

Vt vt fuerit de præciſo anno, certum eſt ipſius fundatoris tempore Ciſtercienſe inſtitutum (cuius vtique perſtudioſus erat) fuiſſe huc introductum; *eoq; loco Ordini Ciſtercienſi canonicè incorporato, concreatam fuiſſe Abbatiſſam*, pro vt his verbis legitur apud dictum *Gilletium Cap.* 23. mortuoque recens fundatore, Innocentium IV. Pontificem fauore huius loci Bullam dediſſe an. 1244. ſub huius tenore principij: *Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ monaſterij de Oliuâ &c.* Ea penes me integra extat, alibi à me cum alijs diuulganda.

Cæterùm cuius nominis fuerit prima Abbatiſſa, incertum; certum interim XXV. hactenus fuiſſe, quas hîc breuiter ſubijcio; alias quidem ſic, & alias ſic iuxta ſeriem ex proprio Obituario à dictâ D. Mecthilde mihi tranſcriptam.

Series Abbatiſſarũ. Promiſcuè dierum, ac menſium ordine digeruntur D. Maria de Mahipres; D. Gertrudis de Bruxellâ; D. N. de Monti-

bus

bus; D: N. de Marke; D. Maria de Meligh; D. Beatrix; D. Eliſabeth; D. Maria le Leu; D. Eliſabeth de Kerche; D. Eliſabeth; D. Maria Gilkardi; D. Ioanna; D. Agnes de Glabes; D. Ida; & D. Margarita 15.
de Prumels. Poſt quam ordine decimam quintam, introducta fuit reformatio à Ioanne Euſtachio I. Abbate Iardineti in Namurceſio ſub an. 1440.

Cæteras ab eâ reformatione iuxta temporis ordinem ſubnecto; ac primùm D. Idam de Viſeto, à Leodienſis Patriæ mu- 16.
nicipio ſic dictam: D. Ioannam de War- 17.
luſielle: D. Leonoram Bourghoiſe: 18.

D. Catharinam de Lannoy, quæ hoc 19.
ipſum monaſterium an. 1554. à Francis exuſtum, & à Gheuſijs magnâ ex parte dirutũ an. 1568. diuinitùs adiuta reparauit.

D. Antoniã d'Oignies an. 1583. mortuã. 20.

D. Annam Dopen an. 1603. 21.

D. Helenam le Cocq an. 1608. 22.

D. Mariam Gillets an. 1641. 23.

D. Magdalenam Gillets an. 1649. 24.

Eidem modò (poſt Prioriſſæ munus expletum) ſubrogata præeſt *R. D. Maria Bo-* 25.
dart ordine XXV. quæ ſub initium anni currentis Iubilæi 1650. ſolemniter benedicta fuit à reuerendo Adm. D. Abbate Villarienſi; cui, vt immediato Patri, ſolæ è noſtris Oliuetanæ ſubiacent.

Huc vſque de Abbatiſſis ; pauca nunc mihi liceat de alijs notatu dignis ſubnectere, ac primò de Reliquijs , quæ variæ ſunt; notanter ſpina coronæ Domini; de crinibus B. V. Mariæ;os S. Ioannis Baptiſtæ; dens S. Magdalenæ ; os S. Catharinæ; item aliud S. Agathæ ; duo capita de ſocietate S. Vrſulæ, & aliæ plures arculâ ſimul incluſæ , de quibus alibi ſingulatim ſcribam ; pro vt de prædicto Guilielmo beatæ memoriæ Eremita ; cuius monumenti petra licèt à ſiniſtro Prebyterij latere inſtrata videatur , modò tamen incertum , quâ templi parte tumulatus ſit, quia pauimento ſuo aliquoties innouatum fuerit.

Nec etiam hodie reperire ſit *Beatricis ab Oliuâ* monumentum, quæ carnis tentatione ſeducta monaſterium deſeruit, beatâ interim Virgine eiuſdem vices per 14. annos ſupplente ; quâ de re , & ſecutâ eiuſdem Beatricis pœnitentiâ, ſuo tempore & loco ſcribam *in Hannoniâ Marianâ.*

Simili modo nobis hodie incognitus eſt tumulus duarum nobilium matronarum, *Ægidij Toparchæ de Traſegnies* coniugum. Profectus hic in Aſiam, à Saracenis captus fuit; à quibus poſtmodò liberatus operâ *Gratianæ* Sultani filiæ,ipſam matri-

monio

Digitized by Google

monio ſibi iunxit, cùm *Mariam* priorem coniugem ſuam, diu mortuam eſſe intellexiſſet. Vbi autem in patriam comitante Gratianâ redijt, ipſo Mariam ſuperſtitem admirante, tradunt vtramque communi conſenſu, Deo ſe in hoc monaſterio deinceps conſecrâſſe, & obijſſe; ipſum verò factum fuiſſe Camberonæ Monachum.

Iamverò quòd ad huius loci templum pertinet, aliquoties (vt præfertur) innouatum, illud à Francis penitùs incenſum fuit an. 1554. 21. Iulij; ſed poſtea renouatum, an. 1564. 3. Sept. nouæ conſecrationis munus accepit, à Reuerendiſſimo D. Martino Cupero Suffraganeo Cameracenſi; qui prætactæ conſecrationis diem quotannis fieri ordinauit Dominicâ 1. Septembris.

DISTINCTIO IV.

Refugium noſtræ Dominæ prope Athum.

Coenobium iſtud *D. Virginis Refugium* dicitur; ſed in vulgo Abbatiola Athenſis, quia ſuburbana ſit ad portã *de* *Anno 1234.*

Brantig-

Brantignies in amœnâ valle ſita ad Teneram; quem vtique præter-fluentem habet à latere pro antemurali; tribus autem alijs partibus ab anteriore portâ ad fluuiatilem molam, nouiſſimâ murorum circumductione præcingitur. Eiuſdem circuitus pratorum & terrarum acceſſione quadruplo iam maior, medium & plus milliare continet: Intùs autem ſeſe offert magnificum ædificium an.1624. inſtauratũ cum editiore ſpeculâ ad decorem, & ſimul proſpectum.

Deſcriptioni fundationem ſubijciens, præmoneo ante ſacras Veſtales primitùs hîc fuiſſe virile Monaſterium Ordinis S. Benedicti Lætiæ ſubiectum; ſic enim legitur in eius Chronico; *Eâ tempeſtate degebant aliquæ ſanctimoniales Ordinis Ciſterclenſis iuxta Aldenardam; verùm, quia locus manſionis earum videbatur anguſtior, & minùs conueniens exercitijs ſpiritualibus, Ioanna Hannoniæ Comitiſſa tranſtulit eas in locum commodiorem circa oppidum Athenſe, conſenſu Abbatis atque Capituli Lætienſis, ad quorum ditionem locus iſte videbatur pertinere. Hoc contigit anno Domini* 1234.

Eam Datam cum alijs circumſtantijs referunt dictæ Comitis literæ tale principium habentes: *Ioanna Flandriæ & Hanno-*

niæ

niæ Comitiſſa vniuerſis præſentes literas inſpectiuris ſalutem in Domino. Præſentium teſtimonio notum facimus vniuerſis, quòd cùm quædã moniales Ciſtercienſis Ordinis, filiæ Clare-Vallis, (rem ſuccinctè meis verbis proſequor) inhabitandi gratiâ conſediſſent, loco diligentiùs conſiderato (quòd ſcilicet nec earum paci congrueret, nec propoſito conueniret) dicta Ioanna eaſdem prope Athum, perpetuæ inhabitationis gratiâ, transferendas eſſe cenſuit, & de facto trãſtulit an. 1234. habito (vt præfertur) Lætienſis Abbatis conſenſu. Ita quoad rei ſubſtantiam dictę literæ; quibus & aliæ, per ſororem eius Margaritã ob chartæ ſenium deperire viſis, per modum prouiſionis ab eâ adiunctæ ſunt an. 1258.

Sed iam ſatis de eâ virginũ trãſlatione, & prope Athum collocatione: Nunc ad ſeriem Antiſtitarum ordo me vocat: Earum primæ fuerunt D. Agnes, D. Petronilla Richart, D. Eliſabeth, D. Ioanna de Bouuegnies, D. Ioanna, D. Aleidis d'Aubermelle, D. Macthildis, D. Maria de Rouens, D. Maria de Atho, D. Margarita de Angiâ, D. Maria Villani, D. Eliſabeth Aldenardæ Domini filia, & D. Catharina de Ville. *Series Abbatiſſarũ.*

D. verò Antonia Raſoir ordine XIV. ſed ante reformationem vltima, 44. annorum regimen terminauit an. 1505. 14.

15. D. Antonia le Clercq poſt reformationem acceptam obijt an. 1521.

16. D. Ioanna Mouchart pręfuit 40. annis, & obijt anno 1561.

17. D. Ioanna de le Court totidem annis præfuit ad an. 1603.

18. D. Argentina ſeu Auguſtina Iſaac ſex dumtaxat annis rexit, & obijt an. 1610. ſepulta ante principem aram.

19. D. Margarita de Hauport poſt reparatum inſigniter Cœnobium, nouiſque ædificijs illuſtratum obijt an. 1638. prælaturæ 29. cui tunc cœlum pro alto portu iuxta id viuentis ſymbolum: *Le ciel mon haut port.*

20. Hodie vigeſima præeſt R. D. *Magdalena de le Court* Athenſis, hoc ſibi cognomine dictum præferens: *Courte eſt la vie*, quaſi dicat cum B. Iob, *breues dies hominis ſunt.* Longęuam nihilominùs vitam ipſi adprecor, quia augendis Cœnobij commodis valde nec eſſaria videatur.

Quòd ad rem ſacram pertinet, viſitur hîc templum vtcumque elegans, in quo Deiparæ Virginis icon extat, quondàm miraculis, vt audio, celebris, quâ de re aliàs ſuo tempore in *Hannoniâ noſtrâ Marianâ.* Eſt & ara Chori varijs Sanctorum Reliquijs vtrimque onerata, aut potiùs hono-

honorata, quarum indicem dabimus *in Theſauro Reliquiarum Hannoniæ.*

Sacra huius Cœnobij ſupellex ante vaſtitatem anni 1578. ſplendida erat; ſed Auriaci Principis militum factione deperijt; Immo verò iniecto ab ipſis igne, integrum pene Cœnobium cum Eccleſiâ deſtructum fuit. Virgines in vrbem profugæ, diu ibi in ſuo Refugio ponè Eccleſiam S. Iuliani perſtiterunt; donec tandem purgatâ ab inteſtinis hoſtibus Patriâ, locum hunc reſtaurauit prædicta R. D. Abbatiſſa de Hautport.

Dictam verò Eccleſiam ſic (vt præfertur) exuſtam & profanatam, Deo reconciliauit R. Adm. D. Robertus d'Oſtelart Abbas Cãberonenſis, dictę Abbatiſſæ patruus; præuio nimirũ indultu Illuſtriſſimi D. Ludouici de Berlaymõt Archiep. Cameracenſis; qui hunc ipſum Abbatem aliquoties creare voluit ſuũ Suffraganeum, ſed obſtante eius humilitate non potuit.

DISTINCTIO V.

Vallis Virginum.

IDipſum Monaſterium Flobecæ ſtetit vſque ad annum 1232. quo (vt inquit

Miræus)

Mireus) *Moniales Vallis Virginum ex Flobecâ Aldenardam migrârunt*, *vbi hodieq; reſident*, magnifico & ſpatioſo Cœnobio donatæ, quod ibi à Flandris *Magdendael* dicitur.

Factâ autem diſquiſitione de primario earumdem virginum in Flobecâ diuerſorio, R.D. Guilielmus le Maire modernus ibi Paſtor, coram interroganti reſpondit ſupereſſe villam, quæ etiamnum ad ipſas pertinet; & vulgò dicitur *l'Abbaye Aubecq*, mediâ quaſi horâ à parochiali Eccleſiâ diſſidens.

DISTINCTIO VLTIMA.

Condatenſe Monaſterium.

COronidis vice ſubijcio Condatenſis oppidi Cœnobium iuxta *Mirei* ſcriptionem; ſed malè & perperàm Ciſtercienſe facit, cùm nunquam fuerit Ordinis Ciſtercienſis, nec etiam hodie ſit virginale monaſterium, ſed Collegium Canonicorũ, primitùs tamen à virginibus inhabitatum, vt ſignat *Baldericus*; quâ de re ad calcem huius operis agam.

Pergo interim vlteriùs ad tertium huius operis librum, qui erit de Abbatijs, & Monaſterijs Ordinis S. Auguſtini.

LIBER

LIBER III.

Regularium, & aliorum Ordinis S. Auguſtini Cœnobia.

CAPVT I.

De inſtituto Canonicorum Regularium D. Auguſtini.

SANCTVS Auguſtinus Afer, Hipponenſis Epiſcopus, Doctor Eccleſiæ, inſtitutos Apoſtolorum tempore Canonicos Regulares, ſcriptâ Regulâ reſtaurauit. Moritur an. Chriſti 430. ætatis ſuæ 76. *A cuius morte, ipſius inſtitutum ſummoperè auctum fuit, & in varias Tribus, ſeu familias ſub diuæ Virginis patrocinio diuiſum.*

Ab eo originem ſuam repetunt Canonici Regulares

Digitized by Google

gulares ſpecialiter dicti, Præmonſtratenſes; Vallis-Scholares, Antoniani, Trinitarÿ, Cruciferi, Seruitæ, Paulini, Ieſuati, Hieronymiani, Brigittini, Clerici vitæ communis, Alexiani, & plures alÿ tam Religioſi, quàm Equites, in his Prouincÿs non ita noti, ex quibus velut optimè cognitos deſcribam prædictos S. Auguſtini Regulares Canonicos, Præmonſtratenſes, Vallis-Scholares, Antonianos, Trinitarios, Cruciferos, & Brigittinos; velut & Regulares Canonicas, Brigittinas, & Vrſulinas; *ad quorum, quarumq; maiorem notitiam Lectori meo altiùs inſinuandam, vtriuſque ſexus Abbatias, & inferiora his Cœnobia, multiplici varietate diſtincta, hoc & ſequente libro perſtringam.*

Præmoneo interim, quòd prædicti S. Auguſtini regulares Canonici & Canonicæ diuerſo vtantur habitu: Alÿ enim vtuntur albâ tunicâ cum ſuperpelliceo, rochetto ſiue lineâ, & byrrho, pro vt Regulares S. Ioannis Valencenis; eo autem habitu vſus fuiſſe ſcribitur S. Auguſtinus. Alÿ verò geſtant nigram togam ſeu tunicam cum albo ſuperpelliceo, pro vt Regulares Cantipratani in Bellinghen. Alÿ, & aliæ violaceo habitu induuntur, pro vt Regulares D. Autberti Cameraci, & Canonicæ Regulares Tornacenſes in S. Andrea, & in Champeau. Sunt & aliæ cæruleis veſtibus indutæ cum albo ſuperpelliceo, quales Hoſpitalariæ B. Mariæ in Armenteriâ.

Sed

Sed & horum Canonicorum alij ſunt de congregatione Ariaſianâ apud Artheſios circa an. 1121. inchoatâ, modò tamen extinctâ: Alij autem de congregatione S. Victoris Pariſienſis an. 1113. inſtitutâ. Nonnulli quoque ſunt de Capitulo VVindeſimenſi in Germaniâ ſuperiore & inferiore recentiùs ſtabilito ad annum 1387.

Denique prædictorum Canonicorum & Canonicarum Regularium Cœnobia, alia ſuis Ordinarijs ſeu Epiſcopis locorum, in quibus ſitum habent, ſubſunt; & alia ſuis Præfectis peculiaribus. Et his tamen non obſtantibus varietatibus tam in veſtitu, quàm in ſubiectione, vnum eundemq́; D. Auguſtinum, vt ſuum Legiſlatorem diuinum, agnoſcunt.

Quibus ita præmiſsis, citra Præmonſtratenſium diſplicentiam (ego enim cuiuſque loci antiquitatem, non dignitatem, aut perſonas reſpicio, vt ſæpiùs monui) venio ad deſcriptionem veteris, & illuſtris Abbatiæ S. Ioannis Valencenenſis, quia cæteras omnes Regulares aliquot annorum interſtitio præcedat; quamuis tamen dictis Præmonſtratenſibus quoad præferentiam, in publicis Hannoniæ Comitijs, cedat.

DISTINCTIO I.

Abbatia S. Ioannis Bapt. & Euang. Valencenis.

Anno 1112. DIui Ioannis intra Valencenas Monaſterium, hodiernæ ſuæ Regularis obſeruantiæ initium traxit à Cœnobio S. Criſpini in Caueâ prope Sueſſiones an. 1112. vt *Guiſius*, & *Maſſeus* annotant; hodiernæ inquam, quia primæ ſuæ inſtitutionis aut fundationis cunabula Theodorico Francorum Regi tribuit, aut veroſimiliùs Pipino Herſtallio; qui poſtquàm dictum Regem armis ſubegiſſet, ad futuram rei memoriã, tam Haſpris, quàm hîc, monaſterium condidiſſe ſcribitur circa an. Domini 687. aut iuxta alios 690. pro inhabitatione nobilium virginum, quæ, vt *Clericales ſanctimoniales* (inquit *Sigebertus*) regulare D. Auguſtini inſtitutum ſeruârunt; earumque regimini à parentibus pro tempore commiſſas fuiſſe diuas *Harlindem*, & *Renulam* narrat *Molanus in ſuis Natt. ad* 12. *Oct.*

Verùm primitiuæ iſtæ virgines nonniſi ad an. 749. tenuerunt; tunc enim (vt ſcri-

bit

bit R. *Adm. D. Antonius d'Outreman Abbas in ſuo de huius loci antiquitatibus Commentario*) in earum locum ſuffecti ſunt ſeculares Canonici à Pipino Rege Francorum, qui id monaſterium temporis & bellorum iniuriâ pene euerſum, reſtruxit.

Deinde verò (vt idem Author proſequitur) anno 1010. ſecularibus Canonicis expulſis ſubrogati ſunt Canonici Regulares Ordinis S. Auguſtini. Sed & his Regularibus etiam exactis, iterùm ſeculares reſtituti ſunt.

Tandem verò Canonicis iſtis ſecularibus ob perditos mores amotis, poſtliminij titulo redierunt Canonici Regulares; ſed quo præcisè anno, fatetur ſe nihil certi ſcire, quamuis prætacti *Guiſius*, *Maſſeus*, & poſt eos *Mireus*, annum 1112. vniformiter deſignent.

Vt vt fuerit de anno, certum eſt ab vltimâ iſtâ reformatione I. Abbatem fuiſſe *Clarembaldum*, qui ſe, & ſuos dictæ Aroaſianę Congregationi recens enatæ ſubmiſit. Eo autem ad meliorem vitam euocato ſub an. 1141. regimen excepit *S. Gilbertus*, Sueſſione à Rainero Caſtellano accitus; quo regente D. Bernardus hanc S. Ioannis Eccleſiam miraculis illuſtrauit pro vt refert *P. d'Outreman in ſuâ Hiſtoriâ*

Digitized by Google

*Cap.*1. vbi & multa ſubdit de eiuſdem Abbatis perſecutionibus; de huius Eccleſiæ libertatibus & priuilegijs; de Reliquijs & ſepulturis: Notanter verò Alexandri III. Bullam, dicti Gilberti, & ſuorum fauore, Anagniæ datam an. 1173. quæ ſic incipit: *Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Gilleberto Abbati, eiuſque fratribus S. Ioannis Baptiſtæ &c.*

Sed & fauorabiles admodùm literas Ioannis de Aueſnâ Comitis Hannoniæ anno 1287. datas, eoque tenore incipientes: *Fidelis intereſt Principis Eccleſiarum negotia, &c.* vbi inter alia Parochiæ priuilegia, ſcribitur, quòd huius loci *Abbas, tanquam familiaris & domeſticus, perpetuuſq; Capellanus & Sacerdos, conſilio Principis ſiue Comitis Hannoniæ aßiſtere poterit, & debebit &c.*

Inſuper aliud temporale beneficium profert à Ioanne de Spatio, & Heluide eius coniuge emanatum; vterque enim quidquid iuris & Dominij habebat in vico *de l'Eſpaix* iuxta S. Saluium ſito, huic Eccleſiæ in puram eleëmoſynam contulit: cuius rei fidem facit Decanus Auſtrouandiæ per ſuas literas an. 1239. datas, ſub tali principio: *Nouerit vniuerſitas veſtra, quòd Ioannes de Spatio &c.*

Confor-

Digitized by Google

Conformia prædictis aliunde ſubnecto; videlicet aliquot Epiſcoporum Cameracenſium donationes. Inprimis Burchardus altare *de Preſeau liberum & ſine perſonâ* huic Eccleſiæ conceſſit an. 1117. Nicolaus altare *de Eſtreum à Domino Odone bonæ memoriæ Epiſcopo aliàs conceſſum, eidem ad vſus Canonicorum aſſignauit & confirmauit*, pro vt ijs terminis habent eiuſdem literæ an. 1139. datæ. Sed & idem Nicolaus altare *de Semerijs* liberum & ſine perſonâ prefato monaſterio conceſſit an. 1141. & triennio pòſt eiuſdem parochialia iura & priuilegia confirmauit per literas eâ formâ incipientes: *Controuerſiam inter Eccleſiam S. Saluij, & Abbatiam S. Ioannis diu habitam decidentes, &c.* Inſuper alij, & alij Epiſcopi ſuis fauoribus & donis hanc domum proſecuti ſunt; quibus enumerandis ſuperſedeo, vt aliquot Hannoniæ Comitum beneficia ſubnectam.

Balduinus quandam manſionem huic Eccleſiæ vicinam, eique valde proficuam eidem contulit an. 1185. velut indicat hoc eius diploma: *Iuſtis petentium deſiderijs &c.* Sed & idē Comes huius Eccleſię bona ſita *in feudo de Saultaing*, ab iniuſtis exactionibus liberauit edito ſpeciali diplomate, quod ſic incipit: *Ego Balduinus Flandriæ &*

 Hanno-

Hannoniæ Comes notum fieri volo, &c. Balduinus Conſtantinopolitanus huius Cœnobij poſſeſſiones in ſuâ protectione ſuſcepit an. 1200. Quidquid autem exactionis habebat in terris *de Eſtreun* ad S. Ioannem ſpectantibus, eiuſdem Eccleſiæ in perpetuam eleëmoſynam contulit, anno 1202. velut declarat hoc eius diploma: *Ego Balduinus Flandrenſis, & Hainoenſis Comes, omnibus notum facio, quòd Hieroſolymam profecturus, tempore diſceſſus mei, quidquid exactionis & talliæ &c.*

Sed & ambæ eiuſdem filiæ Ioanna & Margarita paternæ pietatis æmulæ, in hac S. Ioannis Eccleſiâ *ſacri baptiſmatis vndâ regeneratæ, ſingulas eius poſſeſſiones in ſuâ cuſtodiâ & protectione ſuſceperunt, ſuosq; ſucceſſores, vt eandem Eccleſiam in ſempiternum manu tenerent, & in ſuo iure contra malignantes & aduerſarios tuerentur, tanquam terræ Dominos obligârunt*, pro vt his verbis legitur in dictæ Comitis Margaritæ diplomate an. 1278. dato.

Dictorum Comitum & Comitiſſarum exemplo inducti *Maximilianus* Imperator, qui in Auſtriacam gentem omnes has Belgij ditiones tranſtulit matrimonio Mariæ Burgundiæ; eiuſque filius *Carolus Quintus* pius & felix Imperator; itidemque eiuſ-

dem

Digitized by Google

dem filius *Philippus II.* tam intuitu parochiæ Comitum, quàm alijs de cauſis hoc ipſum monaſterium varijs muneribus affecerunt, & contra quoſlibet maleuolos confutati ſunt.

Albertus iam Auſtriacus, & *Iſabella* eius vxor, optimi atque optatiſſimi Principes, ſingulari vterque affectu eandem proſecuti ſunt. *Iſabella* certè, in ſui felicis ad hanc vrbem introitus mnemoſynon, notabilem portionem Reliquiarum *S. Ruſi* Epiſcopi Metenſis, huic ipſi Eccleſiæ per Thianum Comitem dono tranſmiſit an. 1629. Nec eâ re contenta, aliquot literas in huius monaſterij gratiam expedijt annis 1631. 32. & 33. quatenùs ſua Sanctitas de duobus SS. Martyrum corporibus eidem prouidere dignaretur: Quod & tandem obtinuit, potentiſſimæ *Mariæ de Medicis* Francorum Reginæ præſidijs adiuta; nam Vrbanus VIII. ad vtriuſque inſtantiam, corpora *SS. Petri & Iuliani* martyrum, Româ in has partes tranſmiſit; quæ & ſolemniſſimo ritu Valencenis excepta ſunt an. 1635. quâ de re, & alijs huc ſpectantibus ad longum ſcripſi *in Theatro Abbatiarum Hannoniæ*; vbi & huius Eccleſię Abbates ſeriatim digeſſi; proinde, ne actum agere videar, antiquiores pretermitto,

termitto, vt noſtrâ Patrumque memoriâ notos obiter deſignem,

31. *Abbas.* Videlicet D. Ioannem de la Fallize ordine XXXI. è Buſco Domini Iſaac tranſſumptum, cui pro dicto fuit: *Scopulus in vndis*; ex hoc mari magno & ſpatioſo ad quiètas manſiònes tranſlatum an. 1610.

32. D. Philippum de Lamine Valencenatem, cui *de cœlo fortitudo* ad ſuam Eccleſiam varijs modis ac medijs illuſtrandam; notanter ad ei acquirendum Pontificalis infulæ decus, an. 1629. velut eâ de re ſubjecta Bulla teſtatur.

Decet Romanum Pontificem ad ea, per quæ perſonarum quarumlibet, præſertim monaſteriorum regimini præſidentium, honori, ac ipſorum monaſteriorũ decori & ornamento, diuiniq; cultus celebritati perampliùs conſulitur, vota libenter intendere; ac in his ſui paſtoralis officij partes fauorabiliter impartiri, pro vt locorum & perſonarum huiuſmodi circumſtantijs debitè penſatis, ad deuotionis Chriſti fidelium propagationem, nec-non Altiſſimi laudem & gloriam proſpicit in Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem pro parte dilecti filij Philippi de Lamine Abbatis monaſterij S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Ioannis Euangeliſtæ, Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium, oppidi Valencenenſis, Cameracenſis Diœceſis,

teſis, petitio continebat, quòd monaſterium quindecim Religioſorum inibi ad Chorum deputatorum, & ſub clarâ diſciplinæ & obſeruantiæ normâ laudabiliter viuentium numero refertum exiſtit; & inter eos decem inſigniti Ordine ſacerdotali, & alius quidem vndecimus eiuſdem monaſterij religioſus, Sacerdos à pauco ibidem tempore functus numerantur. Porrò idem monaſterium competenter dotatum, ac vnicum eſt in præfato oppido, & inſigne admodùm tam ædificiorum ſtructurâ, quàm temporis antiquitate; vti quòd pluſquàm à nongentis annis fundatum ſit. Illius quoque Eccleſia inter cæteras Valencenenſes Eccleſias & diuini cultus ſplendore & fabricæ amplitudine, ac ornamentorum magnificentiâ præeminet; atque ideò à Chriſti fidelibus in magnâ deuotione habetur, & frequentatur. Dictum etiam oppidum valde amplum eſt, & percelebre emporium, in quo ſeptem Parochiæ numerantur; quarum vna, quæ S. Gaugerici dicitur, ſex millia communicantium circiter continet. Et ſicut eadem petitio ſubiungebat, ſi præfato Philippo moderno ac pro tempore exiſtenti dicti monaſterij Abbati, vſus mitræ, aliorumq; Pontificaliũ inſigniũ cum prærogatiuis infraſcriptis concederetur, procul dubio non ſolùm eiuſdem monaſterij decori & venuſtati, ſed etiam diuini cultus incremento, & incolarum ipſius oppidi ſpirituali conſo-

cõſolationi opportunâ ratione cõſuleretur. Quare pro parte dicti Philippi Abbatis nobis fuit humiliter ſupplicatũ, quaten⁹ ei in præmiſſis opportunè de benignitate Apoſtolicâ dignaremur.

Nos igitur præfati Philippi Abbatis votis hac in parte fauorabiliter annuere volentes, ipſumq; Philippum Abbatem à quibuſuis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel causâ latis (ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit) ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harũ ſerie abſoluentes, & abſolutũ fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto Congregationis venerabilium fratrum noſtrorum ſuper ritibus Eccleſiaſticis Præpoſitorũ, eidem Philippo, alijſq; poſt ipſum canonicè intrantibus dicti monaſterij Abbatibus, quòd ipſi ex nunc de cætero perpetuis futuris tẽporib⁹, mitrâ annulo baculo & alijs Pontificalibus inſignijs quãdocunque; ac tam in præfato monaſterio & illius Eccleſiâ, quàm etiam in alijs quibuſcũque Eccleſijs, Prioratibus & locis pijs ſecularibus & regularibus à dicto monaſterio dependentibus, vel illi quomodolibet ſubiectis, ac in celebribus Cõgregationibus, alijſq; actibus publicis atq; proceſſionibus & ſtationibus celebrandis, indui & vti; nec-non Chriſti fidelibus ad monaſterium, illiuſque, ac alias Eccleſias, Prioratus, & loca huiuſmodi accedent-

cedentibus, poſt Matutinorum, Miſſarum, Veſperarum, & aliorũ diuinorum officiorũ solẽnia, ac poſt finitas Proceſſiones, Stationes, Congregationes, actuſq; publicos, in Eccleſijs tamen pleno iure ſibi ſubiectis tum habendos, benedictionem ſolemnem (dummodò aliquis Antiſtes, vel Sedis Apoſtolicæ Legatus ibi præſens nõ ſit; ſeu ſi præſens fuerit, eius ad id accedat aſſenſus) elargiri; cruces quoque, calices, patenas, imagines, & cãpanas, ac vaſa (in quibus tamen ſacri olei, aut chriſmatis vnctio non adhibetur) atque etiã tabernacula pro conſeruatione ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, & Reliquiarum ſanctarũ, ac corporalia, veſtimenta etiã Sacerdotalia, paramenta & ornamenta quæcumque Eccleſiarum, & Prioratuũ, ac aliorum Regularium locorum quorũlibet, eidẽ tamen monaſterio, vt præfertur, ſubiectorum tantùm; illorumq; altaria cũ ſolitis ſolẽnitatibus & ceremonijs, iuxta eiuſdẽ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ritum, benedicere; necnon ea monaſterium, Prioratus, & loca huiuſmodi, eorumq; Eccleſias, capellas, & cœmiteria quæcunque, quæ ſanguinis vel ſeminis effuſione, aut aliàs quouis modo pollui contigerit (aquâ tamen priùs per aliquem Catholicum Antiſtitem, vt moris eſt, benedictâ) iuxta eundem ritum reconciliare liberè & licitè valeant, Apoſtolicâ authoritate, tenore præſentium, perpetuò concedimus & indulgemus. Non obſtantibus conſti-

conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictorumq́ monaſterij & ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq́ contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſsionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, quarto Nonas Iulij, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Hucvſque Bulla mitræ: Interruptam ſeriem proſequamur.

Præmiſſo D. Philippo de Lamine ad
33. meliora euocato, ſucceſſit D. Antonius d'Oultremã, vir inter nobiles eruditiſſim⁹, inter eruditos nobiliſſimus, inter vtroſque prudentiſſimus; qui verè & ſapienter admodùm dicere ſolitus erat: *Vt ab humo, ſic à fumo.*

Eidem ab humo, & humanis rapto poſt
34. longum morbi ſine ferro martyrium, ſuffectus eſt D. Guilielmus Mercier Athenſis, an. 1642. benedictus, deſumpto ex tunc hoc ſymbolo; *Patientia vincit,*

Cui

Cui & ad Patres ſuos hoc anno 1650. 28. Feb. appoſito, ineunte hoc Maio à Rege ſubrogatus fuit reuerendus plurimùm Dominus *Iacobus de la Riuiere* Inſulenſis, eiuſdem loci antea Prior. Deus Opt. Max. felicibus eius auſpicijs faueat, & diu ſanum ac incolumen cuſtodiat, vt verbo & exemplo, quibus deinceps præerit, prodeſſe valeat, ô fiat fiat! Eius interim prædeceſſori ſubiectum epitaphium, vice coronidis, adpono.

Integer hîc vitæ, doctuſq; reconditur Abbas
Qui mirâ ornauit relligione domum.
Scriptio prędoctũ, patiẽtẽ ſymbola *ſignãt*,
Et mala, per varias quæ tulit ipſe vices.
Non tamen his mortem vicit; *ſed victus abillâ,*
Victor ab antè ſui, ſternitur eccè ſolo.
Ne victus pereat deinceps à morte ſecundâ,
Confer opem precibus mœſta Propago tuis.

DISTINCTIO II.

Abbatia Cantipratana in Bellinghen B. Mariæ.

HVnc locum de Bellinghen, ſeſquihoræ ſpatio ab Hallis diſtantem, Cantipratenſi prope Cameracum Eccleſię *Anno 1182.*

ſubiecit

*ſubiecit Rogerus Epiſc. an.*1182. *& quaſi filiam matri obnoxiam filiali ſubiectione aßignauit*, pro vt his terminis vtitur in ſuo diplomate, quod ſic incipit : *Rogerus Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus, &c.* paulò pòſt ſubditur, quòd huius loci Eccleſia à dicto Epiſcopo conceſſa fuerit *Martino, & Leardicio Presbyteris; qui cùm habitum religionis, & vitam communem in eâ tenere proponerent, Ioanni Abbati Cantipratano obedientiam fecerunt &c.* Temporis autem proceſſu (an. videlicet 1224.) quidam Ingelbertus Angiæ Dominus, nonnulla huic monaſterio in perpetuam eleëmoſynam donauit ; ita vt præcipuus benefactor cenſeri debeat, minimè verò fundator, vt quidam volunt, quâ de re latiùs fortè ſecundis curis.

Ad alia iam nobis viciniora quòd pertinet, huius loci Prioratus gaudet nunc iure & titulo Abbatiæ Cantipratanæ, quæ olim ad muros ciuitatis Cameracenſis, ſed in fundo Arteſiæ ſita, ſæuiëtibus Galliæ bellis, in cineres redacta fuit an. 1580. ſolâ, ad rei memoriam, & populi curam, Parochiâ remanente, quæ etiamnum regitur à Canonico Regulari.

Ab eâ primitiui loci deſtructione, eiuſdem Religioſi ad hunc ſui iuris Prioratum ſeſe receperunt, ijſdem præſidente, reue-

rendo

rendo Adm. D. Bono Champion, qui rerũ potitus eſt ab an. 1583. ad annum 1605. quo *Athleta pro fide* iuxta ſymbolum obijt, ſepultus in Thurâ. 1. *Abbas in Bellinghen.*

Hunc poſtmodò excepit D. Nicolaus de Henin prçuiâ virtute, iuxta id eius ſymbolum, *Virtus omnia donat*: iſtum verò D. Iudocus Sermet Athenſis, hoc ſibi dicto aſſumpto: *Quæ ſurſum.* Iſte Monaſterium ſuum à fundo reparauit, & mitram obtinuit ab Vrbano VIII. Reſtaurationibus immoritur anno 1635. 2. 3.

Succeſſit D. Nicolaus Bernier Scauſinienſis, vnius dumtaxat anni Præſul; cui dictum fuit: *Vno tenore.* 4.

Anno autem 1637. eundem excepit, reuerendus Adm. Dom. *Franciſcus Pottier* Quercetenſis, modernus Abbas, Montibus benedictus an. 1637. ex quo tempore id ſymbolum gerit: *Nil fictè.* 5.

Plura ſubijcere poſſem & deberem ad maiorem huius Cœnobij notitiam; ſed recordatione quondàm mihi ad diſquirendum negati introitus, facere modò nec poſſum, nec ſuadeor. Pergo igitur ad alia.

Digitized by Google

CAPVT II.

De Ordine Præmonſtratenſi.

SANCTVS Norbertus Teutonicus, Xanthis illuſtri genere ortus, in Præmonſtrato candidum Ordinē ſub Regulâ S. Auguſtini inſtituit anno 1120. probante Honorio II. Moritur Archiepiſcopus Magdeburgenſis anno 1134. 6. Iunij.

Primum huius Ordinis Cœnobium, nomine Præmonſtratum, B. Virgini conſecraneum eſt, velut & cætera; quorum pleraque ab eadem ſanctiſſimâ Parente ſpeciale nomen aſſumunt. Inſuper hic Ordo & veſte candidus, & profeſſione Canonicus eſt, contemplatiuæ & ſimul actiuæ vitæ conditurâ celebris; Nam prædictus eiuſdem inſtitutor, ſuæ ac ſuorum, omniumq́; ſaluti proſpicere volens, eam ſibi praxim ſeligendam putauit, quâ ſuos ſaluaret per religionis obſeruantiam, ſeculares verò per diuini verbi prædicationem lucraretur.

Lauda-

Digitized by Google

Laudabile ſanè inſtitutum, quod per Regularis, & Paſtoralis vitæ munia, omnium curam (notanter verò rudium ac ruſticorum) intendit; nam licèt vrbibus ſua quoque talenta hic Ordo impendat, maiori tamen ex parte rus curat, & ruſticorum animas, æquè ac Regum, Deo pretioſas, lucrari conatur; pro vt vel vnica apud Belgas Floreffia teſtatur, totius Belgij prima, & Ordinis tertia tam antiquitate, quàm honore; quæ viginti tres animarum Curatores in vineâ Domini laborantes ſolet mittere.

Habet autem Belgium huius Ordinis Abbatias circiter triginta, quarum prima eſt Floreffia, velut præmiſi, anno 1121. *inſtituta: Antiquitate, & paſtoratuum numero ipſi proximè apud nos accedit Bona-Spes, de quâ, & duobus alijs Cœnobijs eodem ferè tempore enatis, quædam notatu digna ad inſtitutum meum ſubijcio.*

DISTINCTIO I.

Bona-Spes B. Mariæ.

TOtius Ordinis ſextum id monaſterium, at dignitate in Hannoniâ primum, Antuerpienſibus ab hæreſi ad veritatem reductis anno 1124. haud diu pòſt exurgere cœpit, auſpicijs cuiuſdam Guilielmi *Anno 1126.*

 lielmi

lielmi de la Croix Reginaldi filij.

Rem geſtam ſic enarrat in ſuo Bonæ-Spei Chronico ad an.1317.perducto Ioannes de Siury Prior eiuſdem loci: *Guilielmus*, inquit, *filius Reginaldi de Cruce militis in pago Hannonienſi, prædictum Ordinem Præmonſtratenſem ingreſſus eſt; cuius parentes quoddam ſuum allodiū de Ramelies, & de Vellereille præfatæ Eccleſiæ Præmonſtratenſi liberè contulerunt. In cuius allodij campo quondàm dicto Bona-Spes (cùm ipſe pater Norbertus in Archiepiſcopum Parthenopolitanæ Eccleſiæ, licèt renitens, aſſumptus anno 1124. duobus annis elapſis ſucceſſorem eligi præcepiſſet; & ſic venerabilis Hugo confirmatus, anno ſuo primo, hoc eſt 1126. plures ad præfatum miſiſſet allodium fratres idoneos) nouum Cœnobium conſtruxerunt, illud ſibi Propheticum applicantes, quod dicitur Sapientiæ 12. feciſti filios tuos Bonæ-Spei, in quo præfuit Abbas, Odo nomine, ſextus in ordine monaſteriorum &c.*

Eadem ferè recenſet *Mireus in ſuo Chronico Præmonſtratenſi*; differt tamen, at malè, in poſteriori fundationis ſupputu ad annum 1128. vbi vlteriùs refert ex *Leſſabæo*, quòd, *cùm Præmonſtratenſes in ijs locis (vnde non paruam in annos ſingulos conficiebant pecuniam) cuperent exſtructo monaſterio beneficij*

ficij

ficij laudabilem referre gratiam, victi primæ ſedis incommoditate, eò ſe contulerint, vbi nunc Bonæ-Spei nomen effulget; ſperantes nimirum per Dei gratiam ab eo ſe hîc benedicendos, & inde ſe dignos pietatis fructus facturos.

En prima huius monaſterij fundamenta, anno 1126. (& fortè priùs) iacta, vt ex præmiſſis conſtat; licèt *Mireus*, & *Gazæus* aliter ſentiant, hic enim annum 1128. deſignat, alter verò 1129.

Vt vt ſit, ex dicto *Leſſabæo* conſtat, quòd Lietardus Cameracenſis Epiſcopus anno circiter 1131. dictum Odonem benedictione impartiuerit, ac cœmiterium luſtrali ſanctificatione donârit.

Ex quo tempore prędictus Odo nouellum monaſterium vigilanter & deuotè regens, quamplures filios in Chriſto genuit; notanter B. Philippum ab Eleëmoſynâ ſuum in regimine ſucceſſorē, & B. Odam virginem, quæ miro ſtratagemate ſponſum eluſit, vt alteri, in quem Angeli deſiderant proſpicere, copularetur. Tandem verò honoris, aut potiùs oneris pertęſus, Præmonſtratum redijt, vbi & ſancto fine quieuit teſte hoc eius elogio, quod ſub eiuſdem picturâ legitur in Abbatiali aulâ. *B. Odo 1. Abbas monaſterij Bonæ-Spei, vir*

 eximiæ

eximiæ pietatis & ſanctitatis, poſtquàm monaſterium annis circiter 23. ſancto regimine gubernâſſet, ceßit monaſterio, & feliciter, beateq́; obijt Præmonſtrati anno 1156.

Aliud ſucceſſoris eius elogium profero, eius itidem picturæ inibi ſubiectum, *Beatus, ac venerabilis Philippus Haruengius, cognomento Eleëmoſynarius, monaſterij Bonæ-Spei Abbas II. vir diſertißimus, & mirificè doctus, pius & ſanctus, ſanctoq́; Bernardo familiaris, cùm prælaturæ ſuæ munus fideliter & religiosè annis viginti ſeptem adminiſtrâſſet, ſenio confectus, obijt anno Domini* 1182.

Plura liceat in eius laudem ſubtexere, ex Bibliothecâ Præmonſtratenſi, ſed breuitatis memor, remitto Lectorem ad operum ipſius an. 1620. ſimul editorum dedicatoriam; hoc vnum in eius, & prædeceſſoris gratiam ſubaddens, quòd amborum temporibus, quid nî & meritis dixero? Eccleſia Bonæ-Spei religione, & honeſtate fuerit decorata, tẽporalium abundantiâ fœcundata, varijſque priuilegijs, ac libertatibus roborata: nec-non varijs pagorum aris donata: vnde & hodie id monaſterium XX. circiter ſacros operarios in Vineam Domini emittit, æquali interim, aut etiam maiori numero, domi ad ſarcinas remanentibus, ad vacantes Pa-

rochias

rochias ſuppetijs emittendis, quarum indicem viſum hîc ſubnectere cum ſuis Patronis, & Diœceſibus.

Anderlu S. Martini prope Fontanas. *Diœc. Camerac.*
Erkelines S. Georgij.
Feluy S. Aldegundis.
Goui S. Martini prope Pieton.
Haiſne S. Pauli apud Mariæ-Montem.
Mons S. Genoueſeuæ versùs Lobium.
Morlannez S. Martini apud Parcum de Marimont.
Veillereille S. Vrſmari apud Bonam-Spem.

Chaumont S. Bauonis. *Namurc.*
Courcelle S. Lamberti prope Traſigniacum.
Familieurieux S. Bartholomæi.
Genetines S. Gertrudis.
Seneſſe SS. Cyrici & Iulittæ.
Sombreſſe B. Mariæ.

Leugnies S. Martini prope Bellimontes. *Leodien.*
Orbais S. Lamberti.
Torembays S. Trudonis.

Heyſinghe S. Amandi prope Hallas. *Mechlin.*
Annecti poteſt *Eccleſiola S. Nicolai in Boſco prope Fay, & Capellania de Giſtou.*

Sed & dictorum ſanctæ memoriæ Abbatum temporibus huic Cœnobio eueniſſe putârim decem corpora SS. Martyrum, quãuis certis monumentis deſtitutus probare id nequeam. Noſtræ interim opinio-

ni fauet tempus, quia Reinaldus Archiepiſcopus Colonienſis (ſub quo huc tranſlata ſunt) anno 1164. prӕeſſe cœpit ad an. 1185. quo obijt. Dictæ tranſlationis fidem facit antiquum huius loci Martyrologium his verbis.

Quarto Kalendas Nouembris tranſlatio SS. Martyrum Martij, Polycarpi, Valerij, Stephani, & Honorati; & beatarum virginum Terentiæ, Margaritæ, Baldinæ, Sambariæ, & Margariæ: Qui omnes in collegio vndecim millium Virginum Coloniam deuenerunt, ibique, Hunnorum perſequente malitiâ, martyrium pariter compleuerunt. Longo verò pòſt tempore, Domino Reinaldo Archiepiſcopo Colonienſi Eccleſiæ præſidente, de Eccleſiâ ſancti Heriberti in Eccleſiam de Bonâ-Spe, diſponente Domino, ſunt tranſlati, & in eadem cum honore & reuerentiâ debitâ collocati.

Et vnde hæc antiquis illis temporibus ſpiritualium donorum affluentia? ex ſanctâ & immaculatâ primorum incolarum religione, quâ ipſi Deum, Deiparam, hominesque ſibi deuinciebant; proinde nullus inficias iuerit, idipsũ Bonæ-Spei Cœnobium primorum fratrum ſudore plantatum, Deiparâ irrigante, Deoque incrementum dante, ad maximam temporaliũ, & ſpiritualium rerum abundantiam peruenisse.

Certè, temporalium ſplendorem eloquitur præmiſſorum Paſtoratuum numeroſitas, Dominiorum & decimarum copia, ſacrorum ac profanorum huius loci Abbatis titulorum diuerſitas, tot villarum, agrorum, ac nemorum frequentia, ædificiorum & ornamentorum magnificentia, tam alti, tamque magnifici templi ſplendor & maieſtas.

Porrò idipſum templum an. 1266. in honorem diuæ Virginis conſtrui cœptum, conſecrationis munus accepit anno 1274. Ex quo tempore, eiuſdem Diuæ Virginis ſignum, ad hæc vſque tempora miraculis illuſtre, ibi videre ſit; cuius præcipua ſolemnitas 25. Martij. Eo autē die in Quadrageſimâ recurrente, ex Gregorij X. indultu, *Alleluya* (præter vniuerſalis Eccleſiæ inſtitutum) cantari ſolet, pro vt conſtat ex eius Bullâ Lugduni datâ an. 1275. vndecimo Kalendas Aprilis.

Vnde & locus hic à multis vocatur monaſterium B. Mariæ Bonæ-Spei miraculoſę, quod ob miraculorum gratiam olim, & nunc à multis frequentatum; notanter à Bauaris & Hannonijs decimo quarto ſeculo, velut vtriuſque gentis inſignia quondàm ad aras ſuffixa teſtantur.

Sed & eodem ſeculo Franciæ Delphinus, dum

dum à Patre proſcriptus Genapiæ apud nos degeret, ſanctæ Spei Matrem ſibi propitiam ſenſit; ſiquidem ab eius peregrinatione redux (dum fortè ad monaſterij portam, quâ Binchium itur, dormitat) monetur à Diuâ, ne venenatã veſtem à Francis dolo ſibi ſubmiſſam induat: Quid interim ipſe? doli præſcius

Inſterni iubet eccè canem, quis credat? & eccè
Emoritur vitiante canis prætacta veneno.

Et mox ipſe Diuam reſalutatum venit, & de beneficio grates laudeſque dictum. Nec diu pòſt (anno videlicet 1450.) Rex Franciæ factus, Marianę huius beneficentiæ memor, pretioſa munera, multamque pecuniæ congeriem Seruatrici ſuæ tranſmiſit.

Amplius ſubdo, & quidẽ nobis vicinius. Illa ipſa Deiparæ ſtatua, per ignem à Gheuſijs dicto templo iniectum, eluſâ vi flammarum, intacta permanſit anno 1568. quâ de re, & alijs ad maiorem diuæ Matris Bonæ-Spei notitiam pertinentibus, latiùs, aptiuſque dicam *in Hannoniâ noſtrâ Marianâ* breuì, vt ſpero, edendâ.

Interim verò, quòd ad prędictum ignem attinet, paucis ſubijcio, quod de eius voracitate & damno ſcribit *D. Ioannes Chapeauville tomo* 3. *rerum Leodienſium Cap.* 14.

Anno,

Digitized by Google

Anno, inquit, 1568. *Auriacus* à Leodienſi patriâ redux, *petit Hannoniam;quo in itinere, irâ furoreq́ percitus, Bonæ-Spei monaſterium non procul à Binchio ſitum, ædificiorum ſtructurâ, & exquiſitiſſimo templi cultu, multarumq́ rerum raritate inprimis commendabile, igne in fauillas vertit.*

Nemo tanta huius ignis diſpendia reparari poſſe putâſſet; nihilominùs reuerendus Adm. D. Nicolaus Chamart in prælaturam an. 1607. aſſumptus, haud diu poſt operi manum admouit, Alberto Auſtriaco Sereniſſimo Principe noſtro, ad id potenter incitante, nec minùs interim liberaliter & Regaliter contribuente; *niſi enim tanti Principis manibus ac humeris ſuffulta fuiſſet Bona-Spes, omni ſpe priſtini decoris, fulgoriſq́ recuperandi penitùs excidiſſet*, pro vt ijs terminis legitur in dictâ ad eundem Principem dedicatoriâ.

Sed bene habet, tam vnius zelo, quàm alterius ſubſidijs, huius loci Eccleſia hodiernæ magnificentiæ reddita fuit; ſolemnis dehinc Sacri primitijs initiata an. 1616. Inſequente autem anno *S. Frederici* Abbatis B. Mariæ in Friſiâ reliquijs illuſtrata; & tandē an. 1648. *S. Anaſtaſij* martyris Rom. corpore perornata; vt omittam quinquaginta & ampliùs diuerſorum Sanctorum

Reli-

Digitized by Google

Reliquias, quarum ſyllabũ literario ordine ex pẽſili tabulâ aliàs à me tranſcriptũ, aptiùs dabo *in Theſauro Reliquiarum Hannoniæ.*

Ad alia quòd iam pertinet, per modum coronidis celebriores aliquot Præſules de more ſubijcio. Ioannes Deſmouſtier 15. nouã Eccleſiam an. 1266. inchoauit. Adamus eius ſucceſſor perfecit anno 1274. benedictam. Walterus 17. Theologiam Pariſijs docuit. Ioannes Cornu 35. Refectorium, Bibliothecam, ac nouum Clauſtrum erexit. Ioannes Truſſe 38. præmiſſum Eccleſiæ ſuæ incendium dolenter ſuſtinuit an. 1568. D. Ioannes Lucius 39. inſulâ primus decoratus eſt à Clemente VIII. ſibi datâ an. 1602.

Eiuſdem ſucceſſor D. Nicolaus Chamart 40. concrematàm domum priſtino ſplendori reſtituit; quamque lateritiã inuenerat (quod olim de Vrbe Octauianus Cæſar edixit) 35. annorum, quo pręfuit, ſpatio, marmoream reliquit, vbique, & in omnibus vſus *Æquâ lance*, iuxta proprium ſymbolum.

Prædictam Eccleſiam, velut & totum Cœnobiũ, nouis in dies fabricis illuſtrat reuerendus Adm. D. *Auguſtinus Felleries* 41. Abbas, magnificentiſſimè (ſi quis vnquam alter) Montibus in propriâ vrbe benedictus an. 1644. ipſo die Cathedrę S. Pe-

tri Antiochenæ; cuius honoris & virtutis palma (iuxta proprij ſymboli præſagium) *Fruticeſcet ad aſtra*; maximè ex eo, quòd præaltam quantiuis pretij capsā venerabili Euchariſtiæ Sacramento cōparârit; quòd prædicti S. Anaſtaſij martyris corpus, Romæ pro ſuo Cœnobio impetratū, condigno honore exceperit an. 1648. quòd noua omnia, quæ nunc in areâ circùm & circa conſpiciuntur, ędificia à fundamentis erexerit; quodq́; nouis in dies emblematis Eccleſię ſuę ambitū ex marmore & alabaſtrite perornet, alia & alia deinceps peracturus, ſi Deus lōgiorē ipſi vitā annuerit; quā ego, & mecum omnes ipſi adprecamur.

Parergon adinſtar corollarij ſubijcere propoſueram, hoc eſt Pontificalis infulæ Bullam, quam per quindecim & ampliùs dies exſpectans exſpectaui, nondum tamen accepi; eam proinde, vrgente prælo, hîc prætermittere cogor, ſecundis fortè curis, vbi accepero, redditurus.

DISTINCTIO II.

Viconia S. Sebaſtiani.

DE primâ huius Monaſterij origine, progreſſu, & ſanctis Reliquijs peculiarē Hiſtoriā vernaculè ſcripſit an. 1635. *Anno 1126.*

F. Adria-

F. Adrianus Dauid Regularis ibidem Canonicus, ex quo ſequentia in rem meam carptim deſumpſi.

Anno Domini 1122. triennio poſt ſecundum diui Norberti à Valencenis receſſum (bis enim pertranſijſſe legitur, videlicet an. 1116. & 1119.) Guido vir genere nobilis, patriâ Britannus, conditione verò Presbyter, auditâ eiuſdem Diui ſanctitate, Præmonſtratum ſeſe tranſtulit, vt ſalutaribus monitis ab eo eruditus, priſtinæ vitæ mores abdicaret.

Huius rei gratiâ aliquanto tempore penes eum conſedit; & tandem ad meliora conuerſus, præſignatum ſibi ab eo iuxta Valencenas monaſterium erigere ſpopondit. Nec diu pòſt à ſuo Magiſtro digreſſus, pœnitentiæ causâ Viconiæ ſyluam ingreſſus eſt, delecto ſibi loculo inter aquas ad veterem tiliam; quâ pro tecto vſus, nec apprehenſis latronum periculis, nec attentâ loci ſterilitate, præteritę vitę maculas diluere ſtuduit. Sed cùm in auſterioris huius vitę ſtatu velut triennio perſtitiſſet, etiam alijs prodeſſe ſatagens, accolas ſacris concionibus (quas adiuuabant mores ſancti) frequẽter erudiebat; & quidem cum tanto fructu, vt multos ſibi diſcipulos in vnum congregârit, cum quibus adinſtar

adinſtar Apoſtolorum communi victu ac veſtitu vtebatur, ſed abſque ſpecialis regulæ obſeruantiâ.

Tandem creſcente in dies fratrum numero, ne alieni fundi vſurpator diceretur, aut haberi poſſet, quemdam *Almannum de Ponte* Duaci conuenit, à quo partim per pecuniam, partim per eleëmoſynam Viconię ſiluę latifundio donatus, an. 1126. habicula ad conſeruandam religionem illic ędificare cœpit; quâ de re audiamus Balduinum Comitem ita loquentem. *Igitur, quoniam iuſtum erat, vt locus ille deinceps à iure & dominio ſeculari omnimodis alienaretur, ego Balduinus Comes Haynoenſium magnam partem iam dictæ ſyluæ de manu Almanni in manum meam redditam, tibi VVarine venerabilis Abbas, tuiſq; ſucceſſoribus in proprium allodiũ pro ſalute animæ meæ conceſſi. Addidi etiã eidem Eccleſiæ in eadem ſyluâ curtim, quæ dicitur Suſemont, liberam cum tribus carrucis terræ &c.* Hactenus ex diplomate Balduini III. Comitis anno demum 1143. dato, integrè alibi à me producendo: Cętera interim proſequor.

Dum hęc agerentur cum dicto Almanno Duacenſi, opportunè contigit, vt B. Walterus 1. Abbas S. Martini Laudunenſis ex dicto Ordine Pręmonſtratenſi, Duacenis

cenis ſacras literas concionãdo interpretaretur: Factâ verò huius loci honorificâ apud ſuos Auditores mentione, multos in ipſius amorem pertraxit. Itaque diuerſis eodèm loci concurrentibus, Robertus Atrebatenſis Epiſcopus indulſit, vt prædicti Ordinis inſtitutum ſimul amplecterentur. Mox ædificijs locus augeri cœptus, diuoque Sebaſtiano ædicula conſtructa ex rudi ligno, & paleæ tegeticulis: Inſuper primitiuis Fratribus *de Casâ Dei* dictis Abbas Lauduno trãſmiſſus fuit, nomine Warinus, anno 1129. à dicto Epiſcopo benedictus.

Verùm proceſſu temporis, cùm dicta ædicula pro aduentantium in dies numero anguſtior eſſet, aliam iuxtim ædificauit Guarinus ſiue Warinus; quâ de re ita noſter *Leſſabaus: D. Virgini inſtaurata totos ſex annos ædes ſacra, ſeptimò conſecrata fuit ſub octauum Kalendas Octobris, anno M. centeſimo vndequadrageſimo*: Huius anni & diei mentionem facit *Coluenerius in ſuo Kalendario Mariano ad 24 Septemb.*

Porrò eiuſdem Guarini, & aliquot eius ſucceſſorum indagine, allatæ ſunt Coloniâ & Aquiſgrano multiplices Reliquiæ SS. Martyrum Thebæorum, nec-non ſanctarum Virginum & Martyrum Diuæ

Vrſulæ

Vrſulæ ſodalium. Sed & dicti Guidonis ſedulâ conquiſitione aliæ & aliæ allatæ ſunt; notanter coſta & tibia *S. Sebaſtiani ex Sueſſione*, propter inſtantem tunc temporis neceſſitatem, ſæuiente nimirum per has Regiones epidimiâ; quâ de cauſâ primum Viconiæ oratorium eidem Sancto à dictoGuidone inſcriptum fuiſſe cōperio. Finaliter pars capitis *S. Blaſij* cum minoribus particulis, tres eiuſdem dentes, & annulus aureus à primis inquilinis huc etiam illata ſunt; ſed à quibus, & quo præcisè anno, nuſquam legitur. Eſtque celebris hodie memoria eiuſdem S. Martyris, ob multiplices curationum gratias, in ſacello, quod ampliſſimum habet à dextris Eccleſiæ, vbi & eius vitam atque martyrium muris ex marmore incruſtatum videre eſt.

Cæterùm de vtriuſque ſancti Martyris, & aliorum viginti & vnius Diuorum Reliquijs nouiſſimè quiddā præluſi; proinde Lectorem meū remitto ad *Viconiam Sanctam*, quæ eorumdem inuentionem, & honorificam tranſlationem continet.

Pergo nunc vlteriùs, & hodiernum Viconiæ ſtatum ex *Miræi* textu profero; ſic enim ille in Chronico ſuo Præmonſtratenſi ad an. 1125. *Eſt hodie Viconienſis Abbatia*

batia eleganti ædificiorum apparatu quàm maximè ſpectabilis; periſtilijs item, porticibus, turribus, fontibus, alijſq; ad ornatum vſumq; pertinentibus adeò eleganter inſtructa, vt poſt Eſcuriacum noſtro æuo in Hiſpanijs extructū (ſi architecturæ leges & præcepta ſpectes) vniuerſa inter orbis Chriſtiani monaſteria, exterorum etiam iudicio, Viconia fere palmam obtineat. Iure igitur quis hoc illi elogium attribuat: Viconia vincit omnia.

Sed omnis hęc pulchritudo exterior eſt; maior gloria eius ab intùs, quam ſubiectis verbis adſtruit *Ioannes le Paige* in ſuâ bibliothecâ Pręmonſtratenſi Lib. 2. fol. 524. *Non ædificiorum dumtaxat elegantiâ, ſed & viuorum lapidum, ſcilicet Sanctorum, doctorumq; virorum multitudine referta admodùm floruit; ex eâ quippè non pauci Canonici ad tantam doctrinæ perfectionem peruenerunt, vt Doctoris & Magiſtri inſignibus in celeberrimo Pariſienſi emporio ſolemni more decorati, ſacram Theologiam ibidem publicè profeßi ſint;* quorum aliquot nomine tenùs infra deſignabo.

Interim verò celebriores aliquot Abbates (nec enim ſingulos alibi à me digeſtos iuuat hîc repetere) in medium adduco; & dico inprimis creuiſſe hoc monaſterium religione & Sanctorum cultu ſub

dicto

dicto *Guarino* I. Abbate, qui regularem diſciplinam Lauduno, velut è perfectiſſimo S. Norberti ſeminario, pectoris ſui ſcrinio concluſam aduexit. Sub *Gerardo II.* qui, vt ſummus honoris Dei, & Sanctorum eius zelator, annis 1157. 58. & 59. diuerſa SS. Martyrum Thebæorum pignorâ Coloniæ quæſita, Eccleſiæ ſuæ in æternùm acquiſiuit. Sub *Radulpho* IX. qui, vt vnicum virtutis exemplar, monaſticen præcedentium incuriâ labefactatam, pietate ſuâ reformauit an. 1205. Sub *Ægidio de Leuuis* XI. qui Eccleſiæ ſuæ diligens decorem, nonnulla etiam corpora ex ſocietate S. Vrſulæ Aquiſgrano obtinuit anno 1236.

Splendoribus autem & magnificentiâ creuit ſub *Guilielmo VVercinio* XIII. qui demolitâ ſecundâ huius loci Eccleſiâ, tertiam toto hoc tractu ſpectabilem an. 1260. inchoauit. Sub *Ægidio de Manſo* XXI. viro ad omnia ſumma nato, qui ſacra & profana huius loci vtenſilia belli iniquitate oppignorata, ingenti pretio redemit. Sub *D. Ioanne de Bracq* XXIX. viro, præter ſummũ in literatos fauorem, literato; qui auctâ æde ſacrâ, alteraque turri exſtructâ, fontibus item variè deductis, varijsque ędificijs in trianguli formam aptiſſimè diſpoſitis,

 Cœno-

Cœnobium ſuum magnificentiſſimè exornauit ante mortem, quæ euenit an. 1550. Sub *D. Gilberto de la Couſture* XXX. qui miræ pulchritudinis bibliothecam erexit. Sub *D. Antonio Vermans* XXXII. qui ſuis de Refugio prouidit Montibus, & Valencenis. Sub *D. Ioanne Six* XXXIII. qui argenteas capſas diuis Sebaſtiano & Blaſio erexit. Sub *D. Natali Carre* XXXV. qui Pontificalis inſulæ decus à Paulo V. obtinuit. Sub *D. Matthia Bar* XXXVI. qui Eccleſiam ſuam magnificentiſſimo odeio, principis altaris admirabili ſtructurâ, & alijs emblematis perornauit, an. 1641. ſublatus *à terrâ ad aſtra*, teſte eiuſdem ſymbolo.

Huius hodie veſtigijs inſiſtit R. Adm. *D. Chriſtophorus Labe* Inſulenſis, qui domum ſuam pereleganti ædificio nuper illuſtrauit. Integer hîc vitæ, & famæ ſimul, per-aptè hoc ſymbolo cognomini adludente vtitur: *Sine labe.*

Age, age felix tali & tam candido Præſule Viconia, quæ tot viros ſanctitatis opinione celebres edidiſti; in his B. *Guidonem* eremiticæ vitæ ſectatorem; B. *Guarinum* I. ſanctitatis eximiæ Abbatem; B. *Radulphum* ſibi parcum, at egenis prodigum; B. *VValterum* cæleſti lumine poſt

mortem

mortem irradiatum; B. *Guilelmum VVercinium* Deiparæ chariſſimum; B. *Iacobum* Angelicæ puritatis Nouitium; & B. *Nicolaum* Priorem ipſi ſatanæ formidoloſum. Age, inquam, felix tam erudito Pręſule Viconia, quæ priùs habuiſti è tuis doctrinâ claros, *Euſtachium Lenſium*, *Ioannem de Tungriâ*, *Ioannem Pricheſium*, *Petrum & Thomam* S. T. Doctores; inſuper *Nicolaū à Montignies*, *Rogerum Decktum*, & alios. Iterum dico, age felix tam majeſtuoſo & inſigni Præſule Viconia, quę ad maiorē Altiſſimi laudem, tuique gloriam, Pontificalis infulæ decus (quod vnicum tibi deerat) haud ita pridem obtinuiſti: Quæ quidem nouiſſima tua dignitas, vt omnibus notoria ſit, eius obtentionis Bullam tanquam finale ornamentum ſubijcio.

Paulus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Natali Carre, Abbati monaſterij loci de Vicoigne Atrebatenſis Diœceſis, Præmonſtratenſis Ordinis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Decet Romanum Pontificem perſonarum quarumlibet, præſertim Abbatiali dignitate pollentium, vota, per quæ honori eorum ac monaſteriorum, quibus præſunt, decori & ornamento, diuiniq; cultus celebritati peramplius conſulitur, ad exauditionis gratiam admittere, ac in his Apoſtolici fauoris partes libenter im-

 partiri,

partiri, pro vt locorum, & perſonarum circumſtantijs debitè penſatis, ad Altiſsimi laudem & gloriam, nec-non Chriſti fidelium propagationem proſpicit ſalubriter expedire. Cùm autem (ſicut exhibita nobis nuper pro parte tuâ petitio continebat) monaſterium loci de Vicoigne Præmonſtratenſis Ordinis, Atrebaten. Diœceſ. cui præeſſe dignoſceris, ab Ordinarij iure exemptum & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectum, ac ampliſsimis redditibus ſuffultum, frequentiq; Religioſorum inibi Deo famulantium numero refertum, ac in illis partibus admodùm celebre & inſigne exiſtat; illiuſq; Abbas pro tempore exiſtens ad Comitia Statuũ Hannoniæ Prouinciæ, dum pro tempore celebrantur, conuocari; ac tam in illis, quàm ſolemnioribus Conuentualibus miſsis, & alijs diuinis officijs, tam diurnis, quàm nocturnis in Eccleſiâ dicti monaſterij per illius Religioſos, nec-non proceſsionibus, & alijs actionibus publicis per Clerum Regularem & ſecularem ciuitatis & Diœceſis Atrebatenſis celebrari ſolitis, cum alijs eiuſdem Diœceſis Atrebatenſis Prælatis interuenire & aſſiſtere ſoleat: ad maiorem verò Monaſterij, Cleri, diuinorum officiorum, proceſsionum & actionum huiuſmodi venuſtatem & ornatum, plurimùm cupias tibi, & ſucceſſoribus tuis pro tempore exiſtentibus dicti monaſterij Abbatibus, vſum mitræ & baculi

culi paſtoralium, per nos & ſedem Apoſtolicam concedi. Nos igitur, ex voto ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſuper ritibus Eccleſiaſticis deputatorum, te, & dictum monaſterium, ac illius Abbates pro tempore exiſtentes condignis honoribus proſequi volentes; teq́; & ſingulares perſonas dicti monaſterij à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq́; Eccleſiaſticis cenſuris, ſententijs, & pœnis à iure vel ab homine, quauis occaſione vel causâ latis (ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis) ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, ſucceſſoribuſq́; tuis Prælatis, vt de cætero perpetuis futuris temporibus in prædicti monaſterij, & quacunque aliâ Eccleſiâ Miſſam, & alia diuina officia celebrando, ac in proceſſionibus, cæteriſq́; ceremonijs, & actibus Eccleſiaſticis publicis & priuatis, mitrâ & baculo paſtoralibus, nec-non chirothecis, annulo, ſandalijs, mantello ſeu mozettâ, pileo, rocheto, habitu, coloribus, cæteriſq́; ornamentis, veſtibus, & inſignijs Pontificalibus vti, illaq́; induere, deferre, geſtare; ac mitram ipſam ſuper gentilitijs eorum inſignijs apponere; Miſſaſque, & alia diuina officia Pontificaliter & more Epiſcoporum, de conſenſu Ordinarij loci, celebrare; necnon poſt Veſperas, Matutinarum, Miſſarum,

& aliorum diuinorum officiorum ſolemnia, ſuper populum inibi præſentem (dummodò ibi Epiſcopus, vel Antiſtes, aut Sedis Apoſtolicæ Legatus præſens nō fuerit, vel ſi adfuerit, ad id eius accedat aſſenſus, ſolemnem benedictionem impendere & elargiri; nec-non calices, patenas, corporalia, cruces, imagines, tabernacula (etiam in quibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, & ſacræ Reliquiæ aſſeruantur) nec-non candelabra, libros, pluuialia, capſulas, chlamydes, ſubuculas, ſindones, ſtolas, manipulos, mappas, pannos, aliaq; vaſa, vaſcula; veſtimenta, paramenta, ornamenta, & munimenta Eccleſiaſtica, & alia quæcunque diuino cultui neceſſaria, & dedicata ſeu dedicanda (exceptis tamen ijs, in quibus ſacri olei vnctio requiritur) cum ſolitis ſolemnitatibus & ceremonijs, ac iuxta eiuſdem Romanæ Eccleſiæ ritum morem & conſuetudinem; nec-non quaſcunque Eccleſias, capellas, oratoria, & cœmiteria, aliaq; Eccleſiaſtica loca, ſolitis ſolemnitatibus adhibitis, ſeruatoq; pariter ritu & more eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, benedicere; & ſi illa ſanguinis vel ſeminis effuſione pollui contigerit, iuxta eundem ritum reconciliare liberè, & licite valeatis, Apoſtolicâ authoritate, tenore præſentium, concedimus & indulgemus. Decernentes vos deſuper à quoquam, quouis prætextu, colore, vel ingenio moleſtari, perturbari, aut impediri

nunquam

Digitized by Google

nunquam poſſe. Sicq́; per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, & cauſarum palatij Apoſtolici Auditores, ac eiuſdem Rom. Eccleſiæ Cardiles iudicari, & definiri debere; nec-non irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quauis authoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, vniuerſalibuſq́; Concilijs editis & edendis, ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus acquiſitis (etiamſi ad opus Monaſterij) & ordinis Prælatorum iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſq́; contrarijs quibuſcumque. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctã Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XIX. ſexto Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno quinto decimo.

DISTIN-

DISTINCTIO III.

Abbatia S. Foillani.

Anno 1126. PRæmonſtratenſis apud nos inſtituti trigam perficit Cœnobium S. Foillanani, Rhodienſis oppidi muris adjacens, ad quem locum Niuellis digreſſus innocens Pontifex martyrium pertulit cum tribus ſocijs an. 650. aut iuxta alios, 655. 31. Octob. ex quo die vſque ad 16. ſubſequentis Ianuarij (78. dies intermedij ſunt) venerabile eiuſdem corpus abſque vllâ putredine ſub dio manſit; & inde tādem diuino monitu à S. Gertrude, nobiliq́ue eiuſdem Collegio proceſſionaliter elatum, Foſſis illatum fuit, vbi & hodie cum S. Vltano fratre requieſcit.

Nihilominùs in hoc eius martyrij loco iugis eiuſdē memoria ex tunc vſque hodie perſeuerat; nam ſtatim poſt cædem facto præcinctu determinatū fuit atrium, & in eius medio ædicula cum altari erecta fuit, ad quam Dominicis & feſtiuis diebus confluebant accolæ; à quibus luminaria ſępiùs de nocte viſa; auditæ canentium melodiæ; immò verò ſanguis ebulli-

bullire viſus, pro vt in eiuſdem Sancti miraculis ab *Hillino* deſcriptum fuſiùs continetur.

Et ne quis prędictorum fidem eleuet, moneo (antequàm vlteriùs progrediar) quòd, ad prętacti bullientis ſanguinis memoriam, in mediâ Eccleſię Naui erectum hodieque ſtet S. Foillani ſignum; quo in loco eiuſdem corpus inuentum fuiſſe aiunt, caput verò ſeorſim, & paulò remotiùs, vbi ab an. 1639. (etſi iam ab ante) extare ſolet ſacellum cum additis hoſpitum cameris magnificè inſtauratum, & in eo fons ad-inſtar putei (hic olim è terrâ prorupit inuento S. Pontificis capite) cum duplici inſcriptione: Prima ſic habet:

Fontis locus martyrij
Deſignat priuilegium: Altera verò ſic:
Martyrij Foillane tui fons ſignat arenam,
Qui ſubitò ſacrâ prodijt ortus humo.

Sed iam in orbitam. In eo, vt dixi, martyrij loco, qui *Ampolin* olim dicebatur (tunc enim non erat Rhodij mentio, aut manſio) creſcente in dies populo, aliquot Monachi Foſſis tranſmiſſi ſunt, tum, vt credi par eſt, Benedictini, diuinis hîc vſque ad tempora Nordmãnorum perfuncti; quorũ barbarie & feritate ipſis inde ex-

expulſis ; locus iſte in ſolitudinem redactus, miniſtrorum officio permultis annis caruit.

Tandem verò ceſſantibus hoſtium perſecutionibus, cùm Nodgerus Leodienſis Epiſcopus an. 971. initiatus, deſolatæ inter alias Foſſenſi Eccleſiæ Monachorum loco de Canonicis prouidiſſet, mox ipſi derelictam S. Foillani ædiculam poſtliminiò ſibi vindicârunt, paſtoralibus in eâ munijs, præcedentium Monachorum ritu, vacaturi.

His autem functionibus dum ipſi inſiſterent, diuusque Norbertus Pręmonſtratenſis Ordinis fundator, Godefridi & Ermeſuendis Comitiſſæ dono, Floreffiam pro ſuis recens obtinuiſſet anno 1121. & ipſi quadriennio pòſt, visâ ſanctitate Ordinis, intuituque B. Hugonis, qui erat ſocius diui Norberti, natione Foſſenſis (vt conſtat ex ejus vitâ Cap. 1.) hunc ipſum locum eius inſtituti ſodalibus Præmonſtrato euocatis donârunt. Vnde hæc ipſa Domus Præmonſtrati filia eſt, eademque inſignia gerit in cæruleo ſcuto numeroſis aureis lilijs adornata, nec-non duplici baculo Abbatiali tranſuerſim eunte interſtincta, ſubſcripto hoc nouiſſimo ſymbolo : *Sicut lilium.*

Non

Non erat ſatis de loco prouidiſſe, nî & de tēporalibus prouideretur. Itaque Burchardus Epiſcopus Cameracenſis partim dictorum Foſſenſium petitione, partim etiam reſpectu prælibati ſancti Norberti quondàm ſui in aulâ Cęſaris amici, nouos Cœnobitas aliquot pagorum aris dotauit an. 1125. vt patet ex eius literis tale principium habentibus: *Burchardus permiſſione diuinâ humilis Epiſcopus Cameracenſis ...... dono ad augmentũ cultus diuini in ſacello de Senophe, ſito in loco martyrij S. Foillani, altaria de Strepij &c.* Quam poſtea donationem, Nicolaus eiuſdem ſucceſſor, per alias literas confirmauit anno 1137. ſub huius tenore initij: *In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ego Nicolaus Dei gratiâ Cameracenſium Epiſcopus &c.*

Quia verò in vtriuſque Epiſcopi literis Parochiarum huic monaſterio ſubditarum fit mentio, operæ-pretium fuerit eaſdem hîc per tranſennam breuiter recitare, pro vt ſupra fecimus in Bona-Spe, licèt numero ſint impares. Literarius ordo ſit iſte.

Arquenne S. Bonifacij Mart. verſùs Niuellas.
Croix S. Medardi in Galliâ verſùs S. Quintinũ.
Mignau S. Martini.
Mõmegnies S. Amãdi, aliàs Borle-Fontaine.
Peronne B. Mariæ cum ſuccurſu de Triuier S. Martini.
Roeux S. Nicolai.

Strepij

Strepij S. Martini.

VValers S. Hilarij.

Cęterùm, priuſquàm ad alia deſcendam, dicti Burchardi literę ſcrupulum mihi inijciunt, an prætacto anno 1125. locus hic in Abbatiam erectus fuerit, quandoquidem in ijs ita ſcriptum ſit: *Et ſi contingat locum hunc ad Abbatialem dignitatem euchi, volo vt Abbas canonicè electus &c.* ex quibus verbis non prę ſens, ſed futurum ſupponi debet. Interim verò ex præmiſsâ donatione eodem anno factâ euidenter colligitur, hoc ipſo vel ſequente, inchoatum fuiſſe Cœnobium, eiuſdemque primos fratres attributas ſibi Parochias adminiſtrare cœpiſſe, maximè verò domeſticā, quæ primitiuis Sterpeij, & Rhodij incolis hactenus ſeruierat.

Temporis autem proceſſu (annum nuſquam reperi) ad multiplicatæ plebis inſtātiam ſeparata, & in vicinam vrbem tranſlata fuit de conſenſu Abbatis & Conuentus; quâ de re literas vidimus in Manuſcripto priuilegiorum huius Monaſterij. Decernitur autem in ijs (ad ſignum filialis erga matrem reuerentiæ & recognitionis) vt perpetuis deinceps temporibus Paſtor, vt anteà, deſumatur è gremio Monaſterij. Exinde, vt Oppidani ad matrem

trem Eccleſiam quotannis veniant *in Feſto Purificationis B. Mariæ, Dominicâ Palmarum, Feriâ 6. Paraſceues, Vigiliâ Paſchæ, & Pentecoſtes.* Iam tamen ex indultu Prælatorum bis dumtaxat in anno conuenire ſolent, benedictos fontes ad Parochialem ſuam Eccleſiam relaturi. Sed de his plus ſatis; proſequamur iam Abbatiæ erectionem.

Aureis diui Norberti temporibus, re (quod amat fieri) auctâ, eiuſque Ordine in vineâ Domini per Belgium mirabiliter fructificante; tandem primi Cœnobitæ Abbatem ſibi delegêrunt nomine dictum *Nicolaum*, à Reuerẽdiſſimo D. Nicolao Cameracenſi Epiſcopo benedictum; qui à felicibus Prælaturæ ſuæ auſpicijs, floruit tam in temporalium, quàm ſpiritualium honorificâ adminiſtratione, notanter prædicto anno 1137. quo idem Epiſcopus hoc ipſum Cœnobium auctoritate ſuâ confirmauit, præmiſſáſque ruralium Eccleſiarum donationes adprobauit; cuius eâ de re literas ſecundis curis dabo, velut & alias Simonis Epiſcopi Nouiomenſis, qui etiam quædam bona in Gallijs ſita huic Monaſterio circa id tempus dediſſe ſcribitur.

Ad alia iam quòd attinet, viſum hic

mihi

mihi quædam ſubnectere de eiuſdem Cœnobij Baſilicâ, nec-non Sanctorum Reliquijs in eâ quieſcentibus, ac poſtremò de vnius & medij ſeculi Abbatibus, quia antecedentium ordo non ſit adeò certus.

Equidem quòd huius loci Eccleſiam concernit, ea valdè ſplendida eſt cæterarum adinſtar Norbertinarum, & eleganti admodùm Choro gloriatur, ad cuius aram magnificè & ſumptuosè ex alabaſtrite, candidâque petrâ elatam, ſæpiùs videre ſit ſubſequentes Reliquias, tam deſuper, expoſitas, quàm ſuprà tribus loculamentis repoſitas.

Viſitur inprimis eiuſdem S. Foillani mandibula, & pollicis iunctura argenti ſtatuâ ſplendicans; item os eius brachij argenteo inſertum brachio. Cranium & brachium S. Secundæ argenteis capite & brachio incluſum. S. Theophaniæ phylacterium. Vertebra S. Mariæ Oigniacenſis. Os femoris S. Frederici Abbatis. Pars quædam de cinere corporis S. Norberti, de pedo Paſtorali, de ipſius veſte, de humore corporis, & brandeum eiuſdem contactu ſanctificatum. Finaliter aliæ, & aliæ plurium Sanctorum ac Sanctarum Dei reliquiæ veteres & nouę conſpiciuntur; quarum partem an. 1640. obtinuit reuerendus

dus admodùm D. Philippus Malapert pię memoriæ nouiſſimus Abbas, tum à Lætiæ ſui temporis Prælato, tum à proprio fratre, R. P. Carolo à S. Ioſeph Carmelita Diſcalceato, hodie, vt ferunt, Prouinciali; vt omittam alias per eundem Philippum Abbatem iure viſitationis acquiſitas, dum ex commiſſione SS. *Anaſtaſii*, *Antonini*, *& Eugeniæ Martyrum* corpora, ex Vrbe Montibus apud Patres Minimos an. 1648. excepta, viſitâſſet.

Viſuntur & ſupra corpora *SS. Secundæ & Paubriralia*, ex numero 11000. V. V. Coloniâ per S. Norbertum probabiliter olim accepta, quod ſuperioribus annis innuebat hæc veteris capſæ ſuperſcriptio: *Accipe munus, quod tibi felix Colonia mittit*, à ſe inuicem recens ſeparata, diſtinctiſque rubeis loculis incluſa.

Sed & nouiſſimè ab an. 1617. exponi ſolet magna pars corporis prędicti S. Siardi Abbatis, magnifico feretro nuper incluſa cum hac ad ipſius baſim epigraphe. *Deo Opt. Max. Deiparæ, ſemperq; Virgini Mariæ, ſancto Siardo Abbati, hoc deuotionis perpetuæ monumentum erigi curat R. D. Philippus Malapert Abbas Eccleſiæ S. Foillani, an. M. DC. XLII.*

Tertiæ ſuperioris thecæ Reliquias prę-

tereo, nè longior ſim, meumque Lecto-rem remitto ad ſingularem de huius loci Reliquijs catalogum, qui ipſius Sacrarij muris appendet.

Iam ad Abbatum ſeriem vocor, & ſimul ad Pontificalis Bullæ (quâ ipſis vſus mitræ conceditur) editionem; ſed eam Bullam pluries à me petitam, & adhuc inconceſſam prætereo, velut & ſingulos Abbates ritè digeſtos, ſufficientium munimentorum defectu. Interim verò vnius & medij ſæculi ordinem ex ſingulorum epitaphijs fideliter à me collectum, & ſimul colligatum repræſento.

Iaſpardus le Plicinier obijt anno 1506. Nicolaus le Ghay 1511. Petrus Ioli 1521. Petrus Maurage 1549. Ludouicus Fuſee 1554. Dionyſius Hiorcq 1557. Ioannes de la Cauchie 1564. Vrſmarus Soupart 1569. Vincentius Machelart 1578. D. Ioannes Rondeau 1620.

Hic (vt erat antiquæ pietatis, & ætatis) laudibilia fecit in vitâ ſuâ. Omnium primus vſum mitræ & Pontificalium impetrauit à Paulo V. vigore Bullæ an. 1606. quarto Idus Maij datæ. Poſt 42. annorum regimen è viuis abijt, monumento donatus ante veterem ſancti Norberti aram, modò deſtructam.

D. Pau-

D. Paulus Charlon poſt noui Refectorij ſtructuram, & alia, quæ mortis obuentu infecta reliquit, obijt an. 1628. ſepultus in Naui, in quâ maior pars Abbatum contumulata iacet.

D. Nicolaus Scoriot poſt nouæ Sacriſtiæ, Capituli, & Clauſtri ex parte fabricam, obdormiuit an. 1637. tumulatus in medio dicti Capituli.

D. Philippus Malapert Montenſis poſt D. Foillani hoſpitium, & clauſtralis pauimenti innouationem, aliaque ædificia Montibus inſtaurata, ibidē obijt an. 1649. 29. Nou. ſymbolo hoc vſus parentum lilijs adludente: *Virtute floreant*.

Eo autem, poſt Deputati Statuum Hanoniæ partes velut ſex annis obitas, ad meliora tranſſumpto, & in medio Chori præ alijs ſuis prędeceſſoribus ſepulto, fuit in eius locum à Rege ſuffectus anno 1650. reuerendus admodùm D. *Siardus Iulion* Criſpinienſis, ex Valle S. Hilarij ad id dignitatis aſſumptus, & ſolemniter apud quos benedictus eodem anno 1. die Maij, à Reuerendiſſimo Domino D. Gaſpare Nemio Epiſcopo Antuerpienſi, & Archiep. Cameracenſi à Rege nominato, ſuo quondàm in ſacrâ Theologiâ Duaci Profeſſore.

Nouello Domino Abbati ab iſto bene-dictionis die hoc ſymbolum eſt: *Crux rigat arida*. Det ei Deus felix in iſtâ Prælaturâ auſpicium; & notanter in bonis actibus (*rigante eius Cruce*) fœcunditatem, vt domus eius *Sicut lilium* florens, per ipſum deinceps in ſpiritualibus & temporalibus amplificetur: In quo voto deſino, piæ eius prædeceſſoris memoriæ, honoris & moris ergò, monimentum adponens.

Deuiruit florens virtute, *refloreat in Spe*;
Florida cui viuo lilia *ſemper erant.*
Arma paterna vides? ſunt lilia; lilia ſtrauit
Hac Domus Abbati, totus & Ordo dedit.
Hinc bene cõueniens trifidis qui Symbolon armis
Hîc tulit, in cœlo flos rediuiuus erit.

ALIVD.

Heu mala perditio! Malapertius occidit Abbas,
Ordinis, atque Domus perdita dracma iacet.
Perdita dracma iacet, vix inuenienda deinceps;
Accendat lumen, qui reperire poteſt.

MONITIVNCVLA.

Præmiſſis tribus Ordinis Præmonſtratenſis Abbatijs, ſubijciendi forent ad bonam connexionem tres eiuſdem Prioratus; ſed quia inſtitutum Regularium Canonicorum antiquius eſt Norbertino, eoſdem tantiſper ſepono, & vnum alterumve Prioratum Regularem S. Auguſtini interijciens, Abbatiam Vallis-Scholarium præmitto.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

De Ordine Vallis-Scholarium.

INſtitui cœpit hic Ordo ſub an. 1201. in Campaniâ Regni Galliæ Prouinciâ, authore Guilielmo, natione Anglo; qui cum tribus ſocÿs Richardo, Euerardo, & Manaſſe, Pariſiis S. Theol. Doctoribus & ſimul Profeſſoribus, mundi vanitatum pertæſus, in altiſſimam Lingonenſis Diœceſis eremum ſeceſſit, ſibiq; at ſuis ex inſtituto S. Auguſtini deinceps victuris peculiarem formam præſcripſit. Ordinem poſtea confirmauit Honorius III. an. 1218. Pontificatus ſui tertio.

Quia verò in valle fundatum ſit, & à Scholaribus idipſum nomen humilitatis causâ retinentibus, hinc fit, vt omnes huius Ordinis familiæ Vallis-Scholariũ titulo nuncupentur.

Gaudet hic Ordo magnis priuilegÿs ſibi à varÿs Pontificibus conceſſis, notãter à Gregorio IX. dicti Honorÿ ſucceſſore, qui contra interdictum, & quædam alia, Apoſtolicũ breue dedit eo tenore incipiẽs: Suſcepti cura regiminis: *& à Paulo II. qui ÿſdem priuilegijs totũ hunc*

Ordinem donauit, quibus hodie vtuntur & gaudent Ciſtercienſes, pro vt conſtat ex eius Bullâ Romæ datâ an. 1469. *quæ ſic incipit:* Cunctis orbis Eccleſijs &c. *Eam ipſam, velut prælo digniſſimam, imprimi curauit an.* 1646. *reuerendus admodùm D. Martinus Colin, Abbas Vallis-Scholarium Montibus.*

Cæterùm dictæ Vallis-Scholares habitu vtuntur per omnia ferè candido, niſi quòd domi cingulum & biretum, foris autem galerum & pallium nigrum geſtent; in templo autem vix à Præmonſtratenſibus diſtinguere ſit, cùm vtrique ſuperpelliceis vtuntur.

Præclari huius inſtituti Archicœnobium vocari ſolet noſtra Domina in dictâ Diœceſi Lingonenſi; cuius exemplo, cætera paſſim Coenobia B. Mariæ titulo inſigniuntur; ſic apud nos dicitur Noſtra Domina de Valle in Montibus, Noſtra Domina de Leodio, de Gerondiſarto, de Houfaliſiâ, de Leuuis, & de Hanſuuicâ Mechliniæ. Quibus ex occaſione breuiter enumeratis, ad prioris noſtri deſcriptionem immediatè progredior.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO VNICA.

Abbatia Vallis-Scholarium Montibus.

IN huius Cœnobij Mariani fundamento reperitur æternæ meſſionis præuentio, in nomine reuerentia, in progreſſu religio, in decliui & ſemoto loco amœnitas. Nomen loci *Pratum eſt B. Mariæ*, & in nomine antiquo omen abſconditur; ſcilicet fore, vt ibi Ordo Canonicorum Regularium, D. Virginis obſequio peculiariter dicatus, fructificaret. *Anno 1617.*

Margarita Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa *ex merâ liberalitate, ac motu proprio, & gratiâ purâ dedit & conceßit manſum* * *quemdam, qui quondàm fuit Ioãnis dicti Noe, & Saræ vxoris (quem ipſa ab eiſdem emerat ſitum in villâ ſuâ Montenſi)* primis fratribus Lutetiâ euocatis; *tranſlato in eoſdem omni iure & dominio, quod habebat, vel habere poterat in manſo prædicto, vt in honore Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ fratres ſupradicti Ordinis, ibidem valerent in perpetuùm Domino famulari*, vt ipſa his terminis loquitur in ſuo fundationis diplomate anno 1252.

* *Id eſt, fundũ.*

1252.mēſe Auguſti dato, quod ſic incipit: *Quàm pium ſit, & ſaluti animæ neceſſarium, quantumque proficuum eleëmoſynas pijs locis, &c.*

Nicolaus de Fontanis Cameracenſium Antiſtes authoritatem fecit ſtruendi cœnobij ad dictæ Comitis ſupplicationem, quę ſic incipit: *Reuerendo Patri, ac Domino N. Cameracenſi Epiſcopo &c.* Factum illud, ſtructumque loco parum à Trullâ interluente diſſito; mediante tamen dicti Epiſcopi authoriſatione, ſeu interuentione taliter incipiente: *N. Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem in verbo ſalutari &c* præuiaque conceſſione illuſtris Capituli S. Waldetrudis; eò quòd ex Balduini Comitis ſtatuto, *nulla Eccleſia, nullusq́; locus Conuentualis terras vel domos in Montibus, aut in procinctu illo, abſque conſenſu nobilis Eccleſiæ Montenſis, ſibi poßit acquirere, aut per eleëmoſynæ donationem, aut per emptionem, ſeu per concambij recompenſationem*, velut expreſsè habetur in dictæ conceſſionis inſtrumento ſub huius tenore principij: *Vniuerſis præſentes literas inſpecturis VValterus Præpoſitus &c.*

His ita conceſſis, ſeptem fratres, mediāte Henrico Campaniæ Comite, ad dictæ Comitis Margaritæ inſtantiam, à ſuo Generali Valencenas immiſſi, & inde huc

tranſmiſſi, dictum locum incolere cœperunt an. prętacto 1252. quibus in 1. Priorem datus Guilielmus de Triangulo, inter eruditos Ordinis ſui viros recenſendus teſte *Nicol. Guiſio in ſuâ Metropoli Cap. 47.* Et quia primi ſeptem fratres ex Prioratu S. Catharinæ Pariſienſis venerant, eius loci occaſione, rotam cum enſe circa medium coronato, pro Monaſterij inſignibus aſſumpſerunt.

Interiecto autem tempore, cùm inter dictos Scholares ex vnâ, dictumque Capitulum & Paſtorem de Comis ex alterâ partibus, nonnulla difficultas emerſiſſet *ratione parochialium iurium*; de prudentûm conſilio & arbitrio, dictis partibus præſentibus & annuentibus, deciſum fuit, vt dictum Capitulum decem & ſeptem ſolidos alborum Hannoniæ monetæ, dictus autem Paſtor tres à dictis fratribus annuatim reciperet in feſto Purificationis B. Mariæ, pro vt habet Concordatum deſuper expeditum an. 1257.

Nec diu poſt Nicolaus Papa huius loci perſonas, earumque bona ſub B. Petri, & ſuâ protectione ſuſcepit anno Pontificatus ſui quarto, teſte eiuſdem Bullâ, quæ ſic incipit: *Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filijs Priori, & Conuentui Domus*

B. Ma-

Digitized by Google

Poſtmodùm verò Guido Epiſcopus Cameracenſis, (anno videlicet 1300.) dicti loci Eccleſiam circa idem tēpus ſeptis oppidi incluſam, in honorem B. Mariæ Virginis dedicauit Dominicâ poſt exaltationem S. Crucis, *annuatim vnum annū & XL. dies de iniunctis ſibi pœnitentijs relaxans*, ſic enim loquitur in ſuo dictæ conſecrationis memoriali, quod ſic incipit: *Ad perpetuam rei memoriam, Guido miſeratione diuinâ Cameracenſis Epiſcopus &c.*

Dicti Guidonis exemplo quidam Ioannes Archiep. & Dux Remenſis, Metropolitani titulò hanc Eccleſiam viſitās an. 1451. (tunc enim Cameracenſis Diœceſis Remenſi Prouinciæ adhuc ſuberat) auditis miraculis per interuentionem B. Virginis hoc in loco fieri conſuetis, certas Indulgentias pręcipuis anni feſtiuitatibus affectas, easque perpetuis futuris temporibus valituras conceſſit, iiſdem poſtmodùm ab Ordinario confirmatis.

Sed & idem Archiepiſcopus prætacto anno dictæ Eccleſiæ Reliquias viſitauit, & approbauit; videlicet magnam partem S. Crucis (ea priùs donata fuerat à quodam Archipręſule Narbonenſi, cuius mater hîc ſepulta iacet) maximamque partem corporis

poris vnius 11000. Virginū peculiari thecâ hodie contentam; de quâ, velut & de S.Iuliani phylacterio, alijsque Sanctorum reliquijs (notanter autem S. Chriſtophori) alteri quoque tranſparenti feretro incluſis, & an. 1640. à reuerendo Adm. D. Martino moderno Abbate, Româ & aliunde acceptis latiùs & aptiùs ſcribam *in Theſauro Reliquiarum Hannoniæ.*

Interim verò ſubijciendum hîc quiddam de Beatâ, cui altaria quinque viſuntur in eo templo, ſub varijs ipſius titulis dicata; videlicet B. Mariæ aſſumptæ in Choro; doloroſæ ad Crucem; plorantis ad Sepulchrum; Lauretanæ; & Pedum argenteorum.

Poſterioris huius mentionem facit *Antonius Balinghemius in ſuâ Ephemeride Marianâ ad* 10. *Feb. In eius*, inquit, *Cœnobij templo viſitur, & magno populi affluxu colitur miraculoſa Deiparæ imago, quæ ab argenteis pedibus nomen ſortita eſt, quos ei curârunt certi nautæ, ab eâ ad id, beneficijs haud vulgaribus, prouocati: Quæ etiamnum hodie miraculis claret*; ſignatè ab an. 1626. quo eius ſignum per vrbem circumferri cœpit.

Cæterùm, quo anno prętacta nautarum liberatio contigerit, nuſquam legi; audio interim prædictæ Diuæ iconem valde eſſe anti-

antiquam, adeò vt ab immemoriali tempore eius facies depicta fuerit, quæ tamen recentiſſima adparet. Nicolaus Deſmaret Prior XIV. eandem aureâ veſte decorâſſe legitur an. 1480. Noſtris autem temporibus prædictus reuerendus Adm. D. Martinus Abbas, pro ſuo in dilectam Sponſam adfectu, eiuſdem ſacellum à pede inſtaurauit an. 1634. varijsque iocalibus exornauit; in quo ad eius aram plurima conſecutæ ſanitatis anathemata videre ſit, quâ de re, & alijs huc ſpectantibus, aliàs latiùs *in Hannoniâ noſtrâ Marianâ.*

Ad alia iam quòd ſpectat; huic monaſterio inſtitutionis ſuæ beneficium debet *B. Ioannes Euſtachius* ab auſteritate commendabilis, & Prophetiæ ſpiritu clarus, qui, vt meliorum chariſmatum æmulator, ex hac Domo ad Ciſtercienſes tranſijt; pro vt ante ipſum ad Carthuſianos *Petrus de Tornaco Prior IX.* cuius anteceſſores, & ſucceſſores non repeto, ne aliàs à me actum agere videar.

Nolim interea tres præcipui nominis reticere tanquam æternæ memoriæ faſtis inſitos, videlicet prædictum Nicolaum Deſmaret ſacræ Theologiæ Doctorem Sorbonicum; Iacobum de Lattre poſtmodò Haſnonij Abbatem, fideique ſacræ in

iſto

Digitized by Google

iſto tractu Inquiſitorem; ac poſtremò Reuerendiſſimum D. Franciſcum Petrart ex Andreano Minoritarum Prouinciali Epiſcopum Calchedonenſem.

Iam, vt ad viciniora nobis deſcendam, præmiſſæ narratiunculæ finem impono per Abbatiale baculum huic Eccleſiæ à Paulo V. Pontifice donatum anno 1617. Cùm enim Generalis Ordinis ad maiorem honorem Dei, dictique Ordinis reuerentiam expedire iudicaret, vt dignitas Abbatialis huic Monaſterio & duobus alijs procuraretur, *Reuerendus D. le Beghe* tunc Prior exiſtens, eam ipſam Romæ petijt & obtinuit; præuio tamen indultu Sereniſſimi Principis noſtri Alberti Auſtriaci; cuius eâ de re Patentes vidimus Bruxellæ quintâ Ian. prædicti anni 1617. datas, & ſic Gallicè incipientes: *Sur la remonſtrance faicte aux Archiducqs &c.*

Quia verò prætacta dignitas Abbatialis huius Cœnobij venuſtatem, totiusque oppidi ornamentũ concernit, non abs re facturus videor, ſi Bullam deſuper expeditam verbo tenùs ſubiunxero.

Romanum decet Pontificem, cui cura totius gregis Dominici diuinâ diſpoſitione eſt commiſſa, vota perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, præſertim ſub ſuaui religionis iugo Altiſſimo

tiſsimo famulantium (per quæ præcipuè ipſarum decori & honori cum diuini cultus augmento peramplius conſulitur) ad exauditionis gratiam admittere, illaq; Apoſtolicis fauoribus ſolitâ benignitate confouere. Sanè pro parte dilectorum filiorum Melchioris le Beghe moderni Prioris, & Conuentus Monaſterij Scholarium iuncti, per Priorem regi & gubernari ſoliti, oppidi Montis Hannoniæ, Ordinis Vallis-Scholarium, Cameracenſis Diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd, eum in dicto oppido inter alia prædictum monaſterium inſigne cum Eccleſiâ, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, ædibus, ædificijs, habitationibus, officinis, hortis, alijſq; commoditatibus ſitum, ac paramentis, ornamentis ſacris, & prophanis ſupellectilibus luculenter inſtructũ; necnon competentibus annuis reditibus dotatum, & ab Ordinarij iuriſdictione exemptum reperiatur; & in eo vltra dictum Priorem inibi tanquàm caput præſidentem, ac ſuperioritatem & iuriſdictionem in Conuentum huiuſmodi, ac Canonicos, & alias ſingulares perſonas ipſius monaſterij exercentem, duodecim ſeu plures religioſi dicti Ordinis cum famulis & miniſtris neceſſarijs reſidere & commorari; ſingulisq; diebus in dictâ Eccleſiâ horas Canonicas, aliaq; diuina officia tam diurna, quàm nocturna cum ſolemni ſeu conuentuali, & multis priuatis

Miſsis

Miſſis celebrare & recitare; ac dicti Monaſterij Prior pro tempore exiſtens ſolemnioribus proceſſionibus, & alijs actionibus publicis per Clerum Regularem & ſecularem dicti Oppidi coniunctim fieri & celebrari ſolitis cum alijs Prælatis interuenire & aſſiſtere conſueuerit; ad maiorem verò monaſterij, Cleri, diuinorum officiorum, proceſſionum, & actionum huiuſmodi venuſtatem & ornatum expediens videatur, vt de cætero dictus Prior pro tempore exiſtens, Abbatis titulo decoretur, aliaq; infraſcripta ipſi concedantur. Quare pro parte Melchioris Prioris & Conuentus prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenùs præmiſſis annuere, & deſuper opportunè prouidere benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui honeſtis fidelium votis libenter annuimus, eaq; fauoribus proſequimur opportunis, prædictum Melchiorem Priorem, ac ſingulares perſonas Conuentus huiuſmodi à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione vel causâ latis (ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt) ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Melchiori Priori, eiuſq; in adminiſtratione dicti monaſterij ſucceſſoribus,

bus, quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus Priores eiuſdem monaſterij, non amplius Priores, ſed Abbates denominari, ac baculo Abbatiali vti; nec-non omnibus & ſingulis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis, antelationibus, indultis, fauoribus, conceſſionibus & gratijs tam ſpiritualibus, quàm temporalibus (quibus aliorum monaſteriorum Ordinis huiuſmodi Abbates de iure vel conſuetudine, ſeu ſtatuto aut ex priuilegio, vel aliàs quomodolibet vtuntur fruuntur potiuntur & gaudent) vti, frui, potiri, & gaudere liberè & licitè poſſint & debeant, (dummodò dilecti filij Abbatis Generalis dicti Ordinis ad hoc accedat aſſenſus) Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium (ſine tamen alicuius præiudicio) concedimus & indulgemus: Sicq́; per quoſcunque Iudices & cauſarum palatij Apoſtolici Auditores, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & de latere Legatos, iudicari & diffiniri debere; nec-non quidquid ſecus ſuper his à quocunque, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, nec-non in Synodalibus, Prouincialibus, & vniuerſalibus Concilijs editis, ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac Monaſterij & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione

matione Apoſtolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quòd per præſentem gratiam ſtatus monaſterij huiuſmodi in aliquo alio non immutetur, etiam quoad illius prouiſionẽ & collationem, aliaque, vt præfertur, expreſſa; ita quòd in illorum præiudicium nihil cenſeatur conceſſum. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, indulti, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationẽ omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctam Mariam maiorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo decimo, nono Calendas Nouembris, Pontificatus noſtri anno tertio decimo.

Hucvſque Bulla, ex quâ euidenter colligitur, totum id præmiſſæ dignitatis huic Monaſterio fuiſſe conceſſum, ad maiorem eius, Cleri, diuinorũ officiorum, proceſſionum, & actuum huiuſmodi publicorum venuſtatem & ornatum; ſine tamen alicuius præiudicio, vt ijs verbis prędeclaratur.

Igitur omnium primus Abbatiali baculo ac titulo vti cœpit reuerendus Adm. D. Melchior le Beghe Malbodienſis, aſ-

ſumpto ſibi ab ante hoc ſymbolo : *Spes non confundit.*

Sed eo in ipſo dignitatis limine extincto 6. Iun. anni 1619. ſecundarius Abbas à Rege denuntiatus eſt reuerendus plurimùm D. Nicolaus Lixuel; qui & breui tempore rexit; nam honori lubens volenſquè ceſſit anno 1623.

Nunc autem ſucceſſor ipſi datus præſidet Reuerendus admodùm in Chriſto Pater ac D. *Martinus Colin* prȩuio regimine apud Buſco-Iſacenſes notus, pietate apud ſuos, prudentiâ apud omnes, ſymbola apud Cœlites; quid enim niſi cœlum ſpirat, dum ore, & re *omnia ſurſum* dirigit, & eleuat?

Cuius humanitate & beneficio fretus, ex archiuis domus hoc collectaneum digeſſi. Extendat ei Deus vitam, & ſuperextendat, quæ erit, vt hactenus, magno Cœnobij bono.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IV.

De Prioratibus Canonicorum Regularium S. Auguſtini.

POſtulat hîc debita membrorum ad caput coniunctio, vt præmiſſis duabus Canonicorum Regularium S. Auguſtini Abbatijs tanquam æuo & regulâ Præmonſtratenſium Coenobijs prioribus, minora Regularium eiuſdẽ Diui Auguſtini Monaſteria proſequar; notanter vnum; videlicet Iſaacenſe, *licèt fundatione nouiſſimum, ſed Ordinis inſtituto antiquiſſimum; plurima nihilominùs ſuperaddere paratus, ſi alia modò ſcirem, ſaltem Cõuentualia, ſeu iuſtæ congregationis, hoc eſt, in quibus ad minimùm duo, treſve in communi viuunt.*

Sed cùm talia modò neſciam (nec enim Herinis iuxta Angiam duo, treſve Canonici Regulares Autbertini hodie coütuntur, vt audio, *nec fortè alibi in Hannoniâ) prædictum Monaſterium Iſaacenſe, deficiente aliorum notitiâ, ſubijcio. Si tamen præter id alia fortè forent, edoceri deinceps cupio, vt hîc per*

excuſabilem ignorãtiam omiſſa, ſecundis curis reſtituam.

DISTINCTIO VNICA.

Prioratus de Buſco Domini Iſaac.

Anno 1418. HVnc locum Namurcenſi Diœceſi adſignat *Mireus in Catalogo Monaſteriorum Capituli VVindeſimenſis, Regularium Canonicorum Originibus intexto.* Fol. 16. Eundem verò Brabantiæ Ducatui accenſet *VVichmannus Brabantiæ ſuæ Marianæ lib. 3. Cap.* 48. ſed ambo falluntur, eſt enim Comitatus Hanno-niæ & Diœceſis Cameracenſis, inter Niuellas & Niſellam poſitus, tali propagatus initio.

Iſaac eiuſdem loci & adiacentis Ytræ Dominus, plantatâ iuxtim ſyluâ (etiamnum hodie viſitur, & ab eâ, dictoque Iſaac nomen ſuum Prioratus iſte deſumpſit) ad bellum ſacrum profectus eſt anno 1096. cum reliquis Belgicæ nobilibus; at ſiniſtro euentu (vt ſæpè fit) captiuus effectus, à Saracenis in vincula coniectus eſt. Quo in ſtatu diuam Virginem pro ſui ac filij Arthus liberatione mox inuocare cœpit, eique ſacelli fabricam vouere. Quid multis? adeſt mox illa clienti

ſuo;

eccè enim ſequenti die videt ſe ſolutum à vinculis, apertoq́ue carceris oſtio, nemine prohibente, liber egreditur; ſed & Diuâ conducente (vt credi par eſt) ſanus & lætus ad ſua ſuoſq́ue reuertitur.

Vix ipſe redierat, tanti beneficij, & ſimul voti ſui memor, ex oppoſito ſui caſtri (vbi diuæ ſuæ Liberatricis effigies ad arborem ſub dio pendebat) ſacellum erexit, adjectâ trium Miſſarum per hebdomadam fundatione.

Hęc autęm ſacræ rei fundatio per 300. aut circiter, annos, à ſæcularibus Presbyteris exonerata fuit, donec *miraculoſi Sanguinis occaſione an.* 1405. *ibidem manifeſtati* (pro vt latiùs, aptiuſq́ue diſſeram in *Euchariſtico meo Belgico.*) locus iſte in Monaſterium tranſmutatus fuit à nobili viro Ioanne de Huldeberghe, prædicti Domini Iſaac ſucceſſore & hærede: qui in diebus ſuis tantum, tamq́ue horrendum miraculum admiratus, Religioſos ei loco procurauit, nouamq́ue eccleſiam ſuperædificauit.

Viſitur autem in huius eccleſiæ Choro lapis per modum ſepulchri inſtratus, prętacti miraculi nos admonens his verbis. *Hic lapis demonſtrat locum, vbi antiqui ſacelli ſitum fuit altare, in quo ſacri Sanguinis ex*

ſacrâ Hoſtiâ manantis, accidit miraculum feriâ ſextâ ante Pentecoſten, an. Domini M. CCCC. V. quinto die menſis Iuny.

Ex quo tempore ſupradictus D. Ioannes, præuisâ aduentantium multitudine, duos Regulares Canonicos cum fratre laico, è vicino Septem-Fontium Monaſterio petijt & obtinuit; quibus poſtea plenam dicti ſacelli & ſacrorum adminiſtrationem contulit an. ſcilicet 1413. de conſenſu & ratificatione Reuerendiſſimi D. Petri de Alliaco Cameracenſis Epiſcopi. Qui & poſtmodùm, ad prædicti Ioannis inſtantiam, hunc locum in Prioratum erexit an. 1418. primâ Canonicorum Regularium familiâ è dicto monaſterio deductâ, ipſiſque in 1. Priorem dato R. P. Ægidio Bredeike fundatore & Priore Septi-Fontano; qui prioris loci abdicato regimine, totus ſenex hîc obijt an. 1424.

Cæterùm dicti Ægidij, & aliquot eius ſucceſſorum vigilantiâ, à tenuibus, vt fit, initijs, in ampliſſimum Cœnobium hic locus excreuit; ſed & inſigni Eccleſiâ, an. 1441. ſub Deiparæ titulo conſecratâ, perornatus fuit.

Sed, ô fatum! anno præcedentis ſęculi octuageſimo, dum Gheuſij Niuellas occupant, totum id monaſterij cum Eccleſiâ ab

ab ipſis incenſum fuit: Periêre tunc cum omnibus ornamentis caput S. Paulini, & alia tria de numero 11000. Virginum; nullatenùs tamen *Corporale miraculoſum*, quod magnâ Dei clementia ab ignibus & hoſtibus præſeruatum, & Montibus illatum à Reu. D. Guilielmo de Rengomont Priore 17.

Ei autem apud nos mortuo, & in D. Waldetrudis ſepulto, poſtmodùm ſuffecti *Ioannes d'Arthois*, *Nicolaus Adam*, *D. Martinus Colin*, *& D. Ioannes Bernard*, prætactam vaſtitatem ſuo quique tempore, Prælatorum, Nobiliumque ſubſidijs adiuti, repatârunt. Vnde & templum priſtino decori ab ijs reſtitutum, Reuerendiſſimus D. Franciſcus Buiſſeret Epiſcopus Namurcenſis, vacante ſede Cameracenſi, an. 1609. reconciliauit, præfixo dedicationis anniuerſario ad octauam proceſſionis ſacri Sanguinis, quæ quotannis fit Dominicâ poſt Natalem beatæ Mariæ circa medium Septembris.

Vt res hodie ſunt, pulchris & ſpatioſis ædificijs gaudet hoc Cœnobium; ſed magis ludo literario ab olim inſtituto, maximè verò regulari obſeruantiâ & pietate, quam teneræ iuuentuti & vicinis impartitur, ſub auſpicijs prætacti *R. D. Ioannis*

Bernard moderni Prioris, & ſimul Commiſſarij generalis Capituli Windeſimenſis; qui gregem ſuum ab an. 1623. dictante ſymbolo, *ſuauiter vt fortiter*, regit.

CAPVT V.

De aliquot Prioratibus Ordinis Præmonſtratenſis.

A *Regularibus Canonicis ad Præmonſtratenſes redeo; & quemadmodùm illi nonnullos Prioratus habent, ita & hi quoſdam,* videlicet Harlaymontanum, ſancti Nicolai in Buſco, *& alterum ſequioris ſexus, de quibus hîc conſequenter ſcribam, quia immediatè ſubſint præmiſſis D.* Norberti *Abbatijs; à quibus eos ſeparare nolui, vt membra capitibus ſuis adiuncta, & iuxta ſe poſita, magis eluceſcant.*

DISTINCTIO I.

Prioratus S. Nicolai in Boſco.

DIſtat hic locus medio quaſi lapide à Mariæ-Montis palatio, versùs pagum de Fay, vno alteroue teli iactu ab eo diſtans; cuius hîc ſtrictim facienda mentio, quia præmiſſo Bonæ-Spei monaſterio ſubiaceat, licèt Gallo-Brabantiæ ſit.

Verùm quo præcisè anno, quóue authore initium ſumpſerit, mihi incertum, certum eſt interim eſſe perantiquæ fundationis, pro vt colligi datur ex æuo Franconis 39. Abbatis Lobienſis; qui virtutem ſcientiæ præoptans, Lobijs expreſsè venit ad hunc S. Nicolai Prioratum optimæ tum famæ & diſciplinæ propter accurata monaſtices exercitia; quibus ipſe adprimè inſtructus ad ſuos redijt, poſtmodùm Abbas renuntiatus an. 1149.

Ex quâ Datâ probabiliter inferri poteſt, quòd huic Cœnobio initium dederit Odo I. Abbas Bonæ-Spei, aut ſaltem ſub eo datum ſit, quia in viuis tunc erat, & ſimul Bonæ-Spei præerat; ita opinor certioribus monumentis hucvſque deſtitutus.

Colligitur inſuper fuiſſe monaſticæ

perfe-

perfectionis obſeruantiſſimum, iuſtamque cõgregationem habuiſſe: Sed hodie quantùm ab illo tempore mutatum eſt! quia ab vno dumtaxat Religioſo incolatur, qui, velut emeritis veteranus miles ſtipendijs, de ſui Abbatis licentiâ, à laboribus requieſcere hîc ſolet.

RIVROELLA.

REducenda hæc foret ad ſequentem librum virgineorũ monaſteriorũ, ſed quia vnica ſit, & modò non ſubſiſtat, paucis hîc dico olim fuiſſe virginale Præmonſtratenſis Ordinis Cœnobium non procul à Bonâ-Spe, versùs pagum de Peiſſant, in quo B. *Oda* virgo, aut potiùs virago, *mirabilis ſupra modum, & bonorum memoriâ digna,* præciſis naribus ſponſo deterior facta, ab Odone 1. Bonæ-Spei Abbate, religionis habitũ ſuſcepit, & Prioriſſæ munus exercuit ad an. 1158. quo ſanctam animam efflauit ipſo die Paſchæ: Sequenti autem die eius corpus condigno honore ſepultum fuit à Gregorio & Philippo Alnæ & Bonæ-Spei Abbatibus; hodie tamen eius ſepulturæ locus ignoratur.

Non habeo, quod prædictis attexere poſſim, quia huius loci Prioratus iamdiu, nequitiâ temporum, deſierit, ſitque modò in villam Bonæ-Spei redactus; proinde ab eâ ſolitudine ad aliam Herlaymontanam, quamuis ab olim hodie inhabitatam, tranſeo.

DISTIN-

DISTINCTIO II.

Herlaymont S. Huberti.

PRioratus hic in Legiæ & Hannoniæ cõfinio ſitus, ſeſquihoræ ſpatio ab Oliuâ diſſidet; eſtq; terra neutralis, vt aiunt, & à nullo quoad temporalia dependet: Subeſt tamen Abbatiæ Floreffienſi, quia ſuos inde Religioſos habeat, addo & dotem, pro vt teſtatur *Mireus in Chronico Præmonſtratenſi* his verbis. Anno 1174. *Gerlandus tertius Abbas Floreffienſis, præter Poſtulam,* Harlemundam, *& VVaſiam, aliaſq; villas, Eccleſiam quoque Leffienſem acquiſiuit.*

Sed acquiſitionis modum exponamus, & ſimul annum perſcrutemur ex ijs, quæ apud me legi, & ibidem an. 1648. didici. Et verò quòd ad annum pertinet, non poteſt eſſe 1174. quia Henricus II. Epiſcopus Leodienſis, factę donationis approbator, in reditu Italiæ apud Papiam defunctus ſit an. 1164. vt habetur in eius actis apud D. *Chapeauville.* Quia verò prædictus Gerlandus III. Abbas Floreffienſis præſidere cœpit an. 1161. ſequitur dictam fundationem fuiſſe à dicto Henrico approbatam inter annos 1161. & 1164.

Iam-

Iamverò quòd pertinet ad nomen fundatoris, & modum donationis ab eo factæ, non aliunde meliùs cognoſci poterit, quàm ex dicti Epiſcopi diplomate, quod ſic incipit : *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ego Henricus Dei gratiâ Leodienſis Epiſcopus notum facio &c.* Subtexitur autē quòd Oſto de Traſegnies, & vxor eius Heluidis *tradiderunt Eccleſiæ Floreffienſi, partim per eleemoſynam, partim per pecuniā, locum quemdam deſertum, qui dicitur Herlaymont* : Sequentia, & Datam prætetmitto, quia integrum diploma non viderim. Temporis autem proceſſu, cùm Ægidius de Traſegnies patris donationem irritam reddere conatus fuiſſet, tandem ſe in melius referens, eandem ; alijs etiam de ſuo adjectis, ratam habuit anno 1195.

Ex quibus patet allucinari *Mireum*, qui in *ſuâ Eccleſiarum Belgij Notitiâ* * narrat prædicti huius loci fundationem factam fuiſſe ab Oſtone Traſigniaci in Gallo-Brabantiâ Domino circa annum 1230. ſed bonâ eius veniâ, error in annis eſt ; ac proinde Oſtoni II. attribuit, quod primo attribui debet.

* *Fol.* 608.

Cæterùm religionis titulo celebrem locum primitùs amârunt Traſigniacenſes, è quibus nonnulli hic ſepulti in Eccleſiæ

pronao

pronao, pro vt ipſe non ſemel vidi. Hæc pauca de multis ex inſtructione R. D. *Ægidij de Taxillis* ibidem hodie Magiſtri, ſeu Prouiſoris, vt vocant.

Præpoſitura de VVignies.

PRæmiſſis duobus Prioratibus ſubnecti poteſt *Præpoſitura de VVignies* ſecùs Angiam, vbi Regularis Viconiæ Canonicus ſedem figere ſolet; de cuius fundatione, cùm nihil compertum habeam, plura plura ſcribere vetor. Interim ſuperſedere deinceps peto, vt ſecundis curis ſuo loco diſponam; pro vt fortè Cœnobialem domum, Mariæ-Montis Parco adſitam, *R. D. Sebaſtiani Deppe Bonæ-Spei Regularis Canonici, & Paſtoris de Morlannuez*; quæ monaſticis vſibus per ſuã Eccleſiam, clauſtrum, aliaſque communes ædiculas, plurium iudicio, optimè conueniret: Et erit, opinor, cùm illud aliquando fiet.

CAPVT VI.

De Hoſpitalarijs S. Antonij.

ANno, inquit *Spondanus*, 1095. *à Gaſtone Franco viro nobili Prouinciæ Viennenſis, vnà cum Gerino eius filio, iunctis ſibi octo alijs, inſtitutus aſſeritur Ordo miniſtrān-*

Digitized by Google

miniſtrantium infirmis, qui ſacro igne conſumpti, truncatis membris in perpetuâ calamitate viuerent; iidemq́, cùm laici eſſent, pro inſignibus Thau *ſignum ſibi ſumpſerunt.*

Fuit autem hæc ſocietas ab initio ſæcularis quædam confraternitas, ad exercenda charitatis opera; ſed paulatim ad ſublimiorem ſtatum prouecta, cuſtodiam obtinuit corporis Sancti Antonij Viennam de Conſtantinopoli an. 1120. tranſlati. Erat autem primitùs inſtituti S. Benedicti, cuius ritu vixit ad an. 1297. quo D. Auguſtini regulam ſubſumpſit; ſecundùm quam & Abbas & Canonici & Fratres perpetuò viuere tenerentur, habitũque cum ſigno, quod Potentiam vocant, in honorem ipſius beati Antonij iuxta morem ſolitum ipſius hoſpitalis, ſemper & quòcumque, deportarent: Ita Bonifacius VIII. in ſuâ Bullâ prædicti Ordinis adprobatoriâ.

Totius Ordinis caput eſt Motenſis S. Antonij Abbatia, eius autem membra ſunt variæ Præceptoriæ (vulgo dictæ Commanderies) per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Germaniã, & alias Prouincias; quorum Præfecti proprio nomine Præceptores vocari ſolent.

Quòd ad Belgicæ Monaſteria pertinet, vnicum modò, quod ſciam, habetur Traiecti ad Moſam; cætera deſierunt, ex quibus vnum fuit

Ballioli

Ballioli in Flandriâ, & aliud Haureti in Hannoniâ. Poſterioris originem non abs re fuerit deſignâſſe, ad cognoſcenda pietatis auitæ erga S. Antonium monimenta.

DISTINCTIO VNICA.

Preceptoria S. Antonij iuxta Montes.

AB ouo vt ordiar, præmittendum ex *Guiſij Metropoli Cap. 57.* quòd *Albertus Hannoniæ Comes, recuperationis S. Sepulchri flagrans deſiderio, ordinem inſtituerit Equitum è nobilitate Hannonicâ ſelectorum anno 1382. Tutelaribus aſſumptis Deiparâ atq; Antonio. Templum ipſis addictum eſt ad Barbaræ-Foſſam iuxta Hauretium;* qui locus vel à Barbarâ Haureti Dominâ, eò loci ad foſſæ latebras orationis gratiâ ſępiùs adueniente, aut veroſimiliùs à Barbaris ibi olim tumulatis nomen accepit. *Anno 1392.*

Eccè prima loci cunabula; ſed de monaſticâ eius inſtitutione non loquitur *Guiſius*; proindè, ne quis hac in re diligentiam meam arguat, aliunde quæſiui, & tandem inueni *apud D. Franciſcum Bar*, cuius textum ſic habe contractum.

Euolu-

Euoluto poſt dictorum Equitum creationem decennio, Gerardus de Angiâ eo nomine II. Haureti Dominus, Africâ reuerſus (perſuaſus ibi fuerat à Francis Equitibus, vt aliquot S. Antonij Cœnobitas ex Motâ in Delphinatu ad ſuas partes euocaret) iiſdem haud diu pòſt obtentis prælibatum ſui iuris locum (tunc eremus S. Antonij dicebatur, & erat in omnium ore ob frequentia miracula) donauit an. 1392. quibus mox adiecta dos & conſtructa Eccleſia per dictos Equites ad hunc finem, vt pauperes peregrinos in adſito hoſpitali ſuſciperēt & fouerēt: Quod quidem ab ipſis numero ſeptem factitari cœpit an. demum 1415. vigore contractus tunc initi inter dictos fundatorem, Abbatem ſancti Antonij in Motâ, & Ballioli in Flandriâ Pręceptorem.

Nec dubitari poteſt, quin ibi Chriſtus ex tunc egregiè in membris ſuis exceptus fuerit, quādoquidem miniſtrantium ſumma charitas eſſet, nec deeſſent hoſpitali media plurimùm deinceps aucta, anno potiſſimum 1439. per quemdam Ioannem Wautier ciuem Montanum. Nec etiam de ipſorum ſanctitate dubitare fas eſt, cùm dictus eorū fundator, locum charitatis & religionis titulo celebrem, plurimùm amâ-

rit,

rit, & in eo ſibi ac coniugi prô Chori ingreſſu ſepulturam elegerit.

Cæterùm eo in loco ac ſtatu dicti fratres Hoſpitalarij perſtiterunt ad annum præter propter 1587. quo Patres Societatis Collegij Montenſis eundem locum cum ſuis attinentijs (accedente Regiâ & Pontificiâ auctoritatibus) obtinuerunt à Conuentu & Abbate S. Ioannis in Monte iuxta Teruanam; quo ex loco profugi ob dictæ Teruanæ excidium, Balliolanam S. Antonij Præceptoriam obtinuerant; quâ etiam extruſi ob nociuæ Oſtendę viciniam, modò Ipris commorantur ab anno 1590.

CAPVT VII.

De Ordine SSS. Trinitatis.

BEATVS Ioannes Mattha nobilis Gallus cum beato Felice Anachoreta religionem ſanctiſſimæ Trinitatis, & redemptionis

Digitized by Google

tionis captiuorum, conceſsâ ab Innocentio III. Regulâ, fundauit anno 1198. Migrauit è vitâ anno 1213. aliàs 1214. 17. Dec.

Primum huius Ordinis monaſterium fuit Romæ conſtructum in Monte Cœlio à dicto Pontifice, in quo ſanctè & regulariter vixit dictus Ioannes Mattha I. maior Miniſter, ibidem candidis veſtibus indutus ſuperadditâ cruce, qualem Angelus dicto Innocentio diuina celebranti oſtenderat.

Solent autem Trinitarij, immo ex profeſſo tenentur, ſtipem colligere, eamq́; captiuis a Turcicâ ſeruitute liberandis impendere; quod & ſedulò præſtant (maximè in Hiſpaniâ, Galliâ & Belgio) æs colligendo tum in pagis, tum in oppidis; in quibus ſodalitia habent ſub titulo dictæ SSS. Trinitatis erecta: Nouiſſimè autem in his, Montibus vnum eſt in Eccleſiâ S. Nicolai, præcedentis anni 1649. primitijs feliciter & fructuosè dedicatum.

Quòd attinet ad Belgij Monaſteria, decem & quatuor reperiuntur; quorum prius faciunt Atrebatenſe, procurante Guilielmo Scoto III. Ordinis Generali miniſtro fundatum an. 1219. vt refert Locrius in ſuo Chronico.

Antiquitate certant Audrigniacenſe, & Lendienſe apud nos monaſteria; prius quidem anno

1220.

1220. fundatum, alterum verò 1223. pro vt ex ſubiectâ vtriuſque origine patebit.

DISTINCTIO I.

Audrigniacenſe SSS. Trinitatis Monaſterium.

SEcundo huic Belgicæ Monaſterio initium dedit illuſtris & præpotens Alardus Dominus de Ville, d'Eſtrepe, & d'Audregnies ex familiâ Vilainiorum, pro vt manifeſtum eſt ex quodam diplomate an. 1220. eiuſdem ſigillo munito. Hinc fundatoris titulo duplex ibi anniuerſarium habet; vnum quidem poſtridie ſancti Dionyſij, alterum poſtridie SS. Simonis & Iudæ, pro vt vidimus in huius loci Miſſalis Kalendario menſe Octobri. *Anno 1220.*

Secutis autem temporibus plures alios benefactores Domus iſta ſortita eſt; in his Alardum II. cum Hulude coniuge plurium bonorum donatorem an. 1235. Inſuper duos Gerardos Dominos de Ville annis 1265. & 1339.

Quorum omnium fundationes ratas habuit an. 1403. Guilielmus Toparcha de Ville & d'Audregnies; eâ nimirum lege, vt

vt quotidianum ſacrum pro ſe ſuiſquè omnibus exolueretur. Ita me de pręmiſſis docuit *D. Franciſcus Bar in ſuâ manuſcriptâ Cœnobiorum deſcriptione*,

Huic hodie Cœnobio à ſeptem annis Miniſter præſidet *R. D. Matthias Siluius*; à quo plura, (notanter dictorum fundatoris & benefactorum diplomata) pro ſecundis curis expeto, & ſimul exſpecto.

DISTINCTIO II.

Lendienſe Monaſterium.

Anno 1223. DOmus hęc de Lendio veteris caſtri muris ex parte præcincta, ſub templo parochiali in imâ valle ſita eſt, quam *R. D. Antonius Sergeant* modernus eius loci Miniſter aſſerit fundatam fuiſſe anno 1223. menſe Aprili, pro vt ipſe reperit in quodam Manuſcripto, ſuppreſſo tamen fundatoris nomine, & alijs eò facientibus.

Sed eâ relatione haud contentus recurſum habui ad *Mirei* ſcripta, notanter ad monaſticas eius Origines Lib. 1. Cap. 9. vbi dicti huius loci fundator nominatur Ioannes Toparcha Lendienſis. Nec hunc ſubticuit *Leſſabeus in ſuâ Hannonia Topographiâ*, in

in quâ ſic lego: *Lendium habuêre VValterus & Euſtachius, qui tum in fide erant Principis Hannonienſis, eaq́; gratiâ tum caſtri Montenſis Pares habebantur. Ab his in totius ditionis ſucceßionem vocatur quidam Ioannes; qui ad prædeceſſorum pia incœpta totum animum adijciens, Xenodochium ampliβimis dotatum prouentibus, ſanctæ Trinitatis fratribus conceßit ac permiſit.*

Porrò de prætacti Ioannis cognatione fuit illuſtris D. Gerardus de Raſſenghien cum vxore ſuâ; & quidem ambo, vt loci benefactores, ante principem aram iacent; obijt hic anno 1315. illa verò 1335. pro vt antiquæ vtriuſque tumbæ deſignant.

CAPVT VIII.

De Ordine Crucigerorum.

SANCTVS Cyriacus Epiſcopus & martyr initium dicitur dediſſe Ordini fratrum Cruciferorum, qui ab Innocentio III. ſub

ſub Regulâ S. Auguſtini confirmatus, à Pio II. eſt reformatus anno 1458.

Cæterùm alij ſunt Cruciferi in Italiâ crucem argenteam manu geſtantes; & alij in Bohemiâ rubeam ſtellam præferentes: alij denique in Belgio, Germaniâ, & Galliâ, albâ veſte induti ſuperinducto nigro ſcapulari cum cruce intermediâ.

Poſteriorum Ordo inchoatus fuit an. 1216. & adprobatus ab Innocentio III. Totius autem Congregationis Præfectus reſidet Huy, & varia ſub ſe habet Monaſteria, videlicet Leodienſe, Traiectenſe, Namurcenſe, Sylua-Ducenſe, Brugenſe, Tornacenſe, & alia tum in Belgio, tum extra: quibus ſepoſitis, de noſtrate Tornaci Cœnobio pauca ſubijcere lubet.

DISTINCTIO VNICA.

Monaſterium Cruciferorum Tornaci.

Anno 1284. ANtequàm Tornaci mœnia diffunderentur, certus erat locus haud procul ab vrbe, in parochiâ S. Ioannis de Calcifurnis, quem Cruciferi à D. Guidone de Caſtillion S. Pauli Comite eatenùs obtinuerunt, quatenùs in eo ſui Ordinis

dinis

dinis monaſterium ædificarent.

Præuiâ igitur authoritate Guilielmi Epiſcopi Cameracenſis, in dicto loco monaſterium cum Eccleſiâ ſtruere cœperunt anno 1284. pro vt modernus R. D. huius loci Prior mihi retulit, aliàs verò 1286. velut conſignat *D. Ioannes Couſin in Hiſtoriâ ſuâ Tornacenſi tomo 2. ſæculo* 13. *Cap.*17.

Verùm difficultas hîc oritur circa prædictos annos, quia tunc non Guilielmus, ſed Engramnus præſidebat; quem ad Morinos euocatum, dictus Guilielmus excepit an. demum 1292. ſicut annotant *Gazeus*, *&* *Rayſſius*. Itaque loco Guilielmi legendum foret Engramnus, aut certè mutandus annus.

Vt vt ſit, dictorum fratrum Eccleſia cum campanili, (pro vt hodie viſitur ex oppoſito cœmiterij S. Ioannis) anno demum 1466. abſoluta fuit, illud autem vi ventorum ex parte diſiectum fuit an. 1606. vt ſingulatim refert dictus *Dominus Ioannes Couſin*.

Quieſcit in hoc Monaſterio corpus S. Languidæ ex parthenio S. Vrſulæ ſodalitio, quod ſeptimo Idus Maij ſolemniter hîc receptum, teſte *Rayſſio in additione ſuâ ad Molanum* 21. *Oct.*

CAPVT IX.

De Ordine S. Birgittæ.

SANCTA Birgitta Sueda, Principis Nericiæ vidua religionem fundauit (Regulâ ſibi à Chriſto dictatâ) virorum ac mulierum ſimul degentium, confirmatam à Gregorio XI. anno 1376. Obijt Romæ 1373. 23. Iulij.

Porrò huius Ordinis inſtituendi præſaga fuit anno 1332. in ciuitate Atrebatenſi, eius illic marito grauiter ægrotante, poſtquàm S. Dionyſius ei apparuiſſet, & de nouo Ordine erigendo commonuiſſet; in cuius rei ſignum maritus eius conualeſceret. Factum hoc, & iſtud; nam & maritus ſanitatem accepit, & ipſa S. Saluatoris Ordinem inſtituit, tam pro fratribus, quàm ſororibus ex primæuâ inſtitutione in vnum habitare ſolitis, ſed clauſurâ ab inuicem ſeiunctis.

Cæterùm bifidi huius Ordinis Monaſteria

plura

Digitized by Google

plura olim fuerunt in Belgio; hodie duo ſolùm perſiſtunt, videlicet Siluæ-Ducis & Teneramundæ. Præter hæc nonniſi virorum ſimplicia agnoſco Armenteriæ, Alciaci, & Peruaci, & forſan alibi. Simplicia inquam, quia priùs ex inſtitutione duplicia (virorum ſcilicet & virginum ſub diuerſis clauſuris, vt dixi, commorantium) poſtmodò fuerint ſeparata authoritate plurium Pontificum, præſertim Clementis VIII. qui an.1603. huiuſmodi ſimplicia monaſteria in Belgio fundari & erigi præmiſit ad inſtantiam Sereniſſimæ Principis noſtræ Iſabellæ Hiſpaniarum Infantis, pro vt patet ex eius Bullâ, quæ ſic incipit : Nuper dilectæ in Chriſto filiæ &c.

Huius autem conceſſionis vigore tam virgines, quàm viri diuerſa ab inuicem nacti ſunt Monaſteria. Hoc tamen peculiare viris eſt, quòd viuant ſub Regulâ in aliquibus à veterum Religioſorum normâ diſcrepante; quam tamen Gregorius XV. anno ſui Pontificatus II. adprobauit, ſicut & nuper Vrbanus VIII. per ſuam Bullam Romæ datam an. 1643. IX. Oct.

Quia autem aliqui malè informati dubium mouebant, idem Pontifex declarauit, tam horum Monaſteria, quàm alia omnia ſimplicia, tam fundata, quàm fundanda, fuiſſe & eſſe vera Ordinis membra, atque frui potiri & gaudere poſſe omnibus & ſingulis priuilegijs &c. pariformiter & abſque vllâ prorſus differentiâ, quibus duplicia fruuntur potiuntur & gaudent.

Digitized by Google

Hactenus quoad ſimplicia monaſteria, ex literis R. P. Petri à Natiuitate moderni Prioris Peruaci an.1647. mihi tranſmiſsis; latiùs quidem, ſed tamen conſultò & pertinenter id à me factum, vt ſic clariùs innoteſcant primordia & priuilegia ſimplicium huius Ordinis monaſteriorum tam pro viris, quàm virginibus recens apud Belgas erectorum, & erigendorum.

Sed his in genere præmiſsis, de vnico Peruacenſi apud nos Cœnobio aliquid in ſpecie ſubtexamus.

DISTINCTIO VNICA.

Conuentus B. Mariæ ad Fontes Peruaci.

Anno 1630. CVm diuiſi à virginibus viri omnibus & ſingulis duplicium Monaſteriorum priuilegijs fruantur, (licèt in iſtis duplicibus totius rei adminiſtratio ſit penes Abbatiſſam) tam hoc titulo, quàm & de inſtituto, virile Monaſterium Peruacenſe alteri virgineo non ineptè hîc præponimus.

Illud autē initium ſumpſit an.1630. antiquo huius municipij Noſocomio (quod è regione caſtri viſitur, interjacente pla-

teâ diuiſum) in ſacros Brigittinorum vſus, Superiorum permiſſu, adaptato; idque per Excellentiſſimum Dominum, D. Ludouicum Comitem Egmundanum, & Mariam Margaritam Comitiſſam Barlemontanam eius conthoralem, tunc prætacti municipij Dominos.

Primi autem Patres velut in Coloniã huc miſſi, Armenteriâ venerunt; quâ quidem in vrbe prætactus Comes, & Baro Armenterianus, eoſdem excipi procurârat an. 1627. attributâ competenti dote, tribuſque SS. Martyrum corporibus eorumdem Eccleſiæ donatis, maximè verò *ſancti Valentini*, quod pro tempore repoſitum fuit an. 1623. in caſtro Hamedij iuxta Athum.

LIBER

LIBER IV.

Regularium Canonicarum Cœnobia.

CAPVT I.

De inſtituto VV. Regularium.

C*Vm Græcia, totuſq; Oriens religioſis Familijs multiplicandis operam daret, ne alias quidem orbis partes iſtâ laude caruiſſe putandum eſt; nam & S. Auguſtinus communis vitæ inſtitutor, aut ſaltem reſtitutor, complura virorum & virginũ Monaſteria fundauit in Africâ, colligens fratres & ſorores eiuſdem propoſiti,* nihil habentes, ſicut ipſe nihil habebat, viuens ſecundùm regulam ſub Apoſtolis cõſtitutam, maximè vt nemo quidpiam proprium haberet, ſed eis eſſent omnia cõmunia, *pro vt ſcribit Gabriel Biſciola in Epitome Baronij ad an.* 391.

Digitized by Google

Quod quidem inſtitutum & teneræ virgines non ſuis viribus, ſed adiuuante Dei gratiâ, poſtmodò complexæ ſunt, diuini ſui Legiſlatoris & Patroni exemplo, Apoſtolicæ vitæ reſeratum ſibi tramitem ſubſequentes. Cuius rei fidem faciunt tot earumdem Cœnobia toto orbe terrarum diffuſa, & etiam in Belgio noſtro æquè ac virorum frequentia; notanter apud Brabantos, Flandros, Artheſios & Hannones; quorum vltimi tres Victorinæ Congregationis Abbatias hodieq; ab antiquo poſſident, & alia multa inferioris notæ Monaſteria, antiquitùs & de nouo excitata, pro vt ex ſubiectâ ſingulorum deſcriptione euidens erit.

DISTINCTIO I.

Abbatia S. Eliſabeth Querceti.

PEtrus quidam Balduini Hannoniæ Comitis cognomento Animoſi Capellanus, Hoſpitale iuxta Quercetum in propriâ hæreditate conſtruxerat anno (vt alicubi legitur) 1205. quod cùm à ſæcularibus fæminis regeretur, & præcipitium minaretur ob ligneæ materię fragilitatem (ex eâ quippe initiatum fuerat) Ioanna Hannoniæ Comitiſſa firmiſſimis, ijſque Monaſticis ædificijs auxit an. 1233. ſacraſ-

Anno 1233.

craſque virgines dictis fœminis ad infirmorum curam ſubſtituit.

Series Abbatiſſarum. Eius autem ſoror Margarita Regulares Canonicas dictę Victorinæ Cōgregationis Premiaco euocatas induxit an. 1257. aut veroſimiliùs 1262. ijſdem datâ in 1. Ab-

1. batiſſam Iulianâ, quæ hanc Domum multâ ſanctitate rexit, cui deinceps ſeriatim ſucceſsêre

2. D. Ioanna.
3. D. Maria de Belmōt, ſeu à Bello-monte.
4. D. Maria de Liſſeruelle.
5. D. Maria de Caſtello.
6. D. Maria de Liffernel.
7. D. Nicolaa ab Hannoniâ.
8. D. Margareta Somunda.
9. D. Iſabella de Dimont. Eâ verò præſidente, inſtituta fuit huius Abbatiæ reformatio an. 1459. 26. Dec. tranſlatâ eius hoſpitalitate ad Beguinas.

Anno autem 1554. cùm hoc ipſum Monaſterium munitionibus vrbis obeſſet, vt-pote muris ipſis contiguum, eiuſdem fundo in vallum ſeu propugnaculum cōuerſo, iuſſu Caroli V. Moniales in vrbem receptæ ſunt; vbi coëmpto fundo nouum Cœnobium pedetentim erexerunt, & eam, quę nunc viſitur, Eccleſiam, an. 1591. 29. Sept. à Reuerendiſſimo D. Franciſco

Petrart

Petrart Calchedone Epiſcopo dicatam.

Cæterùm à prædictâ reformatione ſubſequentes Abbatiſſæ numerari ſolent.

D. Ioanna du Pont. 10.
D. Ada de le Porte. 11.
D. Iſabella de Dimont. 12.
D. Catharina Wally. 13.
D. Maria Deſpret. 14.
D. Ioanna Mundet. 15.
D. Catharina du Buiſſon. 16.
D. Martina de le Sarte. 17.
D. Carola de Mailly. 18.
D. Barbara de Nebra, quæ obijt an. 1637. 19.
vigeſimo-primo ſui regiminis.
D. Maria du Mont S. Elòy, Montibus 20.
an. 1639. 10. Iulij benedicta; ex quo tẽpore (vt erat eximiæ diſcretionis & prudentiæ) vtramque rem Cœnobij promouit ad an. 1649. quo humanis erepta, magno ſui relicto deſiderio.

Eius modò locum & dignitatem poſſidet R. D. *Maria de Villers* Valencenenſis, 21.
nouiſſimè Montibus benedicta hoc anno 1650. ipſo die S. Monicæ per Reuerendiſſimum D. Gaſparem Nemium. Det ei Deus felix ab eâ die auſpicium, & felicem deinceps progreſſum, vt *ſperans in Deo* iuſtis ſui, & ſuarum deſiderijs potiatur.

DISTIN-

Digitized by Google

à præmiſſis donârunt. Sed & ambæ eiuſdem fundatoris filię à teneris monaſticen hîc profeſſæ, poſtmodùm Abbatiſſæ factæ ſunt, quarum, & ſubſequentium nomina ex manuſcripto loci fideliter à nobis an. 1648. collecta, paucis ſubijcio.

Omnium prima præfuit D. Agnes ab an. 1244. Premiaco euocatâ. 1.

D. Ioanna de Barbenſon an. 1271. 2.

D. Maria de Ville. 3.

D. Iſabella de Barbenſon an. 1307. 4.

D. Alix de Rouuroit an. 1331. 5.

D. Iuliana de Longueville an. 1368. 6.

D. Maria de Tornaco an. 1386. 7.

D. Iolendis de Kieuelons an. 1388. 8.

D. Catharina de Marage an. 1406. 9.

D. Ioanna de Sars an. 1432. 11.

D. Ioanna Dittre an. 1452. 10.

D. Maria de Willemont an. 1500. 12.

D. Magdalena Preuoſt an. 1508. 13.

D. Eua Sohiere an. 1532. 14.

D. Roberta de Pamele an. 1540. 15.

D. Catharina de Ligne an. 1550. 16.

D. Ioanna de Rengomont an. 1581. 17.

D. Bona de Bouſſu an. 1615. cui hoc nobile dictum fuit : *Virtute vt claritate.* 18.

D. Waldetrudis de Buignies an. 1636. cui ſymbolum: *Fortiter vt ſuauiter.* 19.

Quæ nunc feliciter pręeſt *R. D. Maria* 20.

R de

de Hamal, antiquæ (pro vt aliquot præce-dentes) nobilitatis inſignem religioni & cœnobio nauat operam ; vel ex eo lauda-bilis, quòd *S. Lucillæ* V. & M. corpus ab Innocentio X.(curante eius fratre Socie-tatis Ieſu Presbytero) obtentum cum ſuis digno honore exceperit an. 1646.ex quo licèt & anteâ (à die nimirum benedictio-nis Montibus apud Vallis-Scholares ini-tę) peraptè id ſymbolum gerit : *Fauente Deo*. Faueat ei Deus , eamque diu foueat, vt Domus ei credita ſpiritualibus amplifi-cetur augmentis.

Iam, vt alia obiter explicem, ſciendum inprimis huic Monaſterio introductam fuiſſe reformrtionem an. 1507. adnitente Reuerendiſſimo D. Iacobo de Croy Epi-ſcopo Cameracenſi, & aliquot ibi Reli-gioſas Premiacenſes ad eum finem ad-ducente. Prima autem huius generis An-tiſtita ab eo denuntiata fuit D. *Magda-lena Preuoſt* ex dictæ Premiacenſis Eccle-ſiæ gremio ; ad cuius exemplum cæteræ Religioſæ ſeſe componentes , dictam re-formationem acceptârunt, ſingulę ab eo-dem Epiſcopo , albâ , vulgò *ſarro* , dictâ (quam hodieque geſtant) indutæ & do-natæ. Et ne grauamen nouus iſte ritus Monaſterio adferret, centum libellas an-

nuas

nuas eidem delegauit.

Sed & temporis progreſſu, cùm huius loci Eccleſiæ Chorus anguſtior videretur, authoritate Illuſtriſſimi, Reuerendiſſimiq; D. Ludouici de Berlaymont Archiep. Cameracenſis diffuſus eſt, beneficio ac prouidentiâ Reuerendæ D. Catharinæ de Ligne XVI. Abbatiſſæ, dictique Archiep. materteræ. Eius interim altare anno demum 1590. Auguſti die quintâ ſacris initiatum fuit à Reuerendiſſimo D. Franciſco Petrart dicti Archiep. Suffraganeo, iſtius Dedicationis anniuerſario ad 1. Dominicam Auguſti præfixo; ita me docuit tabula ad ſiniſtrum Presbyterij latus.

DISTINCTIO III.

Bethleem, vulgò Belian, B. Mariæ.

T*Ranſeamus vſque in Bethleem* cum Paſtoribus, *& videamus* opus, *quod factũ eſt* de, & ſub titulo Bethleëm, quod à Natalitia Chriſti casâ ſic dicitur: Nec immeritò, quia velut antrum Bethleëmiticũ ſit, inter paludes & aquas à vicini Montis turbâ ſemotum; in quo plures ſacræ virgines (ad-inſtar SS. Paulæ, & Euſtochij *Anno 1244.*

 in illo

in illo veteri Bethleem recluſarum) euitandis ſæculi tumultibus ſeſe voluntariè incluſerint iam à quatuor, & ampliùs ſeculis.

Et verò quòd ad primam huius Cœnobij ætatem pertinet, aliquis mihi ſcrupulus inijcitur ex Scriptorum diſcordiâ. *D. Ioannes Bar* in ſuis manuſcriptis fundationem ad an. 1200. reducit; alij ad an. 1234. *Guiſius autem Metropolis ſuæ Cap.* 43. *& Miræus* concorditer referunt ad an. 1244.

Quidquid de annis ſit, prçcitati Authothores vniformiter primum fundatorem conſtituunt *D. VValterum Harduinum præcipuæ apud Montes ædis ſacræ Canonicum*, vt ait *Leſſabeus. Hic deteſtans mundi ſuperbiam* (Obituarij verba reddo) *in quâ primo iuuentutis flore remiſſè nimis & delicatè primùm vixerat, diuino ſuffultus munere, hoc Monaſterium proprys facultatibus inchoauit. Hanc itaque Eccleſiam primo diligens affectu, ſororibus* (iuxta regulam S. Auguſtini ex inſtituto Victorini apud Pariſios monaſterij victuris) *ſexdecim bonaria terræ arabilis abſque loci ambitu, in puram eleëmoſynam pro remedio animæ ſuæ, prædeceſſorum ac ſucceſſorum ſuorum, erogauit perpetuò poſſidendam &c.*

Eccè primam dotem, ſed pro conuiuentium numero ſatis exiguam; vnde & hodie

hodie non adeò temporalibus abundant. Verùm iuxta doctrinam Apoſtoli, *quæſtus magnus eſt pietas cum ſufficientiâ*; proinde in Monaſterijs non ita dotatis maior eſt ordinariè humilitas, & deuotio; nam ſæpè ſæpiùs verum id axioma, *filia magnæ dotationis ſuffocauit matrem deuotæ religionis.*

Quod ne in huius monaſterij cunabulis eueniret, crediderim opportunè factũ, vt non Abbatia, ſed Prioratus dumtaxat fuerit, addictus virginibus inſtituti Canonicarum Regularium: Quibus 1. præfuit Priorißa *honorandæ memoriæ Eliſabeth* dicti fundatoris mater, aut potiùs ſoror, de quâ pluribus dictum Obituarium in initio Ianuarij.

Cæterùm prædictus fundator magnâ ambitione locum, quem viuus coluit, poſt mortem elegit. Quo tamen loco ſepultus iaceat, hodie incertum vel elementorum ac temporum vitio, vel hoſtium iniurijs, quibus hæc Domus ſæpiuſculè expoſita fuit (notanter anno 1554. quo à Francis Binchio redeuntibus 23. Iul. exuſta, & an. 1572. quo cœlitis chartæ depoſitum perdidit) habet interim duplex anniuerſarium ineunte Ianuario cum prędictâ ſuâ ſorore Eliſabeth.

Iam quo præcisè anno locus hic in Ab-

batiam erectus fuerit , fateor me nuſquã reperire potuiſſe : datur interim conijci ex Abbatiſſarum numero , quòd non diu pòſt à fundatione ; quarum prima extiterit D. *Eua de Roiſin* , velut adſtruit dictum Obituarium in initio Septembris.

Sed cùm alias eidem Euæ ſuffectas, ſingulatim per annos deſcribere nequeam ſufficientium monimentorum defectu, ne quis me ſcrutinij, & factæ diligentiæ arguat, eaſdem , pro vt legi , ordine menſium ſubijcio.

1. *Ian.* D. Aelidis Grignarte.
2. D. Eliſabeth de Ladeſeur.
3. D. Heluidis de Rigneul.
5. *Feb.* D. Margarita de Froicapelle.
4. D. Maria de Watiebraine.
6. D. Gertrudis de le Motte.
7. D. Ada de Ville.
8. D. Ioanna de Maraige.
9. *Apr.* D. Ida de Montibus.
10. *Mai.* D. Maria Gerlend, quę fuit Ordinis S. Claræ ante ſuum regimen, multaque bona fecit Conuentui, &c.
11. Nob. D. Philippa de Crohin , quæ ex eleëmoſynis parentum notabilem reditum annuum acquiſiuit.
12. D. Houdiardis piæ recordationis Abbatiſſa, ex primis, vt credi par eſt, de cuius

ſancti-

ſanctitate notatu quid dignum ſcribitur in dicto Obituario.

Iul. D. Maria de Bleicort. 13.
D. Michael Matthieu. 14.
Aug. D. Guilielma de Sueſſione. 15.
D. Maria de Arundiel. 16.
D. Maria de Noirchin. 17.
Sept. D. *Eua de Roiſin prima huius Eccleſiæ Abbatiſſa.* Ita dictum Obituarium. 18.
D. Ioanna de Keuelons. 19.
D. Ioanna Reſticelle. 20.
Octob. D. Maria de Embrechies. 21.
D. Nicolaa Deſcamps. 22.
Nouemb. D. Maria de Querceto. 23.
Decemb. D. Agnes de Froicapienne. 24.
D. Catharina Dutrieu. 25.

Præmiſſarum Abbatiſſarum ſeriem (velut antecedentia, & ſubſequentia) in dicti Monaſterij Obituario legi per interuentionem *R.di Domini Ioannis Ionart Spiritualis ibidem Rectoris ab anno* 1629. ſine quo nunquam huius loci Antiquitatum ſumma attigiſſem.

Cæterùm, quia prẹmiſſus Antiſtitarum ordo obſcuritatem habet iuxta annos, ſaltem vnius & medij ſẹculi ordinẽ, ex ſingularum epitaphijs nuper à me perluſtratis, diligenter collectum, produco eo, qui ſequitur, ordine.

D. Nicolaa Deſchamps obijt 20. Sept. an. 1504. ſepulta in Choro Presbyterorum ante principem aram.

D. Michaelina Matthieu obijt 23. Iul. an. 1521. ſepulta in Choro Dominarum (pro vt omnes ſequentes) cum epitaphio ad ſignum S. Michaelis in pariete.

D. Ioanna de Maraige obijt 21. Feb. anno 1551.

D. Ioanna de Reſticelle obijt 17. Sept. an. 1581.

D. Philippa de Crohin, poſtquàm 42. annis laudabiliter præfuiſſet, obijt 17. Maij 1624.

D. Catharina Dutrieu breuis æui regimen terminauit 13. Dec. an. 1626.

R. D. *Anna d'Ancre* hodie feliciter præeſt ordine 26. anno 1627. in Maio benedicta: Cui bona, & felicia quæque in vtriſque rebus exopto; deſumpto notanter ab eius cognominis *anchoræ* fundamento, in Deum (vt ipſa Gallicè pręfert) iacto.

Hactenus de Abbatiſſis, nunc aliquid dicendum de huius loci Indulgentijs & Reliquijs; ambæ enim vetuſtatem redolent. Et quidem quòd ad Reliquias pertinet, habet hoc Monaſterium corpus *S. Honoriæ V. & M. ex numero* 1000. *Virginũ*, Coloniâ huc tranſlatum ex dono Canonicj

nici Colonienſis huius loci Prioriſſæ fratris, ab annis 300. & ampliùs; quod modò in Virginum Choro ſuper altare eleuatum viſitur, pulcherrimo tegumento varijs lapillis interſtincto decoratum ab an. 1619.

Huius autē ſanctę Martyris nomen antea ignotum, fusâ ad id ſciendum oratione, ſuper altare è cœlo in ſchędulâ ſcriptum venit; & feſtum eius quotannis celebrari ſolet Dominicâ 2. poſt Paſcha.

Aſſeruat etiam hic locus, & debito honore venerandum in aris exponit ſanctiſſimæ Crucis lignum; pro vt dentem S. Ioannis Baptiſtæ; item os vnum S. Victoris; item aliud S. dictæ Honoriæ, & quædam alia, de quibus fuſiùs dicam *in Theſauro Reliquiarum Hannoniæ.*

Finio iam in Cameracenſiū Epp. Indulgentijs, quas vti perpetuò duraturas in omnibus B. Mariæ ſolemnitatibus conceſſit Reuerendiſſimus Dom. Petrus de Alliaco Epiſcopus Cameracenſis: quas & poſtea confirmauit alijs de ſuo adjectis an. 1484. Henricus à Bergis, & in facti teſtimonium propriâ manu ijſdem ſubſcripſit.

Digitized by Google

CAPUT II.

De aliquot inferioribus Regularium Virginum Cœnobijs.

DEſcriptis hucuſque tribus Canonicarum Regularium Abbatijs, ſupereſt, vt minora his earumdem Canonicarũ Monaſteria debitâ annorũ ſerie perſtringam. Quod priuſquàm ſcribere aggrediar, præmoneo varia eſſe apud nos Monaſteria & Hoſpitalia Regularium S. Auguſtini Canonicarũ, quarum diuerſi habitus, & diuerſæ ſint conditiones, ac proinde in tres claſſes diuidi poſſe.

Aliæ velut actiuæ vitæ ſequaces, cum Marthâ ſatagunt circa frequens miniſterium ægrorum, paralyticorum, peregrinorum, & id genus Chriſti membrorum; quales maximè Tornaci in Maruis, Leſſinæ, Angiæ, Rosbecæ, Lembecæ, Gillenopoli, *& fortè alibi.*

Aliæ verò contemplatiuæ ſequaces cum Mariâ ad pedes Domini ſedendo, optimam ſibi partem elegerunt; quales modò ſunt Reformatæ Tornaci in S. Andrea, ibidem in Champeau, *& fortè alibi.*

Sed

Sed & quædam Mariæ & Marthæ ſimul miniſterio funguntur, nunc actiuæ, nunc contemplatiuæ vitæ negotia tractantes, ac mediâ inter vtramque viâ incedentes; quales Athi in Nazareth, *& aliæ forſan alibi, hoſpitalitatis iugo exemptæ, quibus perquirendis poſthac diligentiùs inſiſtam. Interim verò trium præmiſſarum Cœnobia breuiter hîc ſcribam, nec ordine, nec authore, nec tempore iiſdem constructa.*

Verumtamen, quia Hoſpitalariæ & æuo & numero cæteris præcellunt, ab earum Monaſteriis ordiri viſum; notanter ab ampliſſimo, vetuſtiſſimoque Tornacenſis oppidi Noſocomio, quod in diſtrictu Hannoniæ, vulgò Hoſpitale de Maruis nominatur.

PRIMA CLASSIS.

Hoſpitalariæ S. Auguſtini Regulariſſæ.

DISTINCTIO I.

Hoſpitale S. Mariæ de Maruis Tornaci.

REligioſæ præferunt, & Manuſcripta loci referunt hoc ipſum Xenodochium ante mille annos fundatum: Sed quo præcisè anno, & à quibus, à Reuerendâ

rendâ D. Priorisſâ ſcire non potui, licèt quidam opinentur, vt ipſa aiebat, Reuerendiſſimum D. Walterum de Maruis nomen & initium ei dediſſe anno præter propter 1219. quo Epiſcopatum inijt, ſed malè; nam vetuſtius eſt, pro vt colligi datur ex Bullâ Bonifacij Papæ IV. aut V. ſeptimo ſęculo ad huius loci Magiſtros, Fratres, & Religioſas directâ.

Quidquid eâ de Bullâ ſit (nec enim ipſam vidi) tradita per manus fides habet locum à fratribus & ſororibus Victorinæ apud Pariſios Congregationis olim inhabitatum; adeóque viros ac virgines ægris ſuam hîc operam pro tempore nauâſſe; ſed quamdiu & quando inde dimiſſi Fratres, incertum.

Certum interim de Indulgentiarum literis, quas hodiéque demonſtrant pro ſingulari antiquitatis ſuæ teſtimonio, habentes Datam anni 1282. eaſque Romæ impetratas per ſororem *Iulianam de Vertaing*, quæ ter eo fine Romam ierit, pro vt ſuo tempore & loco pleniùs alibi oſtendam.

DISTIN-

DISTINCTIO II.

Hoſpitale S. Mariæ Leſſinis.

INſigne hoc diuæ Virginis Valetudinarium morbidis cuiuſque ſexus & cõditionis patet, luculenter dotatũ an. 1220. à Ioanne & Aleyde eius conthorali, tunc Aldenardę Flobecæ & Leſſinæ Dominis; commiſſumque virginibus in communĩ regularem vitam agentibus, ijſdem præſcriptâ lege, quâ infirmos domi recipere & curare tenerentur, pro vt ab eo tempore etiamnum curant; Vnde & in earũ Eccleſię pronao hinc & hinc ægros decumbentes videre eſt, quibus aſſiduè ſubſeruiunt *memores hoſpitalitatis & beneficentiæ, quibus hoſtijs promeretur Deus*, teſte Apoſtolo. Anno 1220.

Huius autem beneficentiæ merito, vel potiùs aſpirante parcimoniâ, tantis id Cœnobium incrementis propagatum modò viſitur, vt pulcherrimum totius Prouinciæ Xenodochium ſit, nec niſi cum prætereuntium admiratione videri poſſit, tot nouitijs ſtructuris eleganter inſtructum, & amœno loco ad præter-fluentem Teneram collocatum.

DISTIN-

DISTINCTIO III.

Hoſpitale S. Nicolai Angiæ.

CVm nihil de huius loci fundatione ſcripſerit *in ſuâ Angiâ D. Petrus Colins*, & tribus dumtaxat verbis ad an. 1369. meminerit cuiuſdam paſcui aut horti tũc ad Iudæum quemdam, nomine Ionatham, pertinentis; qui per iuſtam eius cędem ab Angiæ Domino poſtmodùm confiſcatus, atque ab eo in perpetuùm huic Monaſterio & Xenodochio donatus fuerit; Lector his contentus erit, quæ ex Flandrico breuiculo ibidem accepi, an. 1647. explicante *D. Mariâ Benoitte* ibidem Prioriſsâ.

Narrauit ipſa, & prælegit huius loci fundatricem fuiſſe *D. Mariam de Retel*, quæ an. 1266. nuptijs coopulata fuit cum Waltero I. Angiæ Domino (idipſum aſſerit *Mireus Donationum Belgicarum Fol.* 274.) ipſamque poſt tres erectas hoſpitalitatis domos (de quibus hîc ſubſequenter agam) obijſſe an. 1315.

At quo præcisè anno hæc, & duæ ſubſequentes Domus fundatæ ab eâ fuerint, ſe neſcire dixit; interim ſeſe legiſſe aiebat Walterum II. Angiæ Dynaſtam, dictæque Mariæ

Mariæ filium tres ſacellanias Angiæ fundâſſe an. 1292. vnam quidem in parochiali Eccleſiâ, alteram in Beguinagio, tertiam autem in hoc noſtro Hoſpitali, cuius munia particularis Myſtes etiamnum exequitur: Ipſæ verò Moniales hoſpitalitatis iugo adſtrictæ, eandem quoque nunc exercent, & in particulari atrio ad præterlabentes aquas pro maiore ſui, & ęgrorum commoditate poſito, decem lectos habere ſolent.

DISTINCTIO IV.

Hoſpitale D. Virginis Lembecæ.

SImilis cum præcedente Angiano hoſpitali fundationis eſt Lembecanum, ſed abſimilis tituli; nam D. Virginis vocabulo excellit, & præcipuam ſolemnitatem habet ipſo die Aſſumptæ in cœlos Deiparæ.

Situm habet ab ipſius caſtri latere, Regularis inſtituti Virginibus à tribus, & medio velut ſęculis, vt aiunt, commiſſum, fundatumque ab illuſtri D. Mariâ Retelenſis Comitis filiâ, & dicti Walteri I. coniuge: Quæ cùm huius municipij Dominium, & ſimul Angianæ ditionis obtineret, dicto marito cooperante, tres beneficæ

neficæ pietatis Domos vno eodemque anno conſtruxiſſe dicitur ; at quo præcisè, nec Angiæ, nec Rosbecæ ſcire potui; licèt ibi ampliſſimum diploma viderim an. 1314. datum, cuius ſubſtantiam poſtmodùm dabo in fundatione Rosbecani hoſpitalis.

Redeo in orbitam, & dico hoc noſtrum Lembecanum eâ lege fuiſſe fundatum, vt cuiuſuis generis & patriæ peregrini (notanter huc *ad S. Veroni memoriam* venientes, & ad D. Iacobũ in Compoſtellam ituri) vnâ nocte exciperentur & fouerentur in atrio viris ac feminis diſtincto ; quod ad noſtra tempora religiosè ibi obſeruatum fuiſſe didici.

Sed cùm pietatis & hoſpitalitatis Domus, impietatis & ſcurrarum pedetentim fieret, per varios & violentos impudentum peregrinorum abuſus, tandem mediante Excellentiſſimo D. Guilielmo de Richardot Comite de Gamerage, & liberæ huius Ciuitatis Barone (de indultu & authoritate Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Franciſci Wander-burch Archiep. Cameracenſis) à dicto onere in perpetuùm liberata fuit, dictæ Fundatricis intentione in certas alias eleëmoſynas permutatâ, pro vt latiùs in eius literis continetur anno 1630. Cameraci datis, & inde huc relatis

latis à *R.D. Nicolao Franc. Houluens moderno Lembecæ Paſtore*, cui, ſuper præmiſſis, ſingulares gratias ago.

Cæterùm prætacto Archiepiſcopo dictæ Moniales, hodie numero ſeptem, ſubeſſe ſolent, qui & Prioriſſam ab ordinario loci Barone ſibi præſentatam confirmare ſolet. Prioriſſæ modò partes exequitur *R. D. Catharina Meulpas Hallenſis.*

DISTINCTIO V.

Hoſpitale S. Mariæ in Rebecque.

QVamuis Rosbeca Brabantiæ accenſeatur, quia tamen Cameracenſis Diœceſis extitit ante multiplicatos Belgij Epiſcopatus; & quia prætactum Hoſpitale vno, eodemque anno à prædictâ D. Maria de Retel vnà cum pręmiſſis Angienſi & Lembecano fundatum ſit (pro vt conſtanter & vniformiter tenetur ab Hoſpitalarijs trium præfatorum Hoſpitalium) eius hîc ſtrictim facienda mentio, ex inſtructione *R. P. Simonis Petru Auguſtiniani*, moderni ibidem Patris Confeſſarij, & *R. D. Annæ Potrier Prioriſſæ.*

Dicta autem Prioriſſa nobis exhibuit duo perampla diplomata; quorum vnum

S ſic

ſic incipit : *Vniuerſis præſentes literas inſpecturis Maria quondàm Domina de Enghien* .... immediatè verò narratur his verbis, quòd ipſa *intuitu pietatis, & ob remedium animæ ſuæ, & dilecti filij ſui D. VValteri, de autoritate & conſenſu Reuerendi in Chriſto Patris D. Philippi Cameracenſis Epiſcopi, fundârit in honorem glorioſæ Virginis Mariæ Hoſpitale vnum in villâ de Rebecq, in fundo ſuo, & dotârit de bonis ſuis acquiſitis, pro vt in eius & dicti Patris reuerendi literis ſuper hoc confectis plenius continetur &c.* Vtinam illæ in promptu nobis eſſent, vtique præciſum fundationis annum daremus; eius interim defectu bonorum confirmationem proſequamur in rem noſtram.

Ne verò dictum Hoſpitale in poſterum ſuper ipſis bonis ab eâ ad opus prædictum acquiſitis, ab aliquibus controuerſiam pateretur, ex abundanti, & ad maiorem ſecuritatem dicta bona omnia & ſingula confirmauit, & confirmari petijt, prò vt ſequitur infra ſub finem his verbis : *Et nos Petrus Dei gratiâ Cameracenſium Epiſcopus ad preces & inſtantiam dictæ nobilis Dominæ, & VValteri Domini de Enghien prædictorum, prædicta omnia ſic piè & gratioſè conceſſa & donata laudamus, approbamus, & authoritate ordinariâ confirmamus &c. Datum anno Domini mille-*

ſimo

ſimo trecenteſimo quarto decimo, in feſto S. Gregorij Pontificis menſe Martio.

Cæterùm ex prænarratis euidenter colligitur diu ante annum 1314. (quo hoc diploma à prædictis Mariâ, Waltero, & Petro ſignatum & ſigillatum fuit) huius huius loci fundationem fuiſſe factum; illamque putârim eueniſſe ſub initium tertij & decimi ſæculi, quo dictus Philippus Epiſcopus hanc ipſam fundationem authoriſans & adprobans præeſſe cœpit: At dictarum fundationis & donationis confirmationem factam fuiſſe anno demum 1314. vno videlicet ante mortem dictæ Mariæ Fundatricis, quę obijt an. 1315. 19. Febr. quo die *pro eiuſdem animâ tenetur Domus Hoſpitalis prædicti, ſingulis annis in perpetuùm, ratione bonorum ab eâ ipſi Hoſpitali collatorum, panem vnius modij bladi communibus pauperibus erogare.* Ita huius loci Necrologium, quod & Walteri eiuſdem filij memoriam facit 17. Octob. an. 1310. defuncti.

Iamverò, quòd ad primę hoſpitalitatis onera pertinet, ea nunc de cõſenſu Ordinarij mutata ſunt in aliquot puellarũ ſimplicium educationem, propter hoſpitum peregrinorum inſolentias, quæ hîc, & Lembecæ olim frequentiores erant.

DISTINCTIO VI.

Hoſpitale S. Eliſabeth Giſlenopoli.

Anno 1600. HVius loci, & factæ in eo Congregationis authores fuêre Reuerendus Adm. D. Ioannes Hazart XLVII. Abbas S. Giſleni, & D. Nicolaus Stienuenart 1. eiuſdem Oppidi ab Hornuto ſeparati Parochus; ambo enim hoſpitalitatis â S. Paulo plurimùm commendatę amatores, *maximè autem ad domeſticos fidei*, deuotas aliquot virgines Atho ex S. Magdalenâ in ſuam vrbem euocârunt anno 1600. easque pro curandis ſubditis ad Haynam collocârunt.

Cùm ad-inſtar primitiuæ Domus, ex quâ venerant, aliquot annis hîc ſine votorum emiſſione vixiſſent, anno tandem 1612. (vt arctioris charitatis & ſimul religionis vinculo conſtringerentur) canonicam S. Auguſtini Regulam complexæ ſunt; à cuius receptione locus hic in Prioratum erectus fuit; & quæ modò ſex virginum ſuprema eſt, D. Prioriſſa vocari ſolet.

MONITIVNCVLA.

HVcuſque de Hoſpitalarijs canonici inſtituti virginibus, quibus & aliæ multæ adiungi poſſent,

Digitized by Google

poſſent, vt-puta *Montenſis*, *Valencenenſis*, *Athenſis*, *Leſſinenſis*, *& aliorum Hannoniæ Xenodochiorum curatrices*; ſed quia ipſæ à monaſticis votis liberæ viuunt, de ijs altum hîc mihi ſilentium, proponenti interim ſingularum fundationes vltimo huius operis libro deſcribere. Nunc igitur ad alias S. Auguſtini Regulares tranſeundum.

SECVNDA CLASSIS.

Ordinariæ S. Auguſtini Canonicæ.

DISTINCTIO I. ET VLTIMA.

Nazareth B. Mariæ Athi.

ROgabat olim Philippum Apoſtolum legis Doctor Nathaneël, *à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* cui reſpondit: *Veni, & vide.* Veniamus & nos, & videamus, num â Nazarethano hoc monaſterio aliquid boni poſſit eſſe. *Anno 1464.*

Bonum quid inde conijcimus, quia in prædicto loco primitùs fundatum fuerit Beguinagium, & Hoſpitale ſex pauperum feminarum, an. 1416. própriam domum donante & admortizante quodam Maillardo Boudart iſtius oppidi ciue; præuio nimirum cõſenſu Guilielmi Bauari Hannoniæ Comitis.

Sed melius quid inde factum dixerimus, eò quòd dicti Beguinagij virgines, arctioris vitæ deſiderio, S. Auguſtini Regulam ſumpſerint an. 1464. 1. Martij, ſub vnius Prioriſſę obedientiâ deinceps victuræ; quibus poſtmodùm acceſſerint multę nobiles puellę è familijs Wercinià, Traſigniacenſi, Maſtaniâ, & alijs.

Induuntur ipſæ, ad-inſtar pręmiſſarum Canonicarum Thurenſium, albis veſtibus, & candido ſuperpelliceo, pro vt Tornaci in Sion trans Schaldim anno demum 1609. fundatæ.

Cæterùm, an aliæ ſimiles in Hannoniâ ſint, ſiue de nouo, ſiue antiquitùs fundatæ, ignoro; interim ſupercertari deinceps opto, quatenùs earum Monaſteria præcedētibus annectere poſſim in ſecundâ editione.

TERTIA CLASSIS.

Reformatæ S. Auguſtini Canonicæ.

DISTINCTIO I.

Monaſterium S. Andreæ Tornaci.

Anno 1249. ETſi inter Hoſpitalia ſuperiùs à mē deſcripta poni debuiſſet hoc Monaſterium,

ſterium, quia exercendæ hoſpitalitati à ſui initio deputatum fuerit; quia tamen ab eâ hodie ſolutum ſit, reformatis S. Auguſtini Cœnobijs meliùs adiungi poſſe iudicaui.

Vt autem prima eius principia breuiter exponam, præmoneo fundatorem à me hucvſque ignorari, nec *in Hiſtoriâ D. Ioannis Couſin* nominari, immo nec modum fundationis.

De antiquitate doceor ex Bullâ Innocentij Papæ IV. hunc locum in ſuâ protectione ſuſcipientis, Romæ datâ 28. Oct. anno Pontificatus eius ſeptimo, Chriſti autem 1249. tunc enim S. Auguſtini Regulares huc introductæ ſunt, ad hoſpites & aduenas excipiendos. Quod cùm ſecutis temporibus à ſpirituali commercio nimis alienum videretur, cuiuſuis generis ęgros ab eis deinceps foueri ſatiùs viſum; notanter autem vtriuſque ſexus paralyticos.

Eo autem charitatis officio minimè poſthac contentæ, ſuperioribus annis reformationem pariter ambierunt, præeunte ſorore *Mariâ de la Chapelle*; quæ Illuſtriſſimi D. Ioannis Richardot munita præſidijs, perpetuam cum ſuis clauſuram inijt an. 1611. 16. Sept. Ex quo tempore veterem

Ordinis habitum exutæ, ac violaceis indutæ (licèt habitus Monachum non faciat) perfectâ ſpiritus libertate potiuntur, ſecundùm particularia ſtatuta ad amuſſim viuentes, nouiſſimè ipſis præſcripta ab Illuſtriſſimo D. Franciſco Vander-Burch Archiep. Cameracenſi.

Sed hæc ſatis ad inſinuanda prima dictæ reformationis exordia; quibus alia ad maiorem huius loci notitiam attexi poſſent, videlicet de *S. Brigidæ Reliquijs, ac miraculosâ ſtatuâ Dominæ ſancti amoris*, ibidem publico cultui expoſitâ ab an. 1644. ſed breuitatis memor ſuperſedeo.

DISTINCTIO II.

Campellenſe S. Saluatoris Monaſterium Tornaci.

Anno 1424. VT certus redderer de huius monaſterij fundatione, & hodierno ſtatu, perlegi *Hiſtoriam Tornacenſem D. Ioannis Couſin*; quâ perlectâ, & nihil in eâ ad rem noſtram inuento, Tornacum iui, & à Reu. loci Prioriſſâ accepi, quæ ſequuntur.

Regulares Campellenſes vulgò *de Champeau* dictæ, initia ſua debent cuidam Petro de Champeau ſeu Champion, indigenæ & ciui Tornacenſi; qui (vt erat Chriſto cru-

ſto crucifixo adfectus) in honorem quinque eius vulnerum, totidem virginibus loculum donauit an.1424.extruendi Monaſterij causâ: nec diu pòſt puſillum hunc gregem numero augeri deinceps poſſe permiſit.

Virgines autem iſtæ ſic (vt pręfertur) multiplicatæ, nigrum habitum, ſub Regulâ magni illius Auguſtini victuræ, prædicto anno ſumpſerunt, & ſuis ipſæ medijs paulatim & ſe & ſua prouexerunt; nec enim prædictus Petrus Fundatoris nomen apud ipſas obtinet, cùm nihil præter certi loci portiunculam donârit.

His ipſæ initijs tenuiter, vt fit, exortæ, felici poſtmodùm ſucceſſu famam & nomen propagârunt, multasque virgines mitis vtcunque inſtituti ſequaces per duo & ampliùs ſæcula ſibi aſſociârunt; donec tandem arctioris vitæ deſiderio, reformationem perpetuamque clauſuram vniformiter aſſumpſerunt an. 1632. adprobante Illuſtriſſimo D. Franciſco Vāder-Burch Archiep. Cameracenſi; qui & certas ipſis conſtitutiones præfixerit, nigrumque habitum violaceo permutari indulſerit.

Ab eâ reformatione cùm templi anguſtiæ populum non caperent, capacius & magnificentius erexêre, an. demum 1644. abſolu-

abſolutum, ſed necdum hodie, quod ſciam, ſolemni ritu benedictum.

Et hac quidem ſufficiant de Monaſterijs Canonicarum Regularium, ſiue reformatarum, ſeu veteri ritu viuentium. Plura eſſe opinor in Hannoniâ, ſed cùm eorum origines ignorem, de ipſis inſtrui deinceps peroptans, ad Brigittinas tranſitum facio.

CAPVT III.

De inſtituto filiarum S. Brigittæ.

SVb eadem diui diuinique Auguſtini regulâ militat, & in ſolidum Marianus eſt Ordo S. Brigittæ, qui ab eâ initium ſumpſit an. 1370. adprobante Vrbano V. eumdemq; poſtea an. 1376. confirmante Gregorio XI. poſtquàm de eiuſmodi Ordine fundando cœlitùs interpellata fuiſſet Atrebati, pro vt ſupra diximus.

In Sueciam reuerſa, Regulam ſibi & ſuis præſcripſit ex ore Chriſti dictantis exceptam. Mira prorſus Saluatoris dignatio! quia non ſolùm parioris vitæ ritum præſcripſerit, ſed & eius Religioſas benedictæ ſuæ Matris filias *vocare dignatus ſit. Immo verò in quocunque regno ali-*

no aliquod huius Ordinis Monaſterium fuerit, pacem auctum iri prænuntiauit. *Quin & Deipara ſanctiſsimo huic Ordini per vnigenitum filium ſibi dicato*, perpetuam conſeruationem, & omnimodæ benedictionis abundantiam promiſit, *adeò vt religioſus hic Ordo totus ſit & in Ieſu, & in Mariæ tutelâ.*

Mira ſanè dignitas, quâ non ſolùm virgines, ſed & viri gloriantur; nam ex primâ inſtitutione ſorores & fratres habitare ſolent in vnum, ita tamen clauſuris ab inuicem ſeiuncti, vt de his ad illas tranſire nefas ſit, niſi in extremâ neceſsitate. Eccleſia vtriſque communis eſt, ſic tamen vt fratres inferiùs, aliæ verò ſuperiùs officia peragant. Ad veſtitum quòd pertinet, griſeus vtriſque color tam in tunicâ, quàm in chlamyde, ſuper quam crux rubea viſitur cum quodam rotundo albo.

Totius autem Cœnobij adminiſtratio non ad Religioſos, ſed ad Abbatiſſam pertinet, fortè ob reuerentiam S. Brigittæ ex Regali progenie exortæ: In cuius rei ſignum benedictæ eius Moniales aureum in digito annulum geſtant, & candidam in capite coronam quinque purpureis ligulis interſtinctam; mutatis regiæ tiaræ lapillis in quinque Chriſti Regum Regis vulnera, *vt ijs verbis refert* *Dauid Lindanus in ſuâ Teneramundâ Lib. 2. Cap. 5.*

De cætero præclari huius Ordinis duplicia

Mona-

Monaſteria plurima olim in Belgio fuerunt, notanter apud Hollandos ante auitæ fidei eclipſim: fuit & vnum Misbagæ apud Antuerpiam, prout & aliud in Flandriâ Vallis gratiæ titulo nuncupatum; hodie nonniſi duo extant, videlicet Siluæ-Ducis & Teneramundæ, *cætera deſierunt, nec ampliùs de nouo excitantur; quamuis tamen multa ſimplicia ſint, ſummorum Pontificum authoritate, ad-inſtar duplicium adprobata, velut ſupra diximus.*

Et quidem, quòd hîc ad virginalia ſimplicia Monaſteria pertinet, de nouo extare ſolent Inſulis, Duaci, Atrebati, Bruxellæ, Valencenis, & forſan alibi. Quibus ita generaliter præmiſſis, venio ad deſcriptionem Monaſterij Valencenenſis.

DISTINCTIO VNICA.

Abbatia, ſeu Conuentus Brigittinarum Valencenis.

Anno 1618. VIrginalis huius Cœnobij mater eſt Atrebatum ab an. 1608. quo Inſulis ad eam Ciuitatem quatuor Religioſæ tranſmiſſę pro noui Monaſterij erectione. Biennio autem pòſt (hoc eſt an. 1610.) cùm Nouitia quędam, nomine *Ioanna de Lo*, condito ante ſuam profeſſionem teſtato, quinque millia florenorum, ex propenſo

penſo erga hunc Ordinem ſuum ſtudio, donâſſet pro alterâ Domo alibi inſtituendâ, dicti Ordinis Superiores eo adiutamento præfulti, receptionem ſuam Valencenis procurare cœperunt; eamque tandem, Magiſtratus fauore, 19. Martij an. 1613. obtinuerunt, licèt aduentum in aliquot annos poſteriores diſtulerint.

Venerunt igitur ſex Religioſæ cum ſorore Laicâ an. 1618. 17. Febr. ex quo die conductam domum ſimul inhabitârunt vſque ad vltimum diem anni 1620. tunc enim coëmpto Refugio *d'Audregnies*, in idipſum commigrârunt, vbi & modò reſident, anguſto ſatis diuerſorio (velut initia ferunt) recluſę, haud longè à S. Iacobi Eccleſiâ.

Prima nouello cœtui Abbatiſſa pręfuit ſoror *Eliſabeth Cambier* Inſulenſis; quâ haud diu pòſt defunctâ, in eius locum electa, & ſolemni ritu benedicta fuit an. 1623. *R. D. Barbara Leſtocquart* etiamnum ſuperſtes; cuius, & ſubditarum eius, vota Deus exaudire dignetur ad huius Ordinis in Hannoniâ propagationem.

CAPVT

CAPVT IV.

De nouo Vrſulinarum inſtituto.

DE huius inſtituti virginibus non habens firmiorem ſermonem vſque hodie, breuiter ſubijcio, quod habet Mireus in ſuis Belgij Annalibus ad annū 1611. Vrſulinæ Virgines, quæ puellis piè inſtituendis dant operam, Pariſijs ſub Regulâ S. Auguſtini Monaſterium excitârunt anno 1611. Paulo V. adprobante. Quod inſtitutū poſtea ad alias ciuitates, & Prouincias tranſijt. *Hac ille præcitato libro.*

Cæterùm Ordinis iſtius virginum præcipua eſt inſtitutio & intentio, vt pietatem & prudentiam doceant adoleſcentulas; quod vt diligentiùs & frequentiùs exerceant, diſpenſatæ ſunt à Choro, & magnis Horis. Earum Suprema non Prioriſſa, verùm Mater directrix vocari ſolet; & ſolùm triennalis eſt ordinariè, quâ de re, & alijs ſingularitatibus Ordinis in ſecundâ editione ſcribam.

Dico hîc interim tribus verbis, huius Ordinis Moniales à primâ ſuâ inſtitutione coaleſcere cœpiſſe Leodij, Gineti, Namurci, Dionanti,

Huij,

Huij, & nuſquam alibi in Belgio (quamuis Inſulis, Louanij, & alibi Vrſulinæ ſint, ſed his noſtris inſtituto abſimiles) & tandem derelicto Giueti oppido per bella, Montes velut ad tutiſſimum refugium, anno 1634. conueniſſe.

DISTINCTIO VNICA.

Monaſterium S. Vrſulæ Montibus.

VRſulinarum virginum notiſſima apud Leodienſes familia, eaque toti Belgio, quod ſciam, hactenus vnica, Giueto Montes appulit an. circiter 1634. ob loci ab hoſtibus inſecuritatem; eo quidem fine, vt, ex Ordinis ſui inſtituto, ſpirituali & temporali iuuencularum educationi vacarent, primo domicilio apud Lupi hoſpitium, nec diu poſt altero apud S. Magdalenæ Pœnitentes fixo. *Anno 1647.*

Sperantes autẽ admiſſionẽ diuinis fungi, & virginalem ludum aperire cœperunt an. 1636. ſingularibus ad id beneficijs prouocatæ per eximium ciuem *Ioannem Malapert* Dominum de le Buiſſiere; qui (vt erat valde locuples) vnicâ ſuâ prole maſculâ deſtitutus, cooperante *Mariâ de Guiſe* vxore, domum ſuam, & alia quædam dedit; adeò vt præcipuum è ſuis ex tunc

hodie

hodie benefactorem agnoſcant.

Verùm ſalutaribus his principijs tam Ordinario, quàm Magiſtratu obſtantibus, plurima diu multumque perpeſſæ (imperato tandem ab vrbe diſceſſu) Namurcum ſeſe cum ſuis receperunt; ſpem interim reditus ad ſereniora tempora differentes, in quibus haberet fortuna regreſſum.

Nec fefellit exitus; nouiſſimè enim potentibus potenter inſtantibus, anno tandem 1647. admiſſæ ſunt de gratiâ & indultu Sereniſſimi Archiducis Leopoldi; primaque virginum coloniâ prędicto Namurco ad nos deductâ, ad priſtinam domum ſecùs dictas Pœnitentes rediêre. Sed anguſtijs loci nullatenùs deinceps arcendæ, (earum enim Cœnobium iuſto numero Religioſas nunc habet) ad domum *Domini de Sepmeries* inter duas Eccleſias ſeſe tranſtulerunt ſub finem anni 1648. ſaltem pro tempore; necdum enim fixum hæreditate poſſident domicilium.

Interim verò habitationem iſtam, adinſtar Cœnobij, ſacello, cellulis, alijſque clauſtralibus officinis, per vicinarum ædium applicationem, præparârunt; quotidiano muſicæ concentu, aſſiduaque virguncularũ inſtructione popularem affectum ad ſe pertrahentes.

COROL-

COROLLARIVM.

De nouiſſimo Viſitantinarum inſtituto.

ORdinis huius laudes digerere nec meatum, nec humanarum eſt virium, cuius in fundamento ſanctitas, in nomine reuerentia Mariana, in progreſſu ſuperlatiua charitas, & in toto ſtatu diuina prorſus ſocietas reperitur.

Qui licèt nouiſſimè, ab anno 1622. aut ſequente, in Gallijs inſtitutus ſit ſub titulo Viſitationis B. Mariæ; tamen ad antiqua Regularium S. Auguſtini virginū præſcripta reſpicit: ſuaque initia debet Reuerendiſſimo beatæ & ſpirantis adhuc memoriæ Franciſco de Sales Epiſcopo Genuenſi ſanctitate & doctrinâ in ſuis diebus conſpicuo: Ad cuius inſtantiā dictus Ordo à ſuâ Sanctitate adprobatus; Gallicanis Epiſcopis quàm maximè applaudentibus ac promouentibus; notanter Illuſtriſſimo, Reuerendiſſimoque D. Philippo Coſpeau Montenſi, quondàm Eleëmoſynario potentiſſimæ Mariæ de Medicis Francorum Reginæ, & inde Epiſcopo de Liſieu, nouiſſimè Pariſijs mortuo an. 1646.

Cæterùm ad dicti Epiſcopi, & aliorum commendationem, Viduæ Domini Franciſci le Roy nepti ſuæ in viuis factam, dicti inſtituti virgines ex Galliâ propediem Montes venturæ dicuntur. Faxit Deus, vt eas videre nobis contingat; eſt enim earum Ordo valde famoſus & proficuus ob charitatiuæ vitæ negotiationes, pro vt ſecundis curis fuſiùs dicam.

LIBER V.

Quadriga Mendicantiũ Ordinum, ſeu *Virilia IV. Ordinum Mendicantium Cœnobia.*

PROLOGVS.

AD Ordinum Mendicantium Conuentus modò ſtylum deflecto, ſi tàmen priùs ſingulorùm origines, & inſtitutionis tempora, ex ſingulorum Fundatorum tabulis, vt hactenus, petita, breuiter expoſuero.

Etſi verò multæ ſint Religioſorum hominum Congregationes priuilegijs Mendicantium gaudentes, quatuor tamen primarij cenſentur Mendicantium Ordines, videlicet *Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, & Auguſtinianorũ*: Cæteri his ſubalterni ſunt, aut quaſi annexi, de quibus capitatim in hoc ſequenti libro dicam, ducto à nobiliore ſexu principio; ac primùm à dictis Prædicatoribus, qui & tempore alijs priores, & ſanctiſſimi Deiparæ Roſarij prædicatione illuſtriores.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT I.

De Ordine Prædicatorum.

SANCTVS Dominicus Calarogæ è nobili Guſmannorum familiâ natus, de Canonico Regulari fundator Ordinis Fratrum Prædicatorum ſub Regulâ ſancti Auguſtini ab Honorio III. anno 1221. confirmati, Obijt anno 1221.

Primum autem Ordinis ſui Monaſterium Toloſæ excitauit. Nec diu pòſt Romam veniens duo inſtituit Monaſteria, vnum virorum, & mulierum alterum; multaq; deinceps edidit miracula, quibus Ordo Prædicatorum mirificè propagari cœpit; notanter in Italiâ, Hiſpaniâ, & Galliâ.

Quòd autem pertinet ad eiuſdem Ordinis primordia in Belgio, & conſequenter in Hannoniâ, cœpit is olim Inſulis an. 1224. Gandaui & Louanij an. 1228. Brugis Atrebati, & Valencenis an. 1233. Duaci 1234. pro vt alibi

eodem ſæculo, & ſubſequentibus. Sed & noſtrâ ac Patrum memoriâ Lyræ & Viluordiæ apud Brabantos, Braniæ & Montibus in Hannoniâ. Sed à genere in Species.

DISTINCTIO I.

Conuentus S. Pauli Valencenis.

Anno 1233. PErinſignis, antiqui, & numeroſi huius Conuentus Fundatrix extitit Ioanna Hannoniæ Comitiſſa, primo Oratorio in honorem S. Martini conſtructo ſub annum 1233. in manſo Iacobi de Campaniâ; cuius rei fidem facit dicta Ioanna per ſuas literas id initij habentes: *Nouerint vniuerſi, quòd, cùm Prior S. Saluij, & totus illius loci Conuentus &c.* quo quidem in loco, vt infra ſubditur, *liberè poſſent Eccleſiam ædificare, cœmiterium liberum habere, oblationes recipere, & alia omnia facere, quæ Ordinis eorum inſtituta requirunt.*

Hæc itaque fuit primigenia Cœnobij fundatio, quod, licèt ſatis tenuiter inchoatum fuerit, vtporè modico Oratorio inſtructum; tamen haud diu pòſt ſuæ habitationis pœmeria extendit: Lego enim Margaritam dictæ Ioannę ſororem, & in funda-

fundationis partem acceſſiſſe; ſiquidem incœptam ab ea domum ampliore fundo vltra flumen versùs forum adauxit, conſtructis in eo nouâ Eccleſiâ, Peryſtilio, Dormitorio, alijsque Conuentualibus officinis, quæ etiam nunc viſuntur ab anno 1272. quamuis dicta Eccleſia ex tunc abſoluta, anno demum 1317. ſacris initiata fuerit, de, & ſub titulo S. Pauli; quod nomen hodieque dictus Conuentus ab eo tempore retinet.

Durante autem noui Conuentus ſtructurâ, diuinum officium perſoluebant in ſuo priore ſancti Martini oratorio, quod adhuc in eorum hortis ſubſiſtit, exhibetque monimentum *B. Ioannis Sterlini* vnius è primis Religioſis anno 1259. mortui; cuius ſanctitatem inter alios prædicat *Gerardus Lemouicenſis in Vitis Fratrum Ordinis Prædicatorum ante* 300. *annos conſcriptis.*

Cæterùm prima huius Cœnobij ſanctitas, præunte reuerendo Patre Iacobo de Hallis, ea fuit, quæ non ſolùm omnibus pietatis ſtudium excitaret, ſed & principes viros ad inſtitutum ſuum pertraheret. Præluxit in illis (vt vnum è multis producam) *Hugo de Beuernâ* vnicus

 Schotiæ

Schotiæ Regis filius, qui ſuſcepto hîc habitu, beato fine quieuit an. 1286. ſepultus in ſacello S. Dominici ſub exiguo marmore, Religioſi effigie adornato cum metricâ ſuperſcriptione.

Sed & ſepulturæ locum hîc elegerunt aliquot Magnates. Inprimis Ioannes de Aueſnis I. huius nominis Hannoniæ Comes dictæ Margaritæ filius an. 1257. mortuus: Iacet autem in medio Chori cum Aleide vxore, pro vt alibi alij, tam ex hac familiâ de Aueſnis, quàm ex Werciniâ, & alijs; quorum monumenta, & quaſdam alias dicti Cœnobij ſingularitates ſecundis curis proferam.

DISTINCTIO II.

Branienſis S. Mariæ Magdalenæ.

Anno 1612. ARbori ſubnecto ramum, immo matri filiam, hoc eſt Valencenenſi Cõuentui Branienſem; eſt enim hic ipſius filia, & tradux colonia, quia huc è ſuis primos Patres miſerit, formandæ religionis & diſciplinæ gratiâ.

Venerunt ipſi ſub finem anni 1612. quo iiſdem, à Caſtellano & Magiſtratu, domus ad

ad portam Montenſem deſignata, quæ tunc ad Vice-Caſtellani viduam pertinebat. Inſequenti autem anno priuatorum eleëmoſynis adiuti, ſuis ac publicis vſibus Eccleſiolam cum Cœnobio adaptârunt ſub titulo Vicariatus, aut Vicarij Monaſterij, vt ab ipſis dicitur.

Tandem verò re auctâ per aliquot è ſuis præcipuos, qui nouerant *mel de petrâ ſugere, oleumq; de ſaxo duriſsimo*, & Vicariâ in Conuentum per Superiores an. 1622. erectâ, miræ pulchritudinis ac iuſtæ capacitatis Eccleſiam à fundamentis incœperunt; quam in hodiernæ diei altitudinem & ſplendorem erectam, ſuáque coronide donatam, Deo, eiuſque glorioſæ Matri, *ſub titulo B. Mariæ Magdalenæ* ſolemni ritu dedicauit an. 1627. Illuſtriſſimus & Reuerēdiſſimus D. Franciſcus Vander-Burch Archiepiſcopus Cameracenſis.

De cætero Conuentus iſte eximio admodùm & ſpatioſo clauſtri ambitu, alijſque ædificijs & officinis de nouo erectis ad mœnia ipſa inſtructus eſt; ſed doctrinâ magis, quam eius Alumni profitentur per Iuuentæ inſtructionem, velut Ipris in Flandriâ, Lyræ & Viluordiæ in Brabantiâ; maximè verò pietate, quam in pagorum circuitu eius Euangeliſtæ impartiun-

Digitized by Google

partiuntur, per aſſiduam ſanctiſſimi Roſarij prædicationem.

DISTINCTIO III.

Montenſis S. Petri Martyris.

Anno 1620. TErtius dicti Ordinis apud Hannones Conuentus Montibus ineſſe cœpit an. demum 1620. quando ciuitas ipſa bono Prædicatorum odore, eorumque prædicationibus in Collegiatâ & parochiali Eccleſiâ ſancti Germani per aliquot iam ſæcula auditis, illecta, ipſos (ad eorum & Ordinis amicorum inſtantiam) admiſit, excepitque de Regis, & Ordinarij beneplacito.

Aduentantibus Valencenâ Patribus extẽporalis domus diſquiſita, & randẽ deſignata in vico *du Mont-Eſcouuet* retro S. Nicolai Xenodochium: Vbi, anno, quo ſupra, in feſto S. Dominici rem diuinam agere cœperunt; donec poſt aliquot hinc annos, *in plateam Angienſem*, commodioris & amplioris ſedis ergò, ſeſe tranſtulerunt; coëmpto priùs ab ipſis *Refugio Comitis de VVillerualliâ*; in quo diutiùs inhęsêre, conſuetis Ordinis ſui functionibus vacantes, atque ſuorum & laicorum ſepulturam

turam admitentes; ſub ſpe tamen inde aliò aſportandi fidelium oſſa; quia hoc ipſis domicilium,& cœmiterium nec diuinæ nec humanæ ſortes adſignarent.

Vnde poſtmodò contigit, vt relictâ ſecundâ hac domo, in eam (quam hodie in *plateâ Textorum ſecùs montem Parci* inhabitant) tranſierint; præuiâ tamen liberalitate & munificentiâ nobilis viri Domini *Nicolai de Landas Equitis Aurati*, eorumdem Fundatoris, (huius, & quorumdam aliorum præſidijs adiuti, duas Conuentualis ambitus partes in eam, quam videmus, amplitudinem erexerant) eò loci commigrantes an. 1641. in die SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, inſtitutâ ſolemni per vrbem proceſſione.

Ab eo tempore, vnâ dicti ambitus parte pro Eccleſiâ vti ſolent. Cumque loci anguſtiâ, præ fratrum numero, ſatis arctarentur, Rex Parcum ſuum ipſis ex parte ceſſit ad horti ſtructuram, qui & agri ſuburbani læto adſpectu gloriatur, & ſalubri montis eminentiâ gaudet.

Nec ſatis; alij ad campanilis,& campanarum in eo ſuſpenſionem munifici fuerunt;& modò alij ad alia contribuunt;ſignatè ad tertiā dicti ambitus partē,quę priuatis publiciſq; donationibus elegāter in

dies

dies exurgit: adeò vt exteri iſtam benefactorum gratiam paſſim prædicent, immo etiam admirentur; maximè ex eo, quòd conſuetæ liberalitatis fontem bella hæc vbiuis pene locorum areſcere faciant. Sed non obſtruetur in ditioribus, mediante ſanctiſſimi Roſarij Reginâ, ad cuius gloriam omnis hæc benefica deuotio redundat, vt cuiuis notum.

Sed & ad huius Cœnobij gloriam, totiuſque Oppidi decus non parum facit, quòd Reuerendiſſimus Pater *Thomas Turcus* totius Ordinis Generalis, idipſum ſuâ nuper præſentiâ vno alteroue die decorârit, ſolemni per eum benedictione præſentibus impartitâ, eiuſque inſignijs ad valuas templi, publicæ gratulationis & gratitudinis ergò, ſuſpenſis.

MONITIVNCVLÆ.

HÆc quidem breuiter de tribus RR. PP. Prędicatorum in Hannoniâ Conuentibus. Audio quartum in *Chimaci oppido* ab eis prætendi; præuio nimirum voto & deſiderio Illuſtriſſimæ Dominæ Principiſſæ Chimacenſis: Sed & quintum *Leſſinis*; quia tamen vtrobique res manet in fieri, conſultim prætereo, tranſiturus interim ad Minoritas, eorumque multiplices Conuentus.

CAPVT

CAPVT II.

De Ordine fratrum Minorum.

SANCTVS Franciſcus Aſſiſias, fratribus Minoribus ſuis Regulam tradidit approbatam ab Innocentio III. anno 1210. & Honorio III. anno 1223. Pauper & humilis cœlum diues ingreditur anno 1226.

Eo adhuc viuente non pauci fuêre in Belgio Conuentus erecti, videlicet Audomari, Brugis, Gandaui, Lutcēburgi, Atrebati, & Valencenis teſte Franciſco Gonzaga in ſuâ Hiſtoriâ Seraphicâ To. 2. III. Parte.

Ex præmiſſis autem Conuentibus, vnicus nos concernit, videlicet Valencenenſis. *Sed priuſquàm eius, & aliorum ſeptem origines ſcribere aggrediar, præmoneo tres eſſe huius Ordinis in Belgio Prouincias, nimirum Flandriæ, quæ an. demum 1523. erecta, ſub ſe continet in Hannoniâ Athenſem, Aueſnenſem, & Barbenſonij*

Digitized by Google

ſonij Conuentus. Altera à Colonienſi an. 1529. diuiſa, & Brabantiæ vulgò dicta, ſub ſe vnicum Hallenſem complectitur. Tertia autem S. Andreæ ab anno 1558. nuncupata, continet Valencenenſem, Montenſem, Binchienſem, & Quercetanum, de quibus infra ſubſequenter.

DISTINCTIO I.

Conuentus Valencenenſis S. Crucis, & B. Franciſci.

Anno 1215. SVb Fernando à Portugallià Hanno-niæ Comite, anno duodecimo à ſancti Franciſci conuerſione, octo ante eius mortem (qui erat annus 1215. vel circiter, teſte prædicto *Gonzaga*) ſex Minoritæ Valencenas venerunt, in quibus erant duo ſacerdotes, & quatuor Laici, eò miſſi à B. Pacifico eiuſdem D. Franciſci ſocio, primoque Franciæ Miniſtro per eum deſignato.

Eorum autem vitæ ſanctitas, (de quâ mira ſcribuntur) adeò Valencenates in ictu oculi pupugit, vt mox ipſis à Senatu Cœnobium conſtrueretur iuxta S. Bartholomęi ſacellum, ipſius oppidi muris adſitum. Quo quidem in loco, cùm in ſummâ

ſummâ paupertate & humilitate aliquot annis cœnobialiter vixiſſent, dictus Comes Fernandus Pariſijs exiſtens (petente Philippo Francorum Rege) *Dongionem*, ſeu proprium intra vrbem palatium, ad ſuperædificandum aliud Cœnobium, ipſis conceſſit & donauit de conſortis ſuæ aſſenſu, pro vt conſtat ex dicti Comitis, ac Comitiſſæ diplomatibus an. 1220. datis, quorum priùs ſic incipit: *Nos Ferdinandus de Portugallià, &c.* alterum verò ſic: *Nos Ioanna Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſa in remiſſionem peccatorum &c.*

Sed ipſi visâ ędificiorum maieſtate, quæ à dictâ Comitiſsâ in dicti Comitis palatio præparabantur, ſecundi huius Conuentus inhabitationem recusârunt: Et ſic dicta eius Fundatrix alios inquilinos Gandauo euocauit; præuio tamen indultu Heliæ Generalis, ad quem ipſa deſuper ſcripſerat. Nihilominus ſucceſſu temporis vterque Conuentus in vnum coaluit an. 1241. aut ſecundùm alios anno 1251.

Notandum interim, quòd ante iſtam vnionem (anno videlicet 1233.) prædicta Ioanna noui ſui Cœnobij Eccleſiam in eâ, quâ modò viſitur, altitudine & ampli-

amplitudine erectam, pro dictorum Fratrum Gandenſium vſu conſecrari fecerit à Reuerendiſſimo Domino Godefrido Epiſcopo Cameracenſi, ſub titulis *SSS. Trinitatis, S. Crucis, & B. Franciſci*, Dominicâ die poſt eiuſdem S. Crucis Inuentionem: Quâ die (vt dictus *Gonzaga* fuſiùs narrat) ad maiorem prædicti actus feſtiuitatem, deferri fecit ad dictam Eccleſiam corpus S. Victoris Martyris è legione Thebæorum; item aliud S. Parteno-martyris è ſocietate S. Vrſulæ; & Spinam è corona Domini; *quæ ſingulis noctibus feriæ ſextæ Paraſceues* (dicti *Gonzaga* verba adduco) *per integram horam rubea & ſanguinolenta ſtupendo miraculo adparebat, cùm aliàs eſſet aridior*, hæc ille.

Sed hęc omnia, & alia ſanctuaria pluſquam ferinâ Caluiniſtarum rabie an. 1566. partim ſpoliata, partim exuſta fuiſſe lego cum omnibus literis Bullis & priuilegijs Conuentus. Immo verò tanta fuit horum luporum crudelitas & auarities, vt ne quidem à mortuorum monimentis abſtinuerint, hæc ipſa effodientes ſub ſpe inuentionis abſconditi in eis theſauri.

Sed per Dei gratiam bene habet, non omnia in eo diluuio periêre, prædicti *S. Victoris corpus cum ſpinâ Domini* adhuc viſitur;

ſitur; & licèt Vrſulanæ ſocietatis corpus diſperierit, idipſum diſpendium hodie compenſant *ſancta Crux* ex dono peregrinorum Hieroſolymitanorum, iuſtaque Martyrum Gorcomenſium portio, anno 1618. huc illata.

Sed nec tot Magnatum periêre Mauſolea, marmoreis & deauratis miro artificio emblematis perornata, ſubtumulatis Comitum Flandriæ & Hannoniæ corporibus; item Comitum Palatinorum Hollandiæ & Friſiæ; Comitum Namurcenſium, Bleſenſium; & multorum aliorum magni nominis Heroum, quos hîc breuitatis gratiâ non commemoro; hoc vnum adijciens ex *Guicciardino* ad maiorem prędictorum fidem; *Peramplum*, inquit, *& pulcherrimum diui Franciſci Cœnobium ſplendidiſſimis aliquot Hannoniæ Principum tumulis, & ſcitiſſimis epitaphijs exornatum eſt.*

Tribus verbis ſubaddo, quòd huius Cœnobij Patres ſtrictioris obſeruantiæ normam, ad Recollectarum præſcripta victuri, an. 1618. ſumpſerint.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO II.

Montenſis S. Franciſci, & B. Margaritæ.

Anno 1238. HVius oppidi Minoritæ, omnium inter Religioſos primi, in memorijs habent (& ijs aſſentitur *Guiſius ſuæ Metropolis Cap.* 42.) primicerios fratres huc veniſſe duodecim annis poſt diui Franciſci mortem, qui eſſet 1238. Sed prædictus *Gonzaga* decem annos anticipat, ſuſtinetque cum prædicto *Guiſio* hunc Conuentū ipſis fuiſſe erectum piâ liberalitate Ioannę Comitiſſæ, Illuſtriſſimi, potentiſſimique Balduini Flandriæ & Hannoniæ Comitis filiæ.

Hæc ipſa ſuburbanum fundum dedit (nunc tamen oppidi ſeptis incluſum) olim *pratum du Ioncquoy* dictum, erecto antea ſacello celebre: Et ne quid iuris ſecularis in eo deinceps à quouis & quauis authoritate prætenderetur, eodem, quo ſupra anno, Eccleſiaſticę proprietati hunc ipſum addixit, ſeu admortizauit, pro vt vernarculè dici nunç ſolet; acceeſſitque in rei confirmationem aſſenſus Capituli S. Waldetrudis, eò quòd *ex Balduini Comitis ſententiâ & ſtatuto, nulla Eccleſia, nulluſq; locus*

locus Conuentualis terras vel domos in Montibus, abſque prælibatæ Eccleſiæ conſenſu, poßit acquirere, pro vt fuſiùs ſupra retuli in narratione fundationis Vallis-Scholarium. Sed ab eâ fundi donatione, & ſæcularis iuris extinctione, ad alia iam progredi conuenit.

Non erat ſatis de fundo prouidiſſe. Margarita germanæ liberalitatis & ſimul pietatis æmula, ſecundo poſt eius mortem anno, hic erat 1246. (vt ſcribit *Guiſius*) Conuentum ab eâ incœptum in ampliorem ambitum extendit, contiguas ædes, & manſos aliquot applicat, in quibus nouæ Eccleſiæ & Chori (vt modò adhuc viſuntur) ampliſſimis ſumptibus fundamenta iacit; & tandem totius ſacri ædificij abſolutam molem conſecrari facit in feſto S. Marci circa an. 1233. vt ſcribit *Gonzaga*, ſed malè; contrarium enim ex prænarratis euidentiſſimè conſtat.

Vt vt fuerit de iſtius conſecrationis anno (nullibi enim expreſſum reperio) dictæ Eccleſiæ ſtructura ſatis elegans & capax eſt, ſacrâ variorum ornamentorum, argenteorum vaſorum, & phylacteriorum, nec-non Reliquiarum ſanctarum ſupellectile inſtructiſſima; notanter *Dominicæ ſpinæ portiunculâ*, quæ quotannis ad ſepul-

Digitized by Google

chrum Domini exponitur, duobuſque SS. *Martyrum Gorcomenſium feretris, & vno Vrſulanæ ſocietatis capite.*

Ad alia vt paucis veniam, locus omnis Fratrum vſui per-vtilis eſt, ſi nouellæ Infirmariæ commoditates, ipſius clauſtri altero demum ſęculo cõſtructi latifundia, hortorum amplitudinem, viuaria, & aquas interluentes conſideremus: Et quamuis in populosâ vrbe ſit, quietiſſimos tamen habet receſſus ad ſtudium, pietatem, & contemplatiuæ vitæ varietates.

Fuit autem hic Conuentus olim multâ virorum nobilitate, pietate, & eruditione conſpicuus, & complures eruditos præcedente ſæculo genuit, inter quos præ cæteris claruit R. P. *Sebaſtianus VVillemart* 1. Andreanæ Prouinciæ Miniſter Prouincialis. Fuerunt, & alij, quos hîc indictæ mihi breuitatis memor prætereo; hoc vnum vice coronidis adijciens, quòd iſtius Cœnobij Patres obſeruantes, cæterorum more, facti fuerint Recollectæ an. 1623.

DISTINCTIO III.

Athenſis SS. Petri, & Pauli.

Anno 1446. OBſeruantes huius oppidi Minoritæ cœperunt circa an. 1446. Neque vnum

num authorem operi inſcribunt: Alij fundum coëmerunt; alij Eccleſiam ſuperſtruxerunt, alij alia dederunt.

Sciendum igitur ex loci Archiuis, quòd prędicto an. 1446. 23. Apr. prima domus coëmpta ſit pro vſu & habitatione FF. Minorum; eâ autem ex tempore tenuiter adaptatâ, Eccleſiam iuxtim erexit illuſtris & generoſus Dominus Ioannes de Ligne, in quâ poſtmodò reconditus fuit; & eius modò tumba viſitur in Choro ad aliquot pedes à terrâ exurgens, ad ſiniſtrum Presbyterij latus inter dictum Chorum, & S. Ioannis Bapt. ædiculam.

Porrò dictam Eccleſiam ſic, vt pręfertur, erectam, primi Patres conſecrari poſſe obtinuerunt per quemcumque Catholicum Antiſtitem gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habentem, pro vt patet *ex literis Nicolai V. Papæ, Romæ datis an.* 1447. *pridie Idus Martij, Pontificatus eius anno primo*, in huius Conuentus Archiuio cum aliquot alijs incluſis. Ea autem demum conſecrata fuit an. 1453. 27. Apr. in honorem SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, vt habet D. *Franciſcus Vinchant* in ſuis Annalibus, vbi etiam dictæ conſecrationis Chronicon adfert.

Iam de origine ad progreſſum veniamus.

mus. Anno 1481. nouella domus, horreum, & ædificium primitiuis dictorum Patrum ſtructuris neceſſaria, ab illuſtri viro D. Ioanne de Traſegnies in eorum vſus comparata ſunt; dictæque totalis emptionis ſumma per Mariam Burgundicam Brabantiæ Duciſſam perſoluta fuit.

Quibus attentis, vt partiales duntaxat Fundatores reputantur, tam præfati Domini Ioannes de Ligne, & Ioannes de Traſegnies, quàm illuſtris D. Ioannes de Maſtain Eques Hieroſolymitanus, eiuſque filia Quintina de Maſtain, & quidam alij, quos hîc ſubticeo.

Vixerunt in hoc Conuentu venerabilis P. *Ioannes de Mauberto* 1. Vicarius Generalis Ciſmontanus, non ſine opinione ſanctitatis mortuus an. 1450. ſepultus in medio Chori, & *Petrus Pruns*, martyrio apud Gandauum coronatus an. 1571.

Iam ad Cœnobij ſitum quòd attinet, viſitur illud haud procul ab Angiæ portâ versùs Lætiæ Refugium ad plateæ frontem, ſatis elegans & religioſâ maieſtate verendum; ſiue Eccleſiæ decorem in picturis & ſculpturis conſideres, ſiue ambitus an. 1649. renouati amplitudinem; ſiue inſignem Bibliothecam; ſiue nouellorum aliquot ædificiorum ſplendorem; ſiue hor-

torum

Digitized by Google

torum ad mœnia extenſionem.

Nec tacenda hîc fratrum pietas, & Prędicatorum vis magna; neque horum & iſtorum perfectioris vitæ zelus, quo rigidiores FF. Minorum Recollectorum leges amplexi an. 1625.

DISTINCTIO IV.

Aueſnenſis S. Bernardini.

PRo ſingulari deuotione, quem ad Ordinem S. Franciſci & illius perſonas gerebant illuſtris vir Carolus Comes de Charolois Philippi Boni Burgundię Ducis filius, & in Belgicæ Prouincijs hæres, Iſabella Duciſſa Burgundiæ, altera item Iſabellis dicti Caroli Comitis vxor, & Maria Domicella de Pointieur; eiuſmodi Conuentus in hoc oppido erigendi facultatem à Pio II. Pontifice petierunt anno 1460. pro vt conſtat ex dicti Pontificis Bullâ, Romæ datâ quinto Kalendas Decembris anno, quo ſupra, ad Abbates S. Amandi, Lætiæ, & Iardineti. *Anno 1460.*

Dicta autem Bulla conſeruatur in dicti Conuentus Archiuo, & ipſa paulò poſt initium ſic habet: *Sanè pro parte Comitis, & Duciſſæ, ac Comitiſſæ, ac Mariæ prædictorum, nobis nuper exhibita petitio continebat,*

Digitized by Google

bat, quòd, cùm in oppido de Aneſnis nullus locus Ordinis fratrum Minorum ſit, ipſi Comes & Duciſſa, & Comitiſſa, & Maria pro ſingulari deuotione, quam ad eundem Ordinem & illius perſonas gerunt; proſpectis etiam fructuoſis operibus, quæ ijdem fratres tam prædicando, quàm exemplarem de ſe vitam in populo exhibendo, apud fideles facere conſueuerunt, & paucis interiectis, *libenter vnam domum huiuſmodi, pro vſu & habitatione fratrum prædictorum, in honorem S. Bernardini Confeſſoris, conſtrui & ædificari facerent, ſi eis hoc de præfatæ Sedis authoritate liceret. Quare pro parte Comitis, Duciſſæ, ac Comitiſſæ, & Mariæ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ipſis vnam domum huiuſmodi pro vſu & habitatione dictorum fratrum ſub Vicariatu vltramontano, ac curâ & regimine Vicarij Prouinciæ Franciæ pro tempore exiſtentis degentium, cum Eccleſiâ Clauſtro, Cœmiterio, Refectorio, ortis, ortalitijs, & alijs neceſſarijs officinis in dicto oppido, vel circa illud, in loco ad hoc congruenti & honeſto conſtrui, & ædificari faciendi; ac ipſis fratribus illam (poſtquàm conſtructa & ædificata fuerit) pro vſu & habitatione ſimilibus recipiendi ac perpetuò retinendi, eandemq; Eccleſiam per aliquem Catholicum Antiſtitem gratiam & communionem dictæ Sedis habentem (quem maluerint) conſe-*

Digitized by Google

conſecrari faciendi, licentiam concedere, aliaſq́, ſuper his opportunè prouidere, de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui Religionum quarumlibet noſtris præſertim temporibus diligimus incrementum, de præmiſſis certam notitiam non habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs vel duo, vel vnus veſtrum &c.

Cæterùm dicti Pontificis Bullâ à Gerardo ſancti Amandi Abbate receptâ, ad eius executionem, iuxta ipſius formam & tenorem, proceſſit anno ſequente, prout conſtat ex eius literis eo modo incipientibus. *Vniuerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis Gerardus permiſſione diuinâ humilis Abbas Monaſterij S. Amandi in Pabulâ, Ord. S. Benedicti, Tornacenſis Diœceſis, Iudex & executor ad infraſcripta;* cætera, ne longior ſim, omitto, aliàs fortè dicti Pontificis Bullam, multis alijs adiunctam, redditurus.

Prædictus autem Conuentus ſub obedientiâ dicti Franciæ Vicarij permanſit, donec *Cuſtodia Flandriæ*, quæ ſe extendebat in Franciam, ab eâ ſeparata, in particularem Prouinciam erecta fuit an. 1523. ex quo tempore in pagos emiſſi ſunt Patres vndequaque doctiſſimi ad prædicandum; notanter ab aliquot luſtris *Philip-*

pus Boskierius, Nicolaus Oranus, Andreas à Tecto, & alij, de quibus alibi ſuo loco pertinentiùs agam.

Interim breuiter hîc dico, quòd fratres iſti primitùs de Obſeruantiâ, Recollectarum ſtatuta an. 1640. ſubſumpſerint, & adhuc hodie ſint 26. D. Franciſci Regulam purè, integrè, & ad literam obſeruantes. Ita me de præmiſſis docuit *R. D. Bernardus de Hauſſy Subprior Lætienſis*, ex parte R. P. Guardiani à me per eum requiſiti an. 1647.

DISTINCTIO V.

Binchienſis S. Eliſabeth.

Anno 1597. CVm ſolæ quatuor Beghinę, ſecùs Parochialem D. Eliſabeth Eccleſiam olim à Magiſtratu collocatæ, cohabitâſſent ad an. 1554. tunc in generali vrbis per Gallos incendio, ipſarum domunculæ cum vicino templo dirutæ fuerunt. Sed paulò pòſt idipſum contribuétibus ciuibus honorificè reparatum fuit; eâ quidem amplitudine, vt non exiguam populi partem continere poſſet.

Succeſſu autem temporis, vt deuoti iſtius populi pietatem Deus compenſaret, & deinceps magis excitaret, Patres Recol-

Digitized by Google

Recollecti à ſuis Superioribus Binchium miſſi ſunt an. 1597. *altero nimirum poſt iſtius formæ inſtitutionem*; quibus perhumaniter à Senatu exceptis, de domo & templo prouiſum fuit ex tempore ſecùs mœnia in Cantiprato.

Sed cùm in remotis tam ſibi, quàm populo incommodè agerent, dictam Beguinarum Eccleſiam ſępiùs adibant pro Miſſis & concionibus faciendis: Præuiſo ſubinde fructu, quem ibi per eas faciebant, Gubernator cum dicto Senatu libellum ſupplicem obtulit Illuſtriſſimo D. Ioanni Saraceno tunc Archiep. Cameracēſi; quatenùs ordinariâ ſuâ authoritate permutationem locorum & templorum inter dictos Patres, & Beguinas indiceret, decerneretque: Et ad faciliorem huius rei impetrationem, Reuerendus Adm. D. Ioannes Lucius Abbas Bonæ-Spei, dicto libello commendatitias adiunxit, quarum copiam adſeruo.

Quid multis? ad dictorum ſupplicum preces prætactam commutationem admiſit Archiepiſcopus; ſed reclamante S. Vrſmari Capitulo (ob aliquod ſui in eâ re præiudicium) mox à Patribus Bruxellas itum eſt: Quibus in Priuato Concilio auditis, *maturâ deliberatione indultum, & ſimul manda-*

mandatum fuit, vt dicta compermutatio (non obſtante dicti Capituli oppoſitione) plenum & integrum ſuum effectum haberet. Ita ſonat prætacti Concilij deciſio Gallicè reddita 29. Oct. anni 1598. pro vt mihi deſuper præmiſſis reſcripſit an. 1647. R. P. *Medardus du Mont ibidem Vicarius.*

Igitur deciſionis iſtius vigore, & in vim literarum Sereniſſimi Alberti Auſtrij tunc Belgarum Gubernatoris, an. prætacto 1598. (poſtquàm vno dumtaxat anno Cantiprati ſubſtitiſſent) domicilium trãſmutârunt, & in dictam Beguinarum Eccleſiam ſeſe recipientes, nouum Cœnobium, & apta ſuis vſibus loca circumſtruxerunt, ciuium & aliorum eleēmoſynis adiuti, quas tunc frequentes habebant.

DISTINCTIO VI.

Quercetenſis S. Andreæ.

Anno 1615. ISTius oppidi Recollectæ Griſeis ſororibus à tergo adhærent, intermediâ ſolùm plateâ diuiſi. Cœperunt adgregari an. 1615. rogante, aut ſaltem mediantę Excellentiſſimo Comite Frezinio, huius loci Gubernatore; qui eiſdem procurato fundo, Eccleſiam proprijs impenſis ſuperædificauit, beatorum Martyrum Gorcomenſium

menſium Reliquijs an. 1619. ſolemniter hîc receptis illuſtratam. Alij alia poſtmodò ędificia conſtruxerunt; ita vt hodie templo, clauſtro, cæteriſque Conuentualibus officinis abundè inſtructi ſint.

Iacet in dictæ Eccleſiæ Choro tanquam ſpecialis eiuſdem fundator dictus Comes de Frezin cum duobus filijs Comite de Peer maiore natu, & altero Comite de Frezin; cuius poſtremi filius, cum in Hiſpaniâ nuper obijſſet, eiuſdem Manes huc relati an. 1645. Hæc mecum contulit prędictus R. P. *Medardus du Mont quondàm hîc Guardianus.*

DISTINCTIO VII.

Barbenſonius S. Alberti Ep. & M.

RVralis iſte Conuentus iuxta Belli-Montium amœno loco ad cuiuſdam fluulæ fauces conſtructus, eiuſdem eſt æui cum præcedente, ſed non eiuſdem Prouinciæ & Diœceſis; nam Prouinciali Flandriæ, & Epiſcopo Leodienſi ſubditus eſt. *Anno* 1615.

Eius autem origo referenda eſt ad munificentiã *Illuſtriſsimorum Barbenſonij Principum Claudij de Rhingraue vidua, & eius*

filij

filij Alberti de Ligne & Arembergbe; qui, pro ſuo in Seraphicum Ordinem affectu, electorum S. Franciſci palmitum vineam in ſui iuris ditione plantârunt an. 1615. primis colonis Aueſnâ euocatis, vt fructum facerent in tempore ſuo, diuo Alberto rigante, Deo autem incrementum dante.

Dictus Princeps Albertus, templum, clauſtrum, aliaſque Conuentuales officicinas magnifico ſchemate erexit, & ampliſſimos hortos addidit muris ſuis vndequaque cinctos; adeò vt exteri quique prætereuntes, ſuburbani Conuentus ſplendorem admirentur.

Templum S. Alberti titulo conſecrauit an. 1623. 21. Oct. Reuerendiſſimus D. Stephanus Strechius Epiſcopus Dionyſienſis, Sereniſſimi Principis & Epiſcopi Leodienſis Suffraganeus.

Viſitur in eiuſdem templi Choro circa medium, dictæ Principiſſæ ſublimis à terrâ tumulus; ſuntque ibi & extra, alij plurium nobilium tumuli, quorum arma & titulos tam in marmoribus, quàm in feneſtris & penſilibus tholis videre ſit; prout vidimus, & ſcripſimus è ſchedulâ anno 1647. nobis traditâ *à V. P. Maximiliano Lenglez ibidem tum Guardiano.*

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO VIII.

Hallenſis Deiparæ doloroſæ, & S. Bernardini.

NOuiſſimi huius Conuentus Mater eſt Bootendalia, iuxta Bruxellam an. 1467. initiata, eò quòd tres primos è ſuis Patres de Superiorum mandato Hallas immiſerit an. 1627. quintâ die Ianuarij, ad faciendam ibi reſidentiam. *Anno 1627.*

Verùm (vt queuis initia ſolent eſſe difficilia) eorundem admiſſioni ſeſe oppoſuit Diœceſanus; & vſque eò controuerſia deuenit, vt ad Sedem Apoſtolicam ire neceſſum fuerit.

Interpellatus Pontifex, negotium remiſit per literas an. 1629. Romæ ſcriptas ad Illuſtriſſimum Dom. Fabium de Lagoniſsâ, tunc ſuum apud Belgas Inter-Nuncium; coram quo res iſta diu multumque ventilata. Vehemens interim patronus ad cauſam acceſſit Reuerendiſſimus P. Ioſephus Bergaine totius Ordinis ſuper has Prouincias Commiſſarius generalis; cuius inſtantiâ tandem à dicto Nuncio ſententia in fauorem Minorum exijt.

Igitur huius ſententiæ vigore, prætactique Commiſſarij electi Siluæ-ducenſis Epiſco-

ſilij Alberti de Ligne & Aremberghe; qui, pro ſuo in Seraphicum Ordinem affectu, electorum S. Franciſci palmitum vineam in ſui iuris ditione plantârunt an. 1615. primis colonis Aueſnâ euocatis, vt fructum facerent in tempore ſuo, diuo Alberto rigante, Deo autem incrementum dante.

Dictus Princeps Albertus, templum, clauſtrum, aliasque Conuentuales officicinas magnifico ſchemate erexit, & ampliſſimos hortos addidit muris ſuis vndequaque cinctos; adeò vt exteri quique prætereuntes, ſuburbani Conuentus ſplendorem admirentur.

Templum S. Alberti titulo conſecrauit an. 1623. 21. Oct. Reuerendiſſimus D. Stephanus Strechius Epiſcopus Dionyſienſis, Sereniſſimi Principis & Epiſcopi Leodienſis Suffraganeus.

Viſitur in eiuſdem templi Choro circa medium, dictæ Principiſſæ ſublimis à terrâ tumulus; ſuntque ibi & extra, alij plurium nobilium tumuli, quorum arma & titulos tam in marmoribus, quàm in feneſtris & penſilibus tholis videre ſit; prout vidimus, & ſcripſimus è ſchedulâ anno 1647. nobis traditâ *à V. P. Maximiliano Lenglez ibidem tum Guardiano.*

DISTIN-

DISTINCTIO VIII.

Hallenſis Deiparæ doloroſæ, & S. Bernardini.

NOuiſſimi huius Conuentus Mater *Anno*
eſt Bootendalia, iuxta Bruxellam *1627.*
an. 1467. initiata, eò quòd tres primos è [illegible]s Patres de Superiorum mandato Hallas immiſerit an. 1627. quintâ die Ianuarij, ad [illegible]iendam ibi reſidentiam.

Verùm (vt queuis initia ſolent eſſe difficilia) eorundem admiſſioni ſeſe oppoſuit Diœceſanus; & vſque eò controuerſia deuenit, vt ad Sedem Apoſtolicam ire neceſſum fuerit.

Interpellatus Pontifex, negotium remiſit per literas an. 1629. Romæ ſcriptas ad Illuſtriſſimum Dom. Fabium de Lagoniſsâ, tunc ſuum apud Belgas Inter-Nuncium; coram quo res iſta diu multumque ventilata. Vehemens interim patronus ad cauſam acceſſit Reuerendiſſimus P. Ioſephus Bergaine totius Ordinis ſuper has Prouincias Commiſſarius generalis; cuius inſtantiâ tandem à dicto Nuncio ſententia in fauorem Minorum exijt.

Igitur huius ſententiæ vigore, prætactique Commiſſarij electi Siluæ-ducenſis Epiſco-

Epiſcopi authoritate, nec-non Senatus Hallenſis auſpicijs, ex Reſidentiâ Conuentum fecerunt an. 1638. 15. Iun. coëmpto fundo mœnibus adſito, eiuſdemque fundi horreo in Eccleſiam pro tempore ab ipſis mutato.

Sex velut annis eo in loco rem diuinam fecerant, cùm nouæ Eccleſiæ fundamenta ab ipſis iacta an. 1644. auſpicalem lapidem ſubterponentibus huius oppidi Baliuo & Magiſtratu, pro vt conſtat ex hac dicti lapidis inciſione: *Deo Opt. Max. Deiparæ doloroſæ, S. Bernardino, & S. Eliſabeth me poſuerunt generoſus ac nobilis D. Balinus, & ampliſſimi D. D. Conſules, & Scabini ciuitatis Hallenſis die* 12. *Maij an.* 1644.

Biennio pòſt, in hâc nouâ ſuâ Eccleſiâ ſacris vacare cœperunt an. 1646. Dominicâ 3. Aduentus; licèt necdum benedictionis munus (quod ſciam) acceperit. Hactenus ex loci Manuſcripto, quod an. 1647. legendum exhibuit R. P. *Gerardus Zutteler Guardianus, & Prouinciæ Diffinitor.*

ANNOTATIO.

AVdio & vnum eſſe dicti Ordinis Seraphici Conuentum, non procul à *Chimaco*, in medijs ſyluis recens inchoatum, ſub ſpe ingreſſus ad hoc opidum; qui tamen huc vſque retarda-

tus &c

tus ſit per RR. PP. Dominicanos, eam ob rem in Curiâ litigantes: Proinde non ſatis deſuper edoctus, plura hîc dicere vetor. Pergo interim à primo S. Franciſci Ordine ad Tertium, qui & viros, præter virgines, complectitur.

CAPVT III.

De Tertio Ordine S. Franciſci.

HVNC Ordinem S. Pater inſtituit pro vtroque ſexu anno 1221. *Complectitur autem non ſolùm viros & fæminas, domi ſuæ viuentes iuxta Tertiæ Regulæ præſcriptum, ſed & Religioſos tribus votis adſcriptos; quales hodie in Brabantiâ* Bogardi *vulgariter appellati, aut rectiùs* Beggardi, *à S. Beggâ nomen habentes (vt latiùs deducit* R. D. Ioſephus Geldolphus Abbas S. Gertrudis Louanij in ſuâ Beggiade fol. 489.) *nihilominùs tertiam iſtam Regulam ſeruantes; ſub quâ probati ſunt an.* 1450. *à Nicolao V. Pontifice, & alijs eius ſucceſſoribus, vt refert dictus Abbas.*

Cæterùm ante prædict adprobationem fuere tantùm laici fratres, griſeis amicti, textrinâq;

nâq; vitam in communi ſuſtinentes ; ſed modò nigrum geſtant habitum, ſuntq; ex ipſis plurimi Sacerdotes, & tanquam viri Religioſi Ordinũ Mendicantium priuilegijs gaudent. Quò fit, vt generales Proceſſiones cum cæteris Ordinibus comitentur ; notanter Antuerpiæ, Bruxellis, Arſchoti, Thenis, & alibi in Brabantiâ, vbi ſuos habent Conuentus.

Sed & in Hannoniâ duos olim habuêre, quorum origines, licèt hodie deſiêrint, ad poſteritatis memoriam paucis ſubijcio.

DISTINCTIO I.

Conuentus Bogardorum Brugeleti.

Anno 1467. TErtiarij Fratres de Pœnitentiâ dicti, coaleſcere Brugeleti cœperunt an. 1467. eiuſdem loci Capellâ, de & ſub titulo S. Nicolai, in eorum vſus cum attinentijs deſignatâ, & datâ per illuſtrem virum Iacobum de Iauſſe, Dominum de Maſtain, &c. Temporis autem progreſſu, cùm, paulatim inter eos deficiente diſciplinâ, minùs vtiles cenſerentur, eorumdem domus Carmelitis donata fuit anno 1566. pro vt infra ſuo loco latiùs dicam.

DISTIN-

DISTINCTIO II.

Conuentus Bogardorum Montibus.

CVm Domina quædam Cheruienſis ad inſtantiam fratris Alardi de prędicto tertio Ordine, S. Crucis Conuentum Montibus erexiſſet an. 1520. primi coloni Brugeleto tranſmiſſi, eâ lege à Senatu admiſſi ſunt, vt peſtiferos curarent, eorumque cadauera ſepulturæ inferrent. *Anno 1520.*

Quod cùm dictus Alardus, eiusque ſubditi (quibus vt Superior, aut potiùs Miniſter præerat) ſedulò peregiſſent, anno demum ſui aduentus decimo, omnes immani peſte ſublati ſunt. Quæ quidem loci ſolitudo, erigendi in hoc loco humaniorum literarũ Collegij, Senatoribus anſam tunc dabat; ſed res optato caruit euentu, hunc ipſum locum alteri Religioſæ familiæ Deo reſeruante, vt infra dicetur, cùm de Clariſſarum Monaſterio ſcribemus.

X CAPVT

CAPVT IV.

De Ordine Carmelitarum.

SANCTVS Albertus nobilis Siculus, Ordinē B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo antiquę originis, ſub Regulâ per Albertum Hieroſolymorum Patriarcham anno 1171. ſcriptâ, ab Honorio III. adprobatâ illuſtrauit. Obijt anno 1292.

Cæterùm prædicta Regula ab Honorio III. vt præfertur, adprobata; ab Innocentio IV. nonnihil mitigata fuit an. 1240. vnde & nomen Carmelitarum Mitigatorum *obtinent, Mendicantes inter Ordines tertij, dictiq; paſſim apud Flandros Fratres B. Mariæ.*

Eos autem ex monte Carmelo omnium primus in Franciam adduxit S. Ludouicus Galliæ Rex è Syriâ redux, ijſdem erecto Pariſijs Cænobio; ex quo omnia noſtra Belgica originem ſuam traxerunt, videlicet Bruxellenſe, Antuerpienſe, Mechlinienſe, Gandenſe, Brugenſe, Iprenſe, Gerardi-Montenſe, Aloſtenſe, Atrebatenſe,

Valen-

Digitized by Google

Valencenenſe, & alia quædam recentiora apud Hannones; de quibus hîc conſequenter agam cæteris alÿs relictis, quia eminùs nos videant.

DISTINCTIO I.

Conuentus Carmelitarum Valencenis.

FRatres B. Mariæ de Monte Carmelo ſub idem fere tempus cum Dominicanis ciuitate donati ſunt, omniumque primi inter Belgas huc venerunt an. 1235. authoritatem faciente Ioannâ Hannoniæ Comitiſsâ; & ciue quodam, nomine Ioachimo, locũ *in vico de la Taſnerie* iuxta Pellionum crucem donante; vbi modicum Cœnobium ſub titulo Vicariæ conſtruere, & vſibus ſuis inſtituere cœperunt. *Anno 1235.*

Sed primitiuam iſtam ſedem ſubiecto à maleuolis igne ſuccenſam, deſeruêre an. 1290. in eum locum, quem modò Tornacenſi plateæ innexum colunt, commigrãtes, nouamque à fundamentis Eccleſiam & periſtilium cum refectorio, dormitorio, cæteriſque Conuentualibus officinis an. 1292. conſtruentes.

Ab eâ tranſlatione elapſis 193. annis, id eſt anno Chriſtiano 1485. certam reformationem acceperunt, à priſtino vitæ

rigore nonnihil declinâſſe viſi. Sed & nouiſſimè an. 1622. Turonicam ex Ordinis inſtituto, vt alibi paſſim, complexi ſunt, interiori tunicâ, cùm priùs nigra eſſet, in griſeam tranſmutatâ.

Hoc in, & è Phrontiſterio ſcripſerunt *Ioannes de Condato, Ioannes Barathus, Ioannes Briſoletus, & Ioannes Carthenius S. Theologiæ Doctores*, vt alios tam veteres, quàm neotericos ſileam, de quibus aliàs libro ſingulari.

Reliqua in huius Carmeli laudem ſecundis laboribus dabo.

DISTINCTIO II.

Angienſis S. Ioannis Baptiſtæ.

Anno 1412. COnuentus iſte, vulgò *S. Ioannis* dicitur, propter miraculoſam inuentionem cuiuſdam ſtatuæ eiuſdem ſancti Præcurſoris Domini, quæ ſupra fontem olim exilijt in eo fundo, in quo primorum Fratrum Cœnobiale ædificium conſtructum fuit, authoritate Martini V. Pontificis, & beneficentiâ Illuſtris viri Petri de Lutcemburgo.

Qui cùm eſſet Angiæ Dominus, vt perpetuæ claritatis gloriam mereretur accipere,

pere, ijſdem Fratribus gratuito perpetuoque dono fundum & locum in quodã campo prope Angiam ſub ſuo conſiſtentem Dominio contulit, vt ibidem quoddã oratorium cum Eccleſiâ, & alijs neceſſarijs officinis pro eorum vſu conſtrueretur, Apoſtolicæ Sedis priùs petitâ licentiâ.

Quâ quidem à dicto Martino V. Pontifice obtentâ, mediante conſenſu Abbatis & Conuentus S. Dionyſij, in prædicto fundo (qui erat, & modò adhuc eſt in metis Patronatus dicti Abbatis) primarium ſtructuræ lapidem iniecit an. 1412.

Succeſſu autem temporis, cùm, ratione oblationum & funerum, grauis in eos querela per dictum Abbatem, & Angiæ Parochum ſuſcitata fuiſſet, an. tandem 1423. ſopitâ fuit, expedito deſuper concordiæ inſtrumento, quod ſic incipit: *In nomine Domini, Amen. Nouerint &c.*

Ad alia quòd pertinet, Conuentus iſte ab initio ſui Bruxellâ traductus, protulit viros inſigniter eruditos; in his *Iulianum Hazartum, qui multos à ſe compoſitos libros reliquit, atteſtante* Geſneri Bibliothecâ, *& Petrum Hnmbecanum S. Theol. Doctorem.*

Dedit etiam ſanctitate conſpicuos, notanter vnum alterumue Priorem; quorum

 vnus

vnus cimices omnia ibi corrodentes ſuis precibus effugauit ; alter verò deficiente pane circa prandium, congregatis fratribus panes cœlitùs apponi obtinuit.

Floruit inſuper literario ludo ad annũ 1578. quo gliſcentibus turbis totum id Cœnobij euerſum, receptis intra opidum fratribus ; vbi & hodie degunt, D. Sebaſtiani ſacellum, eique continentes aliquot hortos & domos adepti, nouo Choro in Orientem conuerſo gaudentes ab anno 1634. & ſtrictioris obſeruantiæ normâ viuentes anno 1649. ipſo die Pentecoſtes aſſumptâ.

DISTINCTIO III.

Brugeletenſis S. Nicolai.

Anno 1566. CVm ex primâ Ordinis inſtitutione ſolitarij vixerint Carmelitæ, nihil alienum ab inſtituto ſuo facere videntur, ſi extra vrbes habitent, & à populi ſtrepitu ſemota ſibi Monaſteria acquirant. Taliter hodie ſe habent Brugeleti in campis, & iuxta Valencenas in ſiluis.

Quòd ad priorem locum pertinet, vno fere ſæculo Bogardos fouerat, cùm Dynaſtes ipſos amouit à *Capellâ S. Nicolai de*

Heri-

Digitized by Google

Herimets per ſuos anteceſſores apud caſtrum fundatâ.

Vt autem genti meliorem fructum facienti daretur, aliquot Carmelitę Valencenis euocati, primiſque colonis ſubſtituti ſunt an. 1566. Ex quo tempore vnanimiter ibi perſeuerantes, Maſtaniæ gentis gratiam inuenerunt, noui Chori ſtructurâ eiuſdem ſumptibus adeptâ, ſuſceptâq; more cęterorum, Turonicâ reformatione ſub annum 1629.

DISTINCTIO IV.

Carmelitarum Nouitiatus apud Valencenas.

FOnti ſubnecto ſuum riuulum, & arbori ramum, immò matri filiam, vrbi ſuburbium; hoc eſt probationis Domum profeſſæ Domui Valencenenſi. *Anno* 1633.

Cùm enim antea Valencenis floreret Gallo-Belgicæ huius Ordinis Prouinciæ Nouitiatus, Superiores eundem foras tranſtulerunt an. 1633. partim Illuſtriſſimi Ducis Arſchotani beneuolentiâ attracti, partim ipſius loci genio inuitati; quę, velut Deiparæ filij, aut potiùs fratres, candidato fœtu nouæ prolis deinceps amplificarent.

 Certè

Digitized by Google

Certè ſuburbanus iſte locus, in quo hodie conſident extra Tornaci portam, *terra ſancta eſt*, immò tota Mariana, quia *Matris Bonæ-Spei* miraculis illuſtretur ab an. 1626. quo Excellentiſſimus D. Philippus Arembergius Arſchoti Dux, *in tāquam Dominus de Beuurage*, iuxtim eidem Diuæ ſacellum exſtruendum curauit.

Illud autem triennio pòſt abſolutum, iunctâque Domo cōuentuali inſtructum, dictis Carmelitis Nouitiatum deinceps hîc facturis, ab eodem Duce commiſſum fuit, pro vt eâ de re, & alijs eò facientibus latiùs ediſſerā *in Hannoniâ noſtrâ Marianâ* propediem edendâ.

DISTINCTIO V.

Landreſij Reſidentia, aut Vicaria.

IAm ad deditionis exitum Franci vergebant, quem ſibi præoccupandum Carmelitę duxerunt, ſui Ordinis intra id oppidum receptioni inhiantes.

Factâ autem (poſt integri decennij per hoſtes occupationem) deditione, quæ euenit an. 1647. 17. Iulij, vnde tale diſtichum extat,

LVX VbI ſaCra pII nobIs fVLgebat ALeXIs,
LanDraCo FranCos fortIs LeopoLDVs abegIt;

Duo

Duo treſve Religioſi Valencenis im-miſſi ad reuerſorum ciuium conſolationem, vſque eò inflammârunt omnium deſideria, vt ſeriam de ijs excipiendis ſuſceperint cogitationem, nec diu pòſt ſupplicantes de nutu Regis admiſerint; tametſi Abbas & Conuentus Maricolenſis dictæ admiſſioni ſeſe opponere dicantur: Sed interpoſitâ compoſitione, res iſta breuî, vt ſpero, ſopietur.

CAPVT V.

De Ordine Eremitarum S. Auguſtini.

EREmitis Eremitæ ſubiungendi ſũt, Aſiatici Africanis, videlicet Carmelitis Auguſtiniani, quorũ Ordo Mendicãtium quadrigam terminat, per Aurelium in eremo non procul a Tagaſtâ ſtabilitus an. 388. vel vt alij volunt 390. qui & poſtmodùm ab Innocentio I. confirmatus an. 405.

Ex quo tempore ſolitaria iſta dictorum Eremitarum vita eò vſque durauit, donec ab Alexan-

lexandro IV. reformaretur an. 1254. tunc enim per cœleſtem viſionem, loco, habitu, & regulâ, ſub vno Generali coadunati ſunt, qui variè anteà fuerant diſperſi: Hinc feſtum reunionis olim quotannis 5. die Iunij celebrari ſolet apud ipſos.

Caterùm ab huius reunionis tempore, Ordo iſte mirificè propagatus fuit, & in varias Prouincias vni, vt præfertur, Generali ſubditas partitus; vnde & in Belgio plurima huius inſtituti Monaſteria hodieq; extant, videlicet Louanij, Antuerpiæ, Bruxellis, Mechliniæ, Thenis, Dieſtemij, Gandaui, Brugis, Duaci, Baſſeæ, Inſulis, Tornaci, & alibi; quorum omnium vetuſtius Angiæ *viſitur, haud diu poſt dictam dictam reunionem fundatum, pro vt immediatè ſumus dicturi.*

DISTINCTIO VNICA

Conuentus Angienſis S. Annæ.

Anno 1255 VNicus hic apud Hannones Conuentus, primo poſt dictam reunionem anno, initium ſumpſit tempore Walteri huius nominis 1. Angiæ Domini; ad quem de longinquo venit ſub an. 1255. quidam eminentis ſcientiæ & pietatis Auguſtinianus (non exprimit nomen *Petrus Colins in ſuâ Angiæ Hiſtoriâ*) & perhumaniter

ter ab eo ſuſceptus, pro ſe ſuiſque Ordinis Religioſis habitationem obtinuit.

Sed cùm prætenti Cœnobij fundus tunc, vt modò, viuarijs adſitus, eſſet de patronatu Abbatis S. Dionyſij, conſtruẽdi in eo facultatem petitum iuit. Eâ autem licentiâ donatus (auſpicalem futuri monaſterij lapidem pangente dicto VValtero) templum ſuperædificauit.

Id-ipſum templum, cùm anno pręcedentis ſęculi 94. fortuito caſu ſuccenſum fuiſſet, haud diu pòſt à cinere & maceriâ reſurrexit collatitio Hannoniæ Statuum ſumptu, & aliquot priuatorum eleëmoſynis.

Superioribus autem annis per tres annos huic loco fuit adfectus Prouinciæ Nouitiatus. Sed & anno 1622. iuuentutis Collegium tranſcriptum à Senatu, edocto videlicet de fructu, quem in Brabantiâ Auguſtiniani faciebant.

Idem Montibus faciendum eſſet de Houdano Collegio, vt plerique iudicant; ad eius iuuentam optimis moribus & literis, non tantùm efficaciùs ſed & gratis, imbuendam. Quem ob finem, iam à multis annis Conuentum hîc petière Auguſtiniani, ſæpiùs apud Magiſtratum inſtante R. P. Carolo Veron Ordinis Prouinciali. Nec minùs hodie petunt ad totius oppidi orna-

ornamentum, populi ædificationem, & iuuentæ inſtitutionem, optimè per hæc de vniuersâ Hannoniâ merituri. Adſpiret Deus potentium eam in rem conatui.

ANNOTATIO DE EREMITIS HANNONIÆ.

PRæmiſſorum Aſiæ & Africæ Eremitarum occaſione, paucis inſerenda hîc foret mentio de varijs Eremis Hannoniæ, in quibus habitant aliquot Eremitæ, hîc ſeorſim, & ibi iunctim: Sed quia ipſi nec verè Religioſi ſint, nec eorum cellæ Monaſteria aut Communitates dici poſſint, conſultim prætereo.

Tranſeo interim à præmiſſis quatuor Ordinum Mendicantium Cœnobijs ad ſubalternos ijſdem Ordines, videlicet Minimorum, Capucinorum, & Carmelitarum diſcalceatorum.

CAPVT VI.

De Ordine Minimorum.

SANCTVS Franciſcus de Paulâ Calaber, Fundator Ordinis Minimorũ, tres Regulas Fratribus, Sororibus, & vtriuſque ſexus Tertia-

Tertiarijs inſtituit ſub Sixto IV. Obijt nonagenarius anno 1507.

Cùm multi ad eum pietatis ſtudio concurrerent, fraternæ charitatis causâ è ſolitudine (in quâ ſex annis vixerat) egreſſus, Eccleſiā prope Paulam ædificauit, ibiq́; prima Ordinis ſui fundamenta iecit, non aliud corpori ſuo obſonium indulgens, quàm quo licet in Quadrageſimâ veſci. Quòd quidem auſterioris vitæ genus, & alia ad eius Regulæ eſſentiam pertinentia prædictus Pontifex adprobauit an. 1473.

Ordinis huius Cœnobia potiſſimùm florent apud Italos, Gallos, Hiſpanos, Germanos, & nouiſſimè apud Belgas, primorum Patrum coloniâ ex Galliæ regno deductâ; euocantibus Sereniſſimis Principibus noſtris Alberto & Eliſabeth, moxq́; ſubſecutâ plurium Conuentuum erectione; quorum omnium prior Antuerpiæ fundatus. Poſtmodùm alij & alij erecti ſunt, videlicet Anderlaci, Bruxellis, Montibus, Inſulis, Leodij, Duaci, Gerardimontij, Louanij, & fortè alibi. Sed ad noſtri Montenſis deſcriptionem veniamus.

DISTINCTIO VNICA.

Conuentus Montenſis S. Dorotheæ.

VNico huic apud nos Conuentui principium dedit annus 1618. mediante *Anno 1618.*

diante Reuerendo admodùm D. Franciſco de Buzegnies ſancti Dionyſij Abbate, ſuumq; Refugium ad tempus commodante. Sed cùm hunc locum nec humanæ nec diuinæ ſortes præſignâſſent, inde tranſmigrârunt in plateam Nimianam an.1621. coniunctas aliquot domos cum interiacentibus hortis adepti.

Dotem poſtmodò adiecit Illuſtriſſima Princeps D. Dorothea de Croy, Ducis Arſchotani relicta; vnde & S. Dorotheæ V. & M. titulo Conuentus hic gloriatur; non ſolùm autem, ſed & nouiſſimo D. Eugeniæ patrocinio.

Temporis autem proceſſu auctum fuit Cœnobium ſplendidis ædificijs, & ambitu, ſi non ſpatioſo, vtique tamen ſpecioſo. Spes eſt de parilis templi erectione, vbi meliora tempora id permiſerint.

Sed & ad huius loci præſidium & ornamentum prædictæ *S. Eugeniæ* corpus Româ delatum fuit à Reuerendiſſimo P. Baltazare d'Auilâ; qui & alia quinque, præuijs miraculis in mari factis glorioſa, in ſuo nuper ad nos reditu adduxit; quorum vnum *S. Antonini*, alterum verò *S. Anaſtaſij* Camberonæ, & Bonæ-Spei Monaſterijs, pro ſuo in vtriuſque loci Abbates affectu, donauit.

Sanctæ

Sanctæ huic Martyrum triadi non minùs honorificè, quàm religiosè obuiàm itum à noſtris Montenſibus an. 1648. vltimâ Dominicâ Auguſti; tribus etiam Reuerendis admodùm Abbatibus inſtitutam proceſſionem Pontificaliter comitantibus.

CAPVT VII.

De Ordine Capucinorum.

FRATER Matthæus Baſci Picenus, Franciſcanus, arctioris paupertatis amore, Capucinorum Ordinem auſpicatus eſt in Marcâ Anconitanâ, ſub Regulâ S. Franciſci confirmatum à Clemente VII. anno 1526.

Ex quo tempore toto terrarum orbe diffuſi, etiam inter hæreticos, maximo ſanè fructu verſantur, eò quòd ad deuios homines reducendos ſæpè plus valeant exempla, quàm verba.

Venerunt autem omnium primi ex Galliâ

Antuer-

Antuerpiam an. 1585. Parmenſis Ducis hortatu; qui (vt erat toti Ordini ſingulariter adfectus) à Sixto V. Pontifice impetrauit, vt dicti Patres inſtitutum ſuum propagarent in Belgio. Idque feliciter & fructuosè peregerunt, vbiuis penè oppidorum Brabantiæ, Flandriæ, Artheſiæ, & Hannoniæ (conſimili de cæteris Prouincijs relicto iudicio) per-humaniter excepti.

Sed his ita præmiſſis, noſtratis Prouinciæ Conuentus in vnum velut faſciculum ſimul colligatos, breui chronico exponamus.

DISTINCTIO VNICA.

Conuentus Capucinorum Hannoniæ.

Anno 1592. ANno 1592. authoritate Reuerendiſſimi D. Ioannis Venduillij Epiſcopi Tornacenſis in eam ciuitatem recepti ſunt, particulari domo & hortis *in Becquereau* ſub parochiâ S. Brictij eorum vſui per ipſum donatis; cùm fundum hunc ſuis ſucceſſoribus antea donâſſet Reuerendiſſimus D. Guilbertus d'Oignies. Biennio pòſt, anno videlicet 1594. 10. Iul. Ludouicus de Berlaymont Archiep. Cameracenſis & ſimul Tornacenſis Epiſcopa-

Digitized by Google

copatus Adminiſtrator, dictorum Patrum Ecceleſiam Deo conſecrauit in honorem B. Marię & S. Franciſci. *Ioannes Couſin in ſuâ Hiſtoriâ ſaculo* 16. *&* *Coluenerius in ſuo Kalendario ad* 10. *Iul.* *Tornaci.*

Anno 1595. dicti Principis Farneſij authoritate, & magni huius vrbis Concilij fauore admiſſi, primam ſedem fixêre in Standonicâ domo à Senatu ipſis datâ; vbi templum ab ijs primitùs conſtructũ, fortuito caſu arſit an. 1604. piorum eleëmoſynis haud diu pòſt reparatum. Sed cùm ibi per viciniæ introſpectum, ædificiorum fragilitatem, & fundi ipſius humiditatem, ſatis incommodè viuerent, acquiſito tandem commodiore fundo, in domo Domini de Berlo ſub Eccleſiâ D. Nicolai retro Carthuſianos, eò ſe loci contulerunt; vbi templum in aſcenſu cum cęteris officinis magnificè & ſpatiosè ad mœnia vſque conſtructum & dedicatum an. 1633. 16. Oct. S. Saluij Monachis antiquas eorum ſedes pro Refugio deinceps habituris. *P. d'Oultreman in ſuâ Hiſtoriâ Parte* 13. *cap.* 12. *Valencenis.*

Anno 1596. Montibus à Senatu & Concilio admiſſi, collocantur in Refugio Marchionis de Terlon, in quo & hodie ſedent orphanotrophio per interluentes *Montibus.*

X aquas

aquas diuiſi, nouoque templo, ac cęteris officinis anno 1622. renouatis donati; ſed & Reuerendiſſimi Patris *Innocentij* totius Ordinis Generalis præſentiâ, per aliquot dies, anno 1648. dignati.

Athi. Anno 1610. collaborante Senatoribus Caſtellano & Gubernatore (excellentiſſimo videlicet D. Carolo de Gaure Comite de Beaurieu) Athi cum totius vrbis lætitiâ excipiuntur, & mox prædictorum munificentiâ Conuentum exſtruunt, de & ſub titulo B. Mariæ Angelorum, partim caſtro, partim mœnibus in angulo fori adſitum.

Malbodij. An. 1611. per Crucis defixionem, ad Malbodienſe oppidum prædeſtinati, bienňio pòſt, authoritate Illuſtriſſimi D. Ioannis Richardot Archiep. Cameracenſis, nobilisque D. Chriſtinæ de Barnaige ibidem Abbatiſſę ſuppetijs, Conuentū inſtruunt, & ſimul Eccleſiam conſtruunt; quæ poſtmodùm an. 1616. 11. Oct. ſub titulo D. Aldegundis dedicata ab Illuſtriſſimo D. Franciſco Vander-Burch.

Angia. Anno 1614. Caroli Ducis Arſchotani munificentiâ, fundo ad ſuperexſtruendū Conuentum donătur haud procul à Carmelitis verſùs Herinæ portam; poſtquàm nimirùm duo treſue hactenùs in caſtro conſe-

Digitized by Google

conſediſſent. Vnde ad perpetuam rei memoriam deſuper anteriore portâ ſic legitur: *Carolus & Anna Principes, Comites Arembergiæ, Duces Arſchotani, Domini Angienſes, Monaſterij huius Fundatores anno* 1616. Quo quidem anno dictus Carolus obijt 18. Ian. ibidem ſubterraneâ cryptâ cum Maioribus, vxore & generatione ſuâ ſub Choro tumulatus, additis cuique plumbeo loculo æreis cœnotaphijs.

An. 1616. R. D. Claudius Carlier Sonegijs ad S. Vincentium Canonicus, fundum Capucinis donauit in plateâ Bruxellenſi ſitum; quem poſtmodò adiacentis horti pomœrio auxit Nob. Domic. Maximiliana d'Ougot vidua D. Cornelij Vanderſtein Baliui Sonegienſis. Eorum templo in honorem S. Michaëlis conſecrato, diuinum officium ab ipſis fieri cœpit an. 1618. in Natalitijs Domini. Ab eo tempore, de Superiorum licentiâ, publicè confeſſiones excipiunt, exedris ab vtraque templi parte diſpoſitis. *Sonegijs.*

CONCLVSIO DE CAPVCINIS.

PRo mantiſsâ adijcio, quòd dicti Patres Capucini iamdiu ſibi Conuentum procurârint in *Bello-Monte*; ſed adhuc res manet in fieri. Propiùs tamen adducta videtur *Condati*; nam Illuſtriſſima Comes de Lalain, pro inueteratâ ſuâ erga eoſdē Patres beneuolētiâ, caſtri ſui reſidentiam ad mortem huc vſque conceſſit, futuri Con-

Digitized by Google

uentus erectionem ſperantibus, & exſpectantibus. Adſpiret Deus ipſorum votis, & aduerſantium ſagittas in earum iaculatores retorqueat; ego interim vlteriùs pergo.

CAPVT VIII.

De Ordine Carmelitarum diſcalceatorum.

SANCTA Tereſa de IESV Abulenſis, Mater Carmelitarum vtriuſque ſexus diſcalceatorum, clara sãguine, libris editis, Ordinis ſui reformationem probari fecit à Pio IV. anno 1565.

Cùm enim dictum Ordinem Elias & Eliſeus Prophetæ in monte Carmelo primùm inchoâſſet anno ante Chriſti ortum circiter 930. & Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus Ordinis eiuſdem regulam temperâſſet an. 1171. ſancta demum Tereſia virgo Hiſpana ad primæuum vigorem ſuâ ætate reuocauit, eo quidem progreſſu, vt primam illam normam ſi nõ ſuperârit, certè æquârit; & ad ſui imitationẽ duos primùm Patres, atque alios deinde innumera-

merabiles pertraxerit, in quibus agmen ducat B. Ioannes à Cruce, reſtitutæ obſeruantiæ mirificus apud ſuos Iberos propagator.

Tractu deinde temporis antedicta Reformatio multos vtriuſque ſexus homines vitæ ſanctitate conſpicuos orbi dedit. Et vt longè à nobis remota præteream, ducem ſuam S. Tereſiam æmulata eſt Vener. Anna de Ieſu, *quæ (vt erat ex primis eius Sociabus) an.* 1606. *in Belgium euocata, principium dedit omnibus pene in Brabantiâ Monaſterijs, anno demum* 1621. *Bruxellis defuncta.*

Quòd iam pertinet ad cætera Belgij virilia Monaſteria, ſunt ea non pauca, videlicet Bruxellenſe, Louanienſe, Antuerpienſe, Duacenſe, Inſulenſe, Leodienſe, Marlanienſe prope Namurcum, Montenſe, & fortè alia; quibus ex profeſſo ſepoſitis, nouiſſimi Conuentus noſtri inſtitutionem breuiter ſubijcio.

DISTINCTIO VNICA.

Conuentus S. Alberti Montibus.

CVm Carmelitanæ à veteri Freziniâ domo digreſſæ nouum Cœnobium in plateâ *de la Tillerie* inijſſent an. 1630. nō diu pòſt duo treſue Carmelitæ ſubmiſſi ſunt, qui ipſas (longiuſculè tamen ab ijs ſupra forum animalium reſidentes) in ſa- *Anno 1646.*

 cris

cris munijs iuuarent, ſuamque admiſſionē pedetentim, etiam per hæc belli tempora, procurarent.

Tandem verò admiſſi, alteram reſidentiam ſecùs inſtituti ſui Moniales, muris à ſe inuicem diſtincti, peregerunt vſque ad finem anni 1647. quo Haurei Refugium, iuxta Nigras ſorores conſtitutum, ab eis coëmptum, & inhabitari cœptum an. 1648. in Martio; primo Sacro in die S. Ioſeph ibidem ab ipſis celebrato.

Nec diu pôſt iuſtæ capacitatis ſacellum ad publicos vſus exſtruere cœperunt, in quo diuinis fungi cœptum ipſo die Aſſumptionis Deiparæ, S. Foillani Prælato rem ſacram ad aras, coram Magiſtratu, ſolemniter faciente.

Ab eo tempore creſcit in dies candidata S. Mariæ propago; eiuſdem Diuæ cultus per *eius ſtatuam Foyenſem* incaleſcit, & *S. Rochi patrocinium* per eius Reliquias omnibus innoteſcit.

EPILOGVS DE CARMELITIS.

CLaudo hanc Montenſis Carmeli monadem in ſpe; rumor eſt enim, quòd alterum Valencenis Conuentum habituri ſint Carmelitæ. Aſpiret Deus piarum mentium hanc in rem conatui.

LIBER

Digitized by Google

LIBER VI.

Virginalia IV. Ordinum Mendicantium Cœnobia.

PRÆFATIO.

ORdinum Mendicantium Religioſas ſextus hic liber colliget & colligabit, nec-non ſingularum Conuentus eo diſponet ordine, quo ſupra. Quemadmodum verò SS. Auguſtinus, Dominicus, & Franciſcus Regulam viris præſcripſerunt, ita & eorum ſinguli virginibus; quæ, ad inſtar virorum, ſunt etiam de Mendicantium Ordinibus, & eorum priuilegijs gaudent.

Sed & ijſdem Mendicantium cœtibus velut annexæ ſubalternantur *Recollectinæ*, *Capucinæ*, & *Pœnitentes*; *Annunciatæ*, & *Carmelitanæ Diſcalceatæ*, de quarum nouellis apud nos Monaſterijs ſummatim ſcribam hoc libro, præmiſſis tamen Conuentibus Dominicanarum, Clariſſarum, Tertiariarum, & Auguſtinianarum, eò quòd temporis antiquitate priora ſint.

Quia autem S. Dominici Ordo omnium Mendicantium prior cenſeatur, ab eius Monialium Cœnobijs ordiri viſum.

Digitized by Google

CAPVT I.

De Monialibus Ord. S. Dominici.

LEgitur in vitâ S. Dominici, quòd Ordinem ſuum ab Innocentio III. adprobari petierit, & obtinuerit; quo ritè adprobato, & per Honorium III. ſub Regulâ D. Auguſtini confirmato, duo Romæ inſtituit Monaſteria, virorum & virginum.

Sed & dicti Honorij iuſſu plura paſſim virginum Gymnaſia formauit, & reformauit, ex quibus ſanctæ Virgines prodierunt; quales in ijs S. Catharina Senenſis, S. Agnes, S. Margarita, & aliæ; quarum veſtigia ſubſecutæ, ſi nō aſſecutæ, B. Brigitta apud Hollandos, B. Margarita Iprenſis, & altera Margarita Audergemij, pro vt aliæ alibi; quamuis tamen virginum Cœnobia non æquè ac virorum frequentia ſint in Belgio, vt plerique ex curioſis nôrunt.

Ad me quòd pertinet, duodecim ſolùm agnoſco, videlicet Antuerpienſe, Tamiſienſe, & Audegermienſe prope Bruxellam; Brugenſe, Tuſſen-

Tuſſenbekanum, Inſulenſe, & Duacenſe in Flādriâ; Ruremundanum in Gueldriâ; Atrebatenſe, & Audomarenſe in Artheſiâ; Valencenenſe, & Tornacēſe in Hannoniâ. Brabanti, Flādri, & alij ſua deſcribant, ego poſteriora duo, ex inſtituti mei ratione, paucis complectar.

DISTINCTIO I.

Bellus-Mons B. Mariæ Valencenis.

FAllitur compilator tabularum Hannoniæ, dum virginalibus eiuſdē Prouinciæ Abbatijs hoc inſerit Monaſterium; non enim eſt Abbatia, ſed Prioratus, qui ortum & dotem ſuam debet illuſtri admodùm Dominę Beatrici Lutcemburgicæ, de quâ natus eſt Henricus Imperator VII. *Anno 1310.*

Cùm enim dicta Beatrix hæreditario iure id domicilium (vulgò de *Beaumont* dictum) vſque ad ſua tempora tenuiſſet, & in eo dictum Imperatorem genuiſſet in vigiliâ Aſſumptionis Deiparæ, proprium palatium (mira pietas! & hoc æuum, vereor, exempla non donet) S. Dominici ſororibus Inſulâ euocatis tranſcripſit.

Extat diploma prætacti Imperatoris eā matris donationem adprobātis, certamq; dotem

dotem quotannis recipiendam aſſignantis, quod ſub eo tenore incipit: *Henricus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, vniuerſis S. R. Imperij fidelibus &c.* Narratur infra, quòd ob remedium animæ ſuæ, ac progenitorum ſuorum, quidquid iure habebat, vel habere poterat in dictâ matris ſuæ manſione, eiuſque pertinentijs ſeu propriſiâ, conceſſerit & ceſſerit ad hoc, vt in eâ (in quâ natiuitatis originem ſumpſerat) ſuo, dictæque matris ſuæ nomine, Monaſterium ſororum Ordinis Prędicatorum fundaretur, aſſignatâ certi redditus dote ſuper ſyluas de Raiſmes & Vicoigne.

Alia notatu digna ſecundis curis aſſeruo, ne longior ſim.

DISTINCTIO II.

Conuentus Dominicanarum Tornaci.

Anno 1628. PRimarum huius loci virginum colonia Inſulis ex Abbatiolâ, vt vocant, producta, Tornacum venit an. 1628. ipſo die S. Thomæ Didymi, ex quo per biennium ſedit in vico ſeu plateâ *Roger*.

Anno autem 1630. inde tranſmigrauit, comparato ſibi domicilio cis & prope Schaldim; vbi & iam ſacer virginũ cœtus

tus diuinis fungitur ſub vnius ſæcularis Presbyteri inſpectione. Earum pręcipua benefactrix fuit domicella quædam, cognomento *du Boſquel*; quæ ad fundamenta nouo huic Conuentui ſubterponenda, octo millia florenorum donauit; futura & ipſa ex earum cœtu, nî mors ratam & acceptabilem eius intentionẽ pręſcidiſſet.

CAPVT II.

De Ordine Clariſſarum.

SANCTA Clara virgo nobilis, pauperum Dominarum Ordinem authore S. Franciſco ciue ſuo anno 1212. inchoauit, & paupertatis priuilegium ab Innocentio III. impetrauit. Moritur anno 1253.

Porrò dictarum Dominarum aliæ dicuntur Damianiſticæ ſeu pauperes, aliæ verò Vrbaniſticæ ſeu diuites. Priores quidem ſic vocantur à pri-

Digitized by Google

à primo Conuentu diuæ Claræ, qui S. Damiano ſacer eſt, in ſummo diſciplinæ, ac paupertatis rigore perſtantes; è contra Vrbaniſticæ dicuntur, quia mitigationem ab Vrbano Papa factam admiſerint.

Vtriuſque autem generis plura in Belgio Monaſteria extant; imò ſæpè in vnâ vrbe bina videre eſt; notanter Bruxellæ, Inſulis, Gandaui, vt alia Brabantiæ, & Flandriæ oppida non recenſeam. Verumtamen nonniſi vna huius inſtituti Parthenone in Hannoniâ reperitur, videlicet Montibus, de quâ breuiter habe, quod ſequitur.

DISTINCTIO VNICA.

Conuentus S. Crucis Montibus.

Anno 1581. FVga & perſecutio initium huic Conuentui dedit, cùm enim primę ſorores numero LX. Delphis Batauorum per eclipſim fidei anno 1573. expulſæ, Antuerpiam & Mechliniam deueniſſent ad inhabitandum; & inde iterum exulare cogerentur, tandem ab ipſis refugium Montibus quæſitum, ijſque datum anno 1581. interueniente Pamelio Priuati Concilij Præſide, ad id per vxorem potenter inci-

Digitized by Google

incitato; nec diu poſt extemporali reſidentiâ apud pauperes Beguinagij Sorores, de licentiâ nobilis Capituli S. Waldetrudis, ipſis deſignatâ, ſub ſpe amplioris fundi poſthac impetrandi.

Nec fefellit exitus; nam quinquiennio pòſt, ad inſtantiam Ven. P. *Iacobi de Langaigne* ſpiritualis earum Directoris, Illuſtriſſimus D. Ludouicus de Berlaymont S. Crucis Conuentum à Bogardis quondàm inhabitatum, ſororibus his deinceps incolendum adſignauit, poſtquàm ibi ab an. 1580. vſque ad 1586. Cœnobio ſuo per hoſtes expulſi, conſediſſent Abbas, & Conuentus S. Adriani Gerardi-Montenſis in Flandriâ.

Igitur relicto Beguinagio ad hunc locum ſeſe tranſtulerunt 25. Nou. prędicto an. 1586. Quoue tutiùs & irreuocabiliter deinceps hîc habitarent, prętactus ipſarum Pater an. 1587. Romam ſe contulit ad Sixtum V. Ordinis ſui Pontificem; à quo benignè auditus, habitationem iſtam cum omnibus eius bonis & attinentijs in perpetuùm obtinuit, relato deſuper ipſius Sixti diplomate; nec diu pòſt ſubſecuto Regij conſenſus decreto, Bruxellæ dato 18. Sept. eodem anno, quo ſupra.

Operæ-

Operæ-pretium hîc foret Matrum Abbatiſſarum ſeriem, velut & dicti Pontificis Bullam edere; ſed ne longior ſim, omitto, ſecundis interim curis, ſi nobis exſcribenda detur, publicandam.

Cæterùm Claranæ iſtæ Moniales, procurante dicto Archiepiſcopo (qui & in ipſas per-beneficus fuit) ſub Flandrici Prouincialis regimine conſtitutæ fuerunt, & hodie ſunt, cùm antea Brabantiæ Prouinciali ſubiacerent.

CAPVT III.

De inſtituto Sororum Tertiæ Regulæ S. Franciſci.

TErtius Ordo S. Franciſci magni nominis & numeri eſt; ſicut enim in cœlum tendentibus via pœnitentiæ omnibus eſt communis, ita & hîc Pœnitentiũ Ordo Clericos & laicos, virgines & coniugatos in vtroque ſexu admittit. Nec tantùm vtriuſque ſexus laicos domi ſuæ iuxta præſcriptum

tertiæ

tertiæ Regulæ viuentes, ſed & Religioſos ac Religioſas Euangelicis conſilijs adſtrictas, quæ (licèt earum quædam nigro, quædam velut albo, & quædam griſeo vtantur habitu) vnius tamen eiuſdemq́; Regulæ cenſeri debent.

Et quoniam deinceps agendum de virginibus, ac virginalibus Cœnobijs, præmoneo (ne cui mirum videatur) longè plura eſſe virginum huius inſtituti apud Belgas Cœnobia, quàm virorum; totq́; ferè eſſe, quot oppida ſunt; immò verò permulta extra vrbes in medijs campis & pagis exiſtere.

Equidem quòd ad Hannoniam pertinet, in ea quatuordecim oppidani ſunt, ſeptem verò foranei Conuentus, de quibus conſequenter inferiùs agam, ſed non plenè & clarè ad lubitum meum. Quia non obſtante profectione, etiam bis ſumptibus meis factâ, ad quoſdam Conuentus, nihil ſolidi & certi ab eorum Matribus & Senioribus habere potuerim, ſuſpectam diſquiſitionem habentibus, & varia, præter inſtituti mei allegationem, opinantibus. Sed quid? indiſcretæ ſunt feminæ, patientiam in ipſis habui; & tu, amice Lector, patientiam habebis in me, ſi de ſubiectis Tertiæ huius Regulæ, & ſororum Diui Auguſtini Conuentibus non ſatis clarè & exactè ſcripſero.

Faciam interim pro poſſe meo, & in ſingulorum deſcriptione antiquitatis ordinem, prout hactenus, ſequi conabor. Quia verò maioris æſtimationis ac potentiæ ſint oppida, ab oppidanis Conuentibus exordium deſumam.

TER-

Digitized by Google

TERTIARIÆ OPPIDANÆ.

DISTINCTIO I.

Conuentus Cheruienſis.

Anno 1435. QVàm glorioſa de te dici debent, ô Cheruia, quæ primū huius inſtituti Tertiarij Conuentum apud Parochialem Eccleſiam tuo ſinu complecteris!

Inſtituit & fundauit nobilis Domicella Quintina de Iauche, filia illuſtris viri Ioannis de Iauche Domini de Maſtain; cui ea facultas à quodam Nuncio Apoſtolico data per literas eo tenore incipientes: *Nicolaus Dei miſericordiâ tituli S. Crucis in Hieruſalem Presbyter Cardinalis, regni Franciæ, & in adiacentibus partibus Legatus Apoſtolicus, dilectæ nobis in Chriſto Quintinæ de Maſtain &c.* In fine ſic ſcriptum habetur: *Datum Atrebati anno* 1435. *menſis Septembris die decimâ quartâ.*

Præcitatas literas in pergameno ſcriptas nobis exhibuit huius loci Sacellanus, prout alteras, quæ propriæ domus exhæredationem à dictâ Quintinâ factam Gallicè continent.

DISTIN-

DISTINCTIO II.

Aueſnenſis S. Ludouici.

COnuentus hic adiuncto S. Eliſabeth Hoſpitali celebris, Bello-Montani mater eſt, Quercetenſis autem auia, quia ex ſuo gremio productas vtriuſque loci Moniales emiſerit. Verùm quo præcisè anno, & à quo fundatus fuerit, ſcire non potui. *Anno 1450.*

Tradita per manus fides habet, immo in ſcriptis reperitur, fuiſſe hîc olim Xenodochium S. Eliſabeth, à 500. iam annis plus minùs; idq; pro infirmorum curâ à deuotis aliquot puellis (*filiæ Dei* tunc vocabantur) eouſque fuiſſe habitatum, donec earum aliquæ, ſummi Pontificis indultu, ad Tertium hunc Ordinem receptæ, aliquot eius inſtituti ſodales Brugeleto euocârunt, quarum prima mater extiterit ſoror *Ioanna Penart.*

Sed quando id factum ſit, non liquet; opinor interim, quòd circa an. 1450. quia antiquiores eſſe perhibeantur Minoritis anno 1460. hîc receptis: Licèt earumdem Eccleſiola S. Ludouici titulo poſtmodùm tranſnominata ad inſtantiam

Illuſtriſſimæ feminæ Dom. Ludouicæ Albret, anno demûm 1505. 22. Sept. dedicata fuerit à Reuerendiſſimo D. Ioanne Briſelot; & an. dehinc 1547. clauſtrum & cœmiterium à Reuerendiſſimo D. Martino Cupero. *Hæc mecum ex loci memorijs communicauit conſultiſſimus D. Ioannes DeſQueſne I. V. Lic. & Supremæ Curiæ Montenſis Aduocatus.*

DISTINCTIO III.

Valencenenſis.

Anno 1463. HVius ante-Mariani Conuentus virgines an. 1463. circa Pentecoſten Valencenas ingreſſę ſunt, moxque domicilio ad portam S. Mariæ-Maioris donatæ, & ſimul dotatæ à nobili feminâ *Mariâ le Bonne*, Eccleſiam cum alijs officinis conſtruere cœperunt an. 1465 dicatam, dictęque Fundatricis ſepulturâ donatam an. 1471.

Temporis autem proceſſu in fundationis partem acceſſit Domic. *Ioãna de Melle*; cuius impenſis adiunctum primæ Eccleſiæ capacius ſacellum, quod hodie pro Choro ſeruit, ab an. 1518.

Ab eo tempore per centum & duodecim

cim annos optimè de inſtituto ſuo audierunt; nihilominùs perfectioris æui nuper cupidæ perpetuam clauſuram acceptàrunt an. 1630. præeunte ſorore Margaritâ d'Outreman ſupremâ tunc earum Matre. *Ita d'Outreman in ſuâ Hiſtoriâ Parte 3. Cap. 13.*

DISTINCTIO IV.

Montenſis S. Ioannis Euangeliſtæ.

QVidam Magiſter Ioannes Taye Sacerdos, pro exceptione ac fomento quinque vetularum & pauperum feminarum, Xenodochium Montibus ſtruxerat & dotârat anno 1300. eiuſdem curâ & directione Senatui poſtmodò concreditâ. Sed, cùm ex primâ inſtitutione laici ægris miniſtrarent, ſatiùs viſum fuit Religioſas ſubſtituere. *Anno 1470.*

Igitur Tertiariç ſorores Wisbekâ ſecùs Brugeletum euocatæ, quibus id loci à Magiſtratu tranſcriptum & perpetuò donatum fuit an. 1470. cũ omnibus prouentibus; iniuncto tamen onere curationis infirmorum tam domi, quàm in vrbe; Vnde, cùm iamdiu conceptam, & à Superioribus prçceptam reformationem ac

clauſuram an. 1648. ipſo die Annuntiatæ Deiparæ ſuſcepiſſent, per id onus à Senatoribus prohibitæ ſunt, decretali fundationis lege obſtante.

Nihilominùs ab eo tempore arctiùs viuunt, certæ reclusionis ſpeciem ſeruãtes; quâ tamen haud obſtante, moribus antiquis ſub eodem tecto Hoſpitali deſeruiunt, in eo quidem Marthæ officium exercentes, Magdalenæ verò in adſitâ Eccleſiâ, an. 1489. per Godefridum Epiſcop. Daynenſem, ſanctis Ioanni, Franciſco, & Eliſabethæ dicatâ.

DISTINCTIO V.

Leßinenſis, deſijt.

Anno 1470. COenobium id deterioris Ordinis & conditionis olim fuit, vt-potè à Beguinis inhabitatum; quod, cùm inteſtinis Flandrorum contra Hannones bellis intercidiſſet, anno tandem 1470. S. Franciſci ſororibus à Senatu tranſcriptum fuiſſe legitur. Nunc tamen dictæ ſorores deſierunt ab an. 1530. S. Auguſtini Monialibus (quas ab habitu *Nigras* vocare ſolent) in earum locum ſurrogatis, vt infra pertinenter repetam.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO VI.

Belli-Montenſis S. Nicolai.

PRima huius Conuentus Mater extitit ſoror Eliſabeth Godefroid, quæ poſt viginti annorum regimen humanis exceſſit an. 1496. Quo ita ſe habente, hęc ipſa Congregatio incœpta fuerit an. 1476. aut circiter. *Anno 1476.*

Non habui firmiorem eâ de re ſermonem in loco ipſo. Interim vlteriùs didici, quòd antiquum huius oppidi Noſocomium (vulgò ſancti Nicolai dicebatur) Franciſcanis ſororibus donatum fuerit, earum primis Aueſnâ euocatis, quæ cæteris religioſæ vitæ exemplum forent.

Audiui inſuper, quòd Conuentus iſte duos alios de ſe genuerit, videlicet Foſſēſem in Patriâ Leodienſi, & Quercetanum, de quo infra ſuo ordine & loco.

DISTINCTIO VII.

Malbodienſis SS. Franciſci, & Claræ.

MAria de Grauelinge à lege viri ipſo die nuptiarum ſoluta, iuſtè & reli- *Anno 1484.*

religioſè de ſalute ſuâ cogitans, nil priùs in votis habuit, quàm ſe Deo conſecrare, ſibique facere amicos de Mammonâ iniquatis. Quare (vt erat pecuniarum abundans) mox fundum emit ſecùs Sambram in plateâ vulgò *de la Peſcherie* dictâ, & Cœnobium S. Franciſci ſororibus in eo conſtruxit.

Huius autem fundi admortizatio mox ſecuta eſt an. 1484. fauore Maximiliani & Philippi eiuſdem filij, Belgicæ tunc Principum, pro vt conſtat ex vtriuſque literis Gallico tenore ſic incipientibus: *Maxilien & Philippe pere & fils, Princes du Pays-Bas &c.* Mechliniæ datis anno, quo ſupra, menſe Ianuario.

Altero pòſt anno Reuerẽdiſſim' D. Henricus à Bergis Ep. Cameracenſis earũdem admiſſioni conſenſit, pro vt teſtantur eius literæ Cameraci datæ an. 1485. Iunij nonâ. Sed & earumdem Eccleſiam cum adiuncto cœmiterio in honorem SS. Franciſci & Claræ dedicauit; nec-non altare B. Mariæ infra eandem Eccleſiam, eâ de re fidem mihi facientibus eius literis, an. 1494. Martij 13. datis, & à me lectis.

Cæterùm prædicta Maria fundatrix, primis ſororibus Valencenâ in exemplũ euocatis, ſuprema fuit Mater, & præfuit ad

ad an. 1520. quo obijt; & vſque hodie iacet in loco deſolatæ, & nuper à Francis combuſtæ Eccleſiæ, ante Chori altare ſub ſemirotundâ petrâ, cum Gallicâ circumſcriptione.

DISTINCTIO VIII.

Sonegienſis.

ERat olim in ſuburbano ad portam Montenſem *Hoſpitale S. Iacobi*, curandis infirmis tam indigenis, quàm exteris dotatum: quod anno tandem 1498. (amotis inde Beguinis tunc Infirmariam curantibus) donatum fuit tertię Regulæ Sororibus; quarum ſex primariæ Niuellis, Montibus, & Brugeleto ad cæterarum inſtructionem accitæ ſunt. *Anno 1498.*

Cùm autem non haberent, vnde neceſſarias vſui ſuo officinas ædificarent, cuiuſdam ciuis Montenſis partim conceſſâ pecuniâ, partim donatis lignis notanter adiutę, eaſdem paulatim erexerunt; ex quo tempore ad Hoſpitalitatis leges etiamnum tenentur.

DISTINCTIO IX.

Angienſis olim S. Stephani.

Anno 1501.

CONuentus hic vulgò *Nazareth* dictus, originem ſuam debet tribus germanis ſororibus Audomarenſibus; quarum effigies ante nuperam reformationem publicitùs ibi videre erat. Sed quâ, & quando id factum ab illis ſit, nuſquam ſcribit *D. Petrus Colins in ſuâ Hiſtoriâ Angienſi* à nobis eo fine perlectâ.

Quapropter his minimè contentus locum adiui, & à Matre audiui tres ipſas ſorores cognomine *Petipas*, huc veniſſe an. 1501. primumque Oratorij ſui lapidem, D. Stephano poſtea conſecrandi, 12. Martij eiuſdem anni poſuiſſe.

Nouiſſimè autem perpetua clauſura fuit hìc aſſumpta an. 1636. iuxta Regulam Monialium Ord. Conceptionis B. Mariæ per Beatricem à Siluâ apud Hiſpanos incœpti an. 1484. datâ in 1. matrem Abbatiſſam ſorore *Ioannâ de la Croix*.

Eſt autem Conuentus hic dicti inſtituti primus in Belgio; licèt Bethunienſes idipſum amplecti prçuenerint, ſed ab ipſis modò derelictum, vt audio, Perſeue-

rant

rant interim noſtræ Angienſes, & ex prędicti Ordinis inſtituto, vtuntur hodie tunicâ & ſcapulari albis, nec-non cæruleâ chlamyde.

DISTINCTIO X.

Bauacenſis S. Annæ.

TRes ſorores Regulæ tertiæ de longinquo Conuentu venientes (*Ordenam* dictum fuiſſe legi; ſed quis ille ſit, & vbi cœperit, neſcio) Valencenas ad nobilem Domic. Florentiam de Kievraing venerunt, vt præconcepti à ſe Conuentus fundum Parochialis Eccleſiæ cœmiterio adſitum peterent; quarum fidelibus deſiderijs mox ſatisfactum, eadem Domicellâ in earum vſum, & vſum-fructum, proprio fundo ſeſe exhæredante anno 1507. 6. Octobris. *Anno 1508.*

Sequente autem anno à Magiſtratu exceptas fuiſſe lego, ſubſecutâ dicti earum fundi admortizatione per Carolum V. an. demum 1515. quâ de re literas Regio ſigillo munitas aſſeruant.

Dictus earum Conuentus à Francis in ignem redactus fuit an. 1554. poſtmodò tamen reparatus emendicatâ ab ipſis ſtipe per vrbes & pagos.

Digitized by Google

DISTINCTIO XI.

Quercetenſis SS. Magdalenæ, & Eliſabeth.

Anno 1514. HVius oppidi Tertiariæ Recollectis à tergo adhærent, plateâ vulgò Beguinarum dictâ, diuiſæ. Primæ autem ſorores, vt nouellæ domui neceſſaria religionis fundamenta ſubſternerent, Belli-Montio venerunt ſub an. 1514. quo Beguinagij fundus ijſdem aſſignatus & datus; eâ quidem lege, vt hoſpitalitatem exercerent circa ægros, antea dictarum Beguinarum curæ ſubditos.

Suâ ipſæ induſtriâ paulatim ſurgentes, de Beguinagio eximium ſatis (vt modò viſitur) Conuentum inſtaurârunt, ſubſecutâ poſtmodò nouæ Eccleſię fabricâ; quę an. demum 1602. D. Virgini, nec-non SS. Franciſco, Magdalenæ, & Eliſabeth cōſecrata fuit ab Illuſtriſſimo D. Guilielmo à Bergis Archiep. Cameracenſi; ita me docuit penſilis in Choro tabula ante Ciborium.

DISTIN-

DISTINCTIO XII.

Condatenſis S. Guillielmi Epiſc.

VNde, quo etiam præciſè anno huic Conuentui primitiæ fuerint, coram Matre interrogans, ſcire non potui. Poſtmodò tamen aliunde didici præcedere annum 1528. quo inde aliquot ſorores Braniam-Comitis à Senatu euocatæ. *Anno 1520. plus minùs.*

Vlteriùs addo, has ipſas ſorores (earum primæ Flobecâ conueniſſe perhibentur) teneri ad infirmorum curam, quam hodieque exercent in collaterali Eccleſiæ ſuæ Infirmariâ, ponti ſuper Schaldim adſitâ. Nec prætereundum dictam earum Eccleſiam, vt nunc eſt, ſacris initiatam fuiſſe an. 1555. teſte breuiculo ad aram ſurſum deſcripto.

DISTINCTIO XIII.

Branienſis S. Nicolai.

FVerunt in eo primitùs Beguinæ, Hoſpitalis S. Nicolai ad Niuellę portam Rectrices; quibus tandem ſuffectæ Tertiariæ quoad loci beneficium & onera, è *Anno 1528.*

præmiſ-

Digitized by Google

præmiſſo Condatenſi Cœnobio per huius oppidi Caſtellanum & Senatores an. 1528. euocatæ, pro vt fidem faciunt dicti Caſtellani literę 15. Martij, anno prætacto datæ, & ita Gallico idiomate incipientes; *A tous ceux, qui ſes lettres voyront, &c.*

Ab eâ vocatione, ſuâ ipſæ induſtriâ ſurrexerunt, & curâ ægris tam domi quàm vicatim impensâ, rem ſuam promouêre, integro penè ſæculo ad ſuæ Regulæ præſcriptum laudabiliter viuentes.

Sed meliora deinceps chariſmata ęmulari cupientes, an. tandem 1626. Limburgicam reformationem concordibus animis inierunt, tranſlato à ſe in vicinum locum Hoſpitali, cui duas è ſuis, ad curandos ægros, præficiunt.

DISTINCTIO XIV.

Hallenſis.

Anno 1556. FAma tenet, & ei adſentitur *Vuichmannus Brabantiæ ſuæ Marianæ Lib. 3. Cap. 36.* primitùs in hoc loco fuiſſe Hoſpitalarias Ord. S. Auguſtini, velut in proximo Lembecæ municipio; ſed quo ſæculo (ne dicam anno) & à quo fundatæ fuerint, nuſquam legi. Immò verò diu ſcire non potui, quando ipſis ſubſtitutæ Tertiariæ,

licèt

Digitized by Google

licèt eiuſdem loci Matrem bis terue ſe nihil ſcire dicentem (quæ huius diei peruicacia eſt) deſuper conſuluerim.

Tandem verò opportunè nobis contigit adiutorium ex parte R. P. Ioannis Van-Zype Cognati noſtri, Minoritæ in Bootendaliâ, ac Foreſtenſium diui Benedicti Monialiũ pro hoc tempore Directoris, qui à me conſultus de pręmiſſo Conuentu, taliter per literas reſpondit.

Sorores Griſeæ Hallenſes tertiæ Regulæ S. Franciſci, gaudentes omnibus priuilegijs Ordinis Minorum, Hallas venerunt ex oppido Gerardi-Montenſi, ad inſtantiam Magiſtratus Hallenſis, an. 1556. 2. die Oct.

Anno autem 1608. 3 Sept. ſub Reuerendo admodùm Patre Henrico Sedulio Brabantiæ Prouinciali, ex ſubiectione Prouinciæ Flandriæ, deuenerunt in ſubiectionem Prouinciæ Germaniæ Inferioris, ſeu, vt nunc vocant, Brabantiæ.

Hactenus de Oppidanis Conuentibus, iam ad Rurales tranſeundum.

TERTIA-

TERTIARIÆ RVRALES.

DISTINCTIO I.

Conuentus Brugeletenſis.

Anno 1435. PRimum ruralem Conuentum Brugeleti conſtituo, quia antiquus dierum ſit, & plurium filiarum mater. Matris fœcunditatem connotant plures virginum coloniæ, ad pleroſque Hannoniæ Conuentus hinc traductæ. Antiquitatem verò ſignant duo & ampliùs ſęcula, nam an. 1435. fuiſſe fnndatum ſcribit noſter Annaliſta, licèt præciſum annum hucvſque neſcire potuerim à Matre noſtrâ; quę cùm à me deſuper conſulta, nihil aliud exhibuerit, quàm Fundatricis epitaphium, eodem à me Latinè reddito contentus erit Lector. Idipſum ſic habet in muro ad ſacelli earum introitum.

Domicella Quintina de Iauche dicta de Maſtain, filia illuſtris viri Ioannis de Iauche Domini de Maſtain, & Dominæ Eliſabeth de Rochefort eiuſdem vxoris & hæredis de Herimes, fundauit de ſuo patrimonio quatuor religioſas Domos; videlicet Conuentus FF. Minorum Athi & Aueſnæ; nec-non Sororum Cheruiæ, & huius

huius loci. Permanſit hæc virgo, labore manuum ſuarum vitam tolerans. Prædictus eius pater ſepultus fuit in monte Sinai; & habuit fratrem D. Andream de Iauche auum illuſtris viri Antonij de Iauche Domini de Maſtain hodie ſuperſtitis; qui ob prædictæ Quintinæ virtutem, hoc epitaphium poni curauit, anno 1530.

Sed quis inde præciſum fundationis annum colligat? nemo; proinde cùm Dauus ſim, non Oedipus, augurijs ſuperſedeo, certiora & ampliora ſecundis curis daturus.

DISTINCTIO II.

Flobecenſis B. Mariæ.

PErmodico huic Conuentui initium dederunt duo Minoritæ Audomarenſes; qui cùm Flobecam tranſirent iter facientes ad S. Adrianum, factâ tantiſper remorâ, fuſiſque precibus ante Deiparæ ſtatuam publico cultui expoſitam, locum hunc conſtruendo deinceps Ordinis ſui Sororum Monaſterio peraptum iudicârunt. *Anno* 1500. *plus minus.*

Quid multis? ad ſua reuerſi rem denarrant; nec diu pòſt aliquot ſorores

tranſ-

tranſmittunt : Quæ cùm eò loci veniſſent, fundum à Rege depoſcunt, quia vt publicus & obuius, Regij iuris erat, moxque eius admortizationem obtinent.

Verùm, quo id anno euenerit, ſcire nõ potui, bis ad hoc eò loci profectus; didici nihilominùs à *R. D. Guilielmo le Maire* ibidem Paſtore, prædictæ admortizationis literas in Scabinorum archiuio ſeruari; ex quibus, ſine dubio totius rei ſubſtantia cum annò elici poſſet.

Earum verò lecturâ cum tempore ſperans obiter hîc ſubijciendum duxi, quòd Conuentus hic Orchiacenſem, & Fraxinenſem genuerit, ſed quo anno? rurſum dicere cogor, neſcio. Scio interim & recordor ibi me aduertiſſe in Refectorij vitris anni 1553. Datam; ſed antiquiores ſe faciunt, & putant ſe extare à centum & quinquaginta annis. Vtinam probent, & ſimul indicent pro alterâ editione.

DISTINCTIO *III.*

Fraxinenſis B. Mariæ.

MAtri ſubnectenda eſt filia, Flobecano nempe Conuentui Fraxinenſis, haud longè à Parochiali Eccleſiâ in valle po-

le poſitus, & fundari cœptus anno .... à quodam Ioanne de Marſeni, exiguam terræ portionem Hoſpitali B. Mariæ adſitam donante.

Ex quo etiamnum loci Patrona habetur diua Virgo, pro vt ſignatè conſtat ex Breui quodam pergameneo à me ibi lecto; in quo diſertè ſcribitur huius loci ſacellum cum altari Deiparæ conſecratum fuiſſe anno 1538. 16. Maij per Reuerendiſſimum D. Hugonem de Capellâ Epiſcopum Calchedonenſem.

DISTINCTIO IV.

Berlay-Montanus.

HOſpitalarijs huius loci Veſtalibus initium dedit illuſtris & præpotens D. Ludouicus de Rolin Aimeriæ Dynaſtes; anno enim 1507. collectis in hoc loco duodecim ſororibus, totidem modia frumẽti ex molendino S. Albini recipienda donauit; eâ lege poſitâ, vt & ipſi in ſuis morbis adeſſe, & ſui iuris incolas Aimerienſes curare tenerentur. *Anno* 1507.

Acceſſit in partem illuſtris Domina Anna de Rolin vnica dicti Fundatoris filia; quæ, ad ſuorum prædeceſſorum, ac

duorum maritorum memoriam, illuſtré marmor ibidẽ appoſuit ipſius ſacelli muris implexum, ex quo præmiſſa carptim hauſimus. Obijt autem prætactus fundator an. 1569. 25. Aug. corpus eius Valencenis quieſcit ad S. Ioannem; cor autem in Eccleſiâ B. Mariæ de Quart prope Aimeriam addito inſigni epitaphio.

DISTINCTIO V.

Hautragienſis.

Anno 1507. HAutragia tertio à Montibus lapide diſtat, vel ſolâ Francorũ cæde (quę an.1572. per noſtros ibi euenit) notiſſima. In eo municipio ſecùs Eccleſiam parochialem in montis aſcenſu degunt Tertiariæ, quæ initia ſua referunt ad Dominum Ioannem Hanot Montanum ciuem ac Baliuum de Ville, eiuſdem iuris fundo per eum accepto.

Vnde Superiorum iuſſu primarum virginũ colonia Brugeleto huc traducta fuit an.1507. quę regimẽ, & exẽplum nouellis deinceps forent, vt habet loci manuſcriptum, quod breuiter & in primis dumtaxat lineis legendum exhibuerunt; ſed inuitæ, & multâ inſtantiâ à me velut coactæ.

Quo

Digitized by Google

Quo interim fine hîc & alibi cuiuſque loci antiquitates multo labore & ſumptu petierim? Deus ſcit, non turpis lucri gratiâ, vt quidam opinantur; neque ad earum deceptionem, vt ineptè ſuſpicabantur. Proinde ſolo fundatoris nomine, & fundationis anno contentus, ampliore ſcripto & hîc & ſecũdis curis indignas iudico.

DISTINCTIO VI.

Solri-Caſtrenſis.

AD ingreſſum celebris huius municipij, quod à Lætiâ vno miliari diſtat, reſidentiam habent Tertiarię, an. 1523. fundatę & dotatę per huius terrę Comitum anteceſſores, velut teſtatur eius loci manuſciptum his verbis, ſic à me Latinè redditis. *Anno 1523.*

Conuentus iſte incœptus fuit anno 1523. *tempore Philippi de Lannoy Domini de Molembais & prædicti municipij de Solre, noſtri boni Patris fundatoris. Eiuſdem vxor fuit Franciſca Barbenſonia mater Dominæ de Sempy.* Sic ibi, nec pluribus.

DISTINCTIO VII.

Bliquitanus S. Iuliani martyris.

Anno 1527. INitia ſua debet eiuſdem loci Noſocomio, antiquitùs in honore S. Iuliani M. fundato; quod tertiæ Regulæ ſororibus Bauaco euocatis an. 1527. certâ lege perpetuò donatum fuit ab illuſtri viro Henrico de Creſſy eiuſdem loci Domino, de totius Communitatis aſſenſu. Ita me docuerunt vtriuſque Partis literæ Gallico idiomate conſcriptæ, à me viſæ & perlectæ an. 1648. interuentu R. D. *Philippi Caudron* ibidem Paſtoris.

Illæ autem prędicto an. 1527. penultimâ Nou. datæ ſic incipiunt: *Scachent tous preſens & à venir, qui ceſt eſcrit voyront, que par deuant les Mayeurs, &c. comparu perſonelement noble homme Henry de Creſſy Eſcuyer, Seigneur de Blicqui d'vne parte, & ſœur Françoiſe Aſenſans d'autre &c.*

Huc vſque de viginti & vno Conuentibus Tertiæ D. Franciſci Regulæ. An verò alij à præmiſſis non ſint, futuræ diſquiſitioni relinquo.

CAPVT

CAPVT IV.

De aliquot nouis Pœnitentibus Ordinis S. Franciſci.

DESCRIPTIS *ante Griſeas ſorores Clariſſis immediatè ſubijci potuiſſent & debuiſſent nouellæ S. Franciſci Pœnitentes; tanquam ſtrictioris earum vitæ veſtigijs inſiſtentes, & vt ſecundæ D. Franciſci Regulæ, vt putem; ſed quia demum noſtrâ Patrumq́; memoriâ ſeſe in Belgio oſtenderint, eas hoc demum Capite cum ſuis Conuentibus, tanquam omnium D. Franciſci filiarum nouiſſimas, deſcribere propoſui.*

Illæ autem variè à varijs nominari ſolent. Aliæ enim Coletanæ & Capucinæ; *aliæ* Recollectinæ, *& aliæ* Pœnitentes *in genere vocantur: Sed & paſſim in Belgio nouos ſibi Conuentus erexerunt; notanter Inſulis, Duaci, Audomari, Couiuij, & in alijs oppidis.*

Cæterùm, ad-inſtar Clariſſarum, D. Franciſci Regulam integrè purè & punctuosè obſeruantes, in perpetuâ clauſurâ, & ſummo diſ-

ciplinæ rigore viuunt; variegato tamen vtuntur habitu, vt mihi ab ipſis dictum.

Iam à genere in ſpecies vt veniam, variæ ſunt in Hannoniâ noſtrâ Pœnitentes; aliæ enim immediatè Ordinario ſubſunt (quales notanter Athi, & Montibus.

Aliæ ſunt de Congregatione Limburgenſi an. demum 1624. *inſtitutâ, ad inſtantiam R. P. Petri Marchant Apoſtolici in his Partibus Commiſſarij, & decennio pòſt ab Vrbano VIII. adprobatâ, quales* Philippo-Poli, Fontanis, *& alibi, ſuntq́; Prouinciæ Gallo-Flandriæ.*

Aliæ verò ſunt Prouinciæ S. Andreæ, quales Binchij, *& neſcio an non alibi aliæ ſint, tam his, quàm præmiſſis ſimiles.*

Equidem quòd ad præmiſſas attinet, ſingularum Conuentus promiſcuè, & indifferenter, ſeruato dumtaxat temporis ordine, ſubijcio.

DISTINCTIO I.

Conu. Binchienſis N. D. Angelorum.

Anno 1620. POſtquàm Montibus in vetuſto Haurçi Refugio nouella hæc Congregatio pro tempore ſubſtitiſſet, anno tandem 1620. Binchium tranſmigrauit Magiſtratu pro reſidentiâ Cantipratum donante.

Prima autem Superior tunc erat ſoror *Eliſabeth de S. Audomaro;* quæ aliquot ſodalibus

dalibus aucta, ex patriâ vrbe Falcoburgum, & inde huc venit, ac neceſſaria paulatim ædificia erexit, ſuppetijs Nob. *Domicellæ Catharinæ Bauaiz* vxoris ampliſſimi D. Guilielmi Chamart Conſiliarij Montenſis, ibidem cum dicto marito ſepultæ.

DISTINCTIO II.

Conuentus Philippo-Politanus.

QVo præcisè anno Conuentus iſte initium ſumpſerit, necdum ſcire potui per loci à nobis diſtantiã, & viarũ pericula; licèt hinc & hinc ſcire conatus fuerim. Opinor interim, quòd anno præter propter 1624. quia primas è ſuis Religioſas emiſerit *Fontes-Epiſcopi*, ab exſtruendũ ibi Conuentum an. 1629. vt infra dicetur. *Anno 1624. plus minus.*

DISTINCTIO III.

Conu. Athenſis N. Dom. de Gratiâ.

PRimarum virginum coloniam Binchio huc traductam fuiſſe didici an. 1627. tunc enim quinque venerunt in Iulio; quæ mox aliquot alijs aſſociatæ, con- *Anno 1627.*

ductam primò; deinde enuptam D. Petri de Poüille domum habitârunt, quam hodieque inhabitant ex oppoſito S. Iuliani defixâ ad oſtium Cruce, particulari duntaxat atrio pro Eccleſiâ vtentes.

DISTINCTIO IV.

Conu. Fontenſis SS. Franciſci & Ioſeph.

Anno 1629. NOuiſſima hæc Congregatio incœpit an. 1629. 15. Sept. primis Veſtalibus Philippo-Poli, ad cęterarum inſtructionem venientibus; earumque Matre directrice conſtitutâ ſorore *Mariâ Clarâ de S. Franciſco.*

Viſitur autem earum Cœnobium in valle haud procul à foro, ſub Eccleſiâ S. Vedaſti de nouo conſtructum, ſuiſque officinis inſtructum & Eccleſiâ, quam an. 1634. perfectam 25. Iun. ſub honore SS. Franciſci, Ioſephi, Bernardini, & Claræ Altiſſimo dedicauit Illuſtriſſimus D. Franciſcus Vander-Burch Archiep. Cameracenſis, anniuerſariâ dictæ Eccleſiæ conſecratione ad vltimam Dominicam Auguſti recurrente.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO V.

Conuentus Capucinarum Montibus.

QVo anno, quoue authore Capucinarum inſtitutum cœperit, me latet; & ſubdubito an non ſint eædem, ac *Filię Paſſionis Domini*, de quibus agitur in Chronicis FF. Minorum tomo 4. ſub finem. Audio interim quędam ipſarum Cœnobia nouiſſimè apud Belgas excitari cœpiſſe; notanter Audomari, Armenteriæ, Duaci, & alibi. *Anno 1644.*

Sed & Montibus nouella hæc S. Franciſci familia adgregari cœpit an. 1644. in Natali B. Virginis; mediante Illuſtriſſimi Principis Lignęi Matre; quæ, vt altera ſęculi ſui Iudith edito libro laudata, cum aliquot huius inſtituti ſui ſodalibus Duaco veniens, in proprij iuris Refugio Conuentum ſtatuit ad tempus; donec aliud domicilium trans flumen apud Vallis-Scholares acquireretur; ad quod celebris harum virginum cœtus publicè in rhedis commigrauit an. 1648. menſe Februario; eaſdem deducente R. D. Bernardo Plicette S. T. L. Paſtore S. Eliſabeth, & diſtrictus Montenſis Decano, à quo recipi ſolent ad Profeſſionem.

Digitized by Google

ductam primò; deinde enuptam D. Petri de Poüille domum habitârunt, quam hodieque inhabitant ex oppoſito S. Iuliani defixâ ad oſtium Cruce, particulari duntaxat atrio pro Eccleſiâ vtentes.

DISTINCTIO IV.

Conu. Fontenſis SS. Franciſci & Ioſeph.

Anno 1629. Nouiſſima hæc Congregatio incœpit an. 1629. 15. Sept. primis Veſtalibus Philippo-Poli, ad cęterarum inſtructionem venientibus; earumque Matre directrice conſtitutâ ſorore *Mariâ Clarâ de* S. *Franciſco.*

Viſitur autem earum Cœnobium in valle haud procul à foro, ſub Eccleſiâ S. Vedaſti de nouo conſtructum, ſuiſque officinis inſtructum & Eccleſiâ, quam an. 1634. perfectam 25. Iun. ſub honore SS. Franciſci, Ioſephi, Bernardini, & Claræ Altiſſimo dedicauit Illuſtriſſimus D. Franciſcus Vander-Burch Archiep. Cameracenſis, anniuerſariâ dictæ Eccleſiæ conſecratione ad vltimam Dominicam Auguſti recurrente.

Digitized by Google

DISTINCTIO V.

Conuentus Capucinarum Montibus.

QVo anno, quoue authore Capucinarum inſtitutum cœperit, me latet; & ſubdubito an non ſint eædem, ac *Filiæ Paſſionis Domini*, de quibus agitur in Chronicis FF. Minorum tomo 4. ſub finem. Audio interim quędam ipſarum Cœnobia nouiſſimè apud Belgas excitari cœpiſſe; notanter Audomari, Armenteriæ, Duaci, & alibi. *Anno 1644.*

Sed & Montibus nouella hæc S. Franciſci familia adgregari cœpit an. 1644. in Natali B. Virginis; mediante Illuſtriſſimi Principis Lignęi Matre; quæ, vt altera ſęculi ſui Iudith edito libro laudata, cum aliquot huius inſtituti ſui ſodalibus Duaco veniens, in proprij iuris Refugio Conuentum ſtatuit ad tempus; donec aliud domicilium trans flumen apud Vallis-Scholares acquireretur; ad quod celebris harum virginum cœtus publicè in rhedis commigrauit an. 1648. menſe Februario; eaſdem deducente R. D. Bernardo Plicette S. T. L. Paſtore S. Eliſabeth, & diſtrictus Montenſis Decano, à quo recipi ſolent ad Profeſſionem.

Digitized by Google

CAPVT V.

De Carmelitanæ profeſsionis ſororibus.

PRæmiſſis hucvſque ſecundæ & tertiæ D. Franciſci Regulæ Conuentibus, rectus ordo poſtularet immediatè ſubijci ſorores Carmelitanas, & ſimul earum Cœnobia, pro vt ſuperiore libro Carmelitas Minoribus ſubieci. Verùm tales hactenus non noui in Hannoniâ; quamuis tamen Brugis, Louanij, Viluordiæ, Thenis, Namurci, & forſan alibi ſint, quibus in locis *Albæ Dominæ* dici ſolēt.

Ergo nihil hîc de ipſis ſcribendum; niſi fortè Carmelitici huius Ordinis Recluſas pro talibus accipere voluerimus, quales hodieque ſunt *Brugeleti & Ballioli Eccleſijs adſita*, & fortè alibi; vt plurimùm à Carmelitis viſitari & dirigi ſolitæ. Sed cùm illæ ipſæ ſingulatim ac ſeorſim viuant, omitto tanquam non Conuentuales; & bene, quia *Collegium nonniſi tres faciunt, & Congregationem duo*, vt Iuriſperitis notum.

Interim verò (vt vnus omnia ſcire non poteſt) ſi fortè in Hannoniâ Conuentuales eſſent, mihi vt tales ignotæ, de carũ Conuentibus poſthac edoceri peto.

CAPVT VI.

De Sororibus Ord. S. Auguſtini.

VARIA ſunt in Belgio Monaſteria Nigrarum, *vt vocant, Sororum, quæ binæ & binæ tum foris tum domi ægros curare ſolent.*

Nomen habent à veſtibus atri coloris, quas geſtant, & iuxta Regulam S. Auguſtini more Mendicantium viuentes, Epiſcoporum viſitationi ſubſunt, præcipuiſq; Belgicæ vrbibus inexſiſtunt; notanter autem in Hannoniâ Montibus, Binchij, Malbodij, Querceti, Leſſinis, Rhodij, & neſcio an non alibi.

Interim ſupercertari poſthac deſiderans, præmiſſorum ſex opidorum Conuentus paucis ſubijcio.

DISTINCTIO I.

Conuentus Quercetenſis B. Mariæ.

CONuentus hic ad angulum plateæ ipſius oppidi foro imminens, omnium vetu- *Anno* 1449.

vetuſtior apparet ex ſacelli dedicationē an. 1449. per Reuerendiſſimum D. Ioannem Lupart factâ, pro vt legitur in quodam breuiculo ſupra interius oſtium fixo. Sed id non implicat, quominùs eo anno priores, aut poſteriores ſint.

Quidquid ſit de tempore, dicam duobus verbis, quod ibi an. 1648. exiſtens audiui, & vidi. Aſſerunt ipſæ primas ſorores Inſulis huc veniſſe ex Hoſpitali Comitiſſæ, vt vocant, à Margaritâ Comite olim iuxta S. Petrum fundato; eâ quidem lege à Senatu admiſſas, vt paralyticos curarēt, quod & hodie faciunt; vnde ad prędicti ſacelli ingreſſum octo lectos videre eſt.

Plura & certiora ſecundis curis exſpecto à R. D. Paſtore Quercetenſi, quorum inſpectioni & curæ ſubſunt.

DISTINCTIO II.

Montenſis SS. Auguſtini & Mariæ Magdal.

Anno 1488. CVm S. Waldetrudis Capitulum, ad Nigras ſorores Beguinagio expellendas, litem intentâſſet an. 1484. initâ quadriennio pòſt tranſactione, proprias ædes ſibi comparârunt, modernum videlicet locum, Iudęorum plateæ adſitum; ad

ad quē haud diu pôſt de antiquâ Beguinagij ſede tranſierunt anno 1488. in die S. Barnabæ, Reuerendiſſimo D. Henrico à Bergis Epiſcopo Cameracenſi eas deducente, & venerabile Sacramentum deferente, in D. Giſleni & aliquot aliorum Abbatum comitatu.

Cæterùm nouellæ huius familiæ hæc ab initio pietas effulſit, vt ceteris instituti ſui domibus præluceret; ideoque primæ Directrices inde aduocatæ ſunt Cameracum, Binchium, Malbodium, & Leſſinam: Sed & ab tempore in hunc vſque diem, Cœnobium optimæ diſciplinæ merito, & numeroſo Veſtalium cœtu commendatur.

Plura ad huius Cœnobij illuſtrationem ſubijcienda forent; notanter de quadam Matre dictâ *Mariâ d'Oignies*, cum opinione ſanctitatis mortuâ an. 1502. de patrocinio D. Magdalenæ erga ſororem *Ioannam Fery* à maligno ſpiritu an. 1585. liberatam; de varijs Reliquijs ab Illuſtriſſimo D. Ludouico de Berlaymont ibidem ſepulto donatis, præuiâ quotidiani Sacri, & aliquot Obituum ampliſſimâ dotatione: Sed breuitatis memor ſuperſedeo.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO III.

Binchienſis.

Anno 1494. PRimę huius Cœnobij Religioſæ Mōtibus euocatę Conuentum ſtruere, & ſimul inſtruere cœperunt anno 1494. authoritate Illuſtriſſimæ Dominæ Margaritæ Caroli Audacis viduæ, cui pro dote Binchium fuit.

Ipſa (vt obiter narrat *D. VVaulde in ſuo Lobij Chronico*) inter alia pietatis opera, dictis Religioſis fundum cōparauit Montenſi portæ adſitum; quo ad earum vſus prę-parato, honeſtam dotem adiecit; vt & domi Magdalenæ officium, & foris Marthæ peragerent, ægris nimirum operam ſuam locando.

DISTINCTIO IV.

Malbodienſis.

BInchij Veſtalibus accedant Malbodienſes tum loci viciniâ, tum æuo proximę, & neſcio an non his anteriores; bis enim ad perquirendum eò loci profectus an. 1648. nihil, aut valde parum à Matre ſcire potui.

Digitized by Google

Aſſerebat ipſa primas Sorores Montibus huc veniſſe, quæ primis inquilinis Religioſę vitæ documenta traderent; ſed abſque temporis diſcerniculo; niſi quòd tertię Regulæ Sororibus an. 1484. in eo oppido receptis, parum eſſe recentiores dixerit.

Ad hæc quid dicam, non habeo, niſi deſignem ipſius Conuentus ſitum in veteri Lætiæ Refugio iuxta fori angulum; quod ab ipſis in Monaſticos vſus conuerſum ſit cõſtructâ dehinc Eccleſiâ, ab Illuſtriſſimo D. Ludouico de Berlaymont dicatâ, aut fortè redicatâ anno 1590. 7. Maij, pro vt me docuit ſuſpenſa ad rei memoriam tabella.

DISTINCTIO V.

Leſſinenſis.

QVâ de causâ Griſeis ſororibus Nigræ ſubſtitutæ fuerint, non exprimunt Annales Hannoniæ recens editi; aſſerunt nihilominùs id eueniſſe anno 1530. quo primarum virginum colonia Montibus huc traducta, S. Auguſtini canonem ſuperinduxit. Anno 1530.

Cæterùm, cùm de loci antiquitatibus nuper

nuper inquirerem, reſpondit ipſa Mater nihil certò ſciri, quia omnia monumenta perierint, dum Gheuſij Gandauo egreſſi oppidum vaſtârunt an. 1578. Conſtare interim ex ſeniorum traditione primas Moniales huc veniſſe Montibus, nihilque antiquitatis hodie ibi ſeruari præter literas an. 1518. datas, quæ poſt dictum naufrahium integræ & ſanæ repertæ ſint.

Iacet in huius Conuentus ſacello, Parochiali Eccleſiæ adſito, *Sebaſtianus de Tramaſure*, qui, vt erat ciuiũ capitaneus, Hollandos & Anglos huic oppido inſidiantes fortiter à mœnibus reiecit an. 1583. ad cuius rei memoriam anniuerſaria Proceſſio celebratur 26. Aug.

DISTINCTIO VI.

Rhodienſis.

CVm Hoſpitale S. Iacobi extra portam Binchienſem ſufficienti dote inſtructum videretur ad aliquot Moniales nutriendas, excluſis tandem ſæcularibus admiſſæ ſunt Hoſpitalariæ anno 1625. Atho ex S. Magdalenâ euocatæ; procurantibus Reuerendo admodùm D. Paulo Charlon Abbate S. Foillani, & Excellentiſſimo

Anno 1625.

tiſſimo

tiſſimo D. Euſtachio de Croy Comite Rhodienſi, eâ tamen lege, vt & vetuſto more S. Iacobi peregrinos exciperent, & quoſlibet Rhodienſis territorij infirmos fouerent.

Ea verò curâ minimè contentæ, licèt antea votorum exortes, monaſticis votis ſeſe deinceps obſtrinxerunt iuxta Regulam D. Auguſtini; primâ earum matre conſtitutâ ſorore Magdalenâ de le Court, quæ an. demum 1641. obijt, pro vt ibi legitur in eius cœnotaphio.

Additiuncula ad præmiſſos Conuentus Nigrarum ſororum.

AVdio & nouellum eſſe Conuentum *Mariæ-Burgi*, vulgò dictarum *Sororum S. Spiritus*, & nigris, vt præmiſſæ, indutarum; quales exiſtere ſolent Brugis, & in Caſtello Cameraceſij. Sed an ſit prætacto Rhodienſi præferendus aut poſtponendus, ignoro; & an ſit de Mendicantibus, & infirmos curantibus, necdum ſcire potui: Aliàs proinde latiùs & exactiùs de eo ſcribam; ſi tamen meliora deinceps tempora iter ad id oppidum permiſerint.

CAPVT VII.

De Ordine Annuntiatarum.

BEATA Ioanna Dux Bituricenſiũ, filia, ſoror, vxor Regum Franciæ, Ordinem Annuntiatæ Virginis ſub propriâ Regulâ fundauit anno 1501. probante Alexandro VI. Obijt an. 1504.

Porrò vniuerſa huius Ordinis Regula decem capitibus conſtat; quæ decem primarias Deiparæ virtutes, in Euangelijs ipſis expreſſas, illis proponunt imitandas: Proinde ex ipſis Euangelij verbis deſumpta eſt, non ex Baſilij, Auguſtini, Benedicti, Franciſci, aut aliorum Sanctorum præſcripto, licèt Annuntiatis hodie præſint Franciſcani; ſic enim Fundatrix ipſa voluit, diuino vt ſcribunt monitu.

Primum autem ſui Ordinis Monaſterium Biturigis ære ſuo condidit an. 1502. *Tertium Bethuniæ poſtea erectum fuit an.* 1517. *alterum exinde Brugis an.*1518. *Sed & hoc ſæculo*

alia

alia alijs locis fundata ſunt, videlicet Antuerpiæ, Niuellis, Ruremundæ, Traiecti, Duaci, Gandaui, Bruxellis, & alibi.

Cœnobium eius ſectæ in totâ Hannoniâ vnicum eſt, quod ſciam; ſed alterius ſubiectionis; nam immediatè Ordinario ſubiacet; diuerſi quoque habitus, videlicet cærulei (vnde & ab eo Cæleſtinæ vocantur, & tales hodie ſunt Inſulis, Tornaci) ſed & mitioris inſtituti; cuius fundatrix habetur B. Maria Victoria *anno demum* 1617. 15. *Dec. mortua.*

DISTINCTIO VNICA.

Monaſterium Annuntiatarum Cæleſtinarum Montibus.

MAriani huius Cœnobij inſtitutio, inſtructio, & educatio debetur Cœleſtinis Tornacenſibus; quia primogenitas Veſtales è ſuo gremio Mõtes immiſerit an. 1628. ex tempore, vt fit, in Alto-Boſco collocatas; donec aptior, capaciorque in Nimianâ plateâ fundus versùs S. Iacobum ab ipſis emptus. *Anno 1628.*

Ad eum verò ſolemni ritu ſeſe tranſtulerunt an. 1632. poſt Dominicæ diei veſperas; eaſdem comitante Illuſtriſſimâ Dominâ Dorotheâ de Croy Ducis Ar-

ſchotani relictâ ; & reuerendo plurimùm D. Thomâ de Trahegnies Chriſtianitatis Decano, venerabile Sacramentum deferente inter vtriuſque Parochiæ Curiones.

Subiacent ipſæ Ordinario, vt dixi, cuius vice eaſdem ad profeſſionem recipit Archipresbyter.

CAPVT VIII. ET VLTIMVM.

De Ordine Carmelitanarum Diſcalceatarum.

SANCTA Tereſa de IESV Abulenſis Mater Carmelitarum diſcalceatarum, clara ſanguine, libris editis, & reformatione probatâ à Pio V. anno 1565. obijt anno 1582. 4. Oct.

Hæc ætate grandior facta, Monaſticen amplexa, & demum ſtrictioris vita cupida, ſu-

pra

pra vires ſexus ſui ſe extulit. Nimirũ forte certamen dedit illi Dominus, vt inde oſtenderet, quòd omnium ſui temporis virorum fortior erat, virgo dicam? an virago? an Amazon? & hoc & illud dicere mihi liceat; primæuam enim Ordinis ſui diſciplinam adeò fortiter & feliciter inſtaurauit, vt non modò innumerabiles virgines, ſed viros quoque ad imitationẽ pertraxerit, permoueritq́, ad ſtrictioris inſtituti Cœnobia paſſim excitanda.

Et verò quòd ad Belgica noſtra pertinet, licèt, eâ viuente, nullibi erecta agnoſcam, poſtmodò tamen varijs oppidis introducta & erecta ſunt; quorum omnium origines debemus venerabili Matri Annæ de I E S V*; quæ (vt erat vna ex S. Tereſæ diſcipulis) cùm arctioris vitæ fluenta de ipſius pectoris fonte potâſſet, ex hoc in illud eructantia, anno demum* 1606. *à Principibus noſtris euocata, varios paſſim Conuentus erexit; notanter Bruxellis, Louanij, &* Montibus *an.* 1607. *poſtmodùm verò Antuerpiæ, Siluæ-Ducis, Mechliniæ, Duaci, Inſulis, Tornaci, Valencenis, & alibi. Sed quæ in ijs noſtratia ſunt, eligamus, & breui ſcripto mandemus.*

Digitized by Google

DISTINCTIO I.

Carmelus Montenſis.

Anno 1607. VIrginalis huius Monaſterij ſtabilimentum initia ſua debet Principũ noſtrorum pietati omnibus ſæculis prædicandæ; vix enim Diſcalceatas ex Hiſpaniâ Bruxellis ſuſceperãt anno 1606. cùm proximè ſequentis initio, aliquot ex ijs ad nos tranſmittunt, literis earum commendatione plenis, ad Senatum & vniuerſum Concilium datis. Et mox eorũdem ſcripto, præuiâ admiſſione, ſatisfa-ctum.

Ipſæ autem, haud diu pòſt, exceptę, primam reſidentiam faciunt iuxta Griſeas ſorores; alteram deinde in antiquato Frezinij Comitis Refugio, quod Lobienſe nunc dicitur. Tandem verò mediæ ciuitati ſeceſſum præferentes, in Parochiam D. Eliſabeth haud longè à mœnibus ſe trãsferunt an. 1630. nouo ibidem à fundamentis erecto Monaſterio, ex quo traducta colonia Tornacum an. 1614.

O felix vrbs Montes, quæ prior cum Bruxellâ & Louanio, tantarum virginum aduentu decorata fuiſti! & inde felicior, quòd

quòd Ordinis huius Patres ad ſpiritualem earum, & tui eruditionem, religiosè nuper exceperis.

DISTINCTIO II.

Carmelus Valencenenſis.

IAm inde à primo ſuo in Belgium ingreſſu, Carmelitana hęc familia oculos in iſtam vrbem coniecerat; ſed vltra deſignationem & votum rès progreſſa nō eſt. Ad extremum res tenuiter (vt ſępè fit) tentata, nihilominùs à multis deſiderata, tandem feliciter confecta fuit à ſummo huius vrbis Concilio, dictarum virginum receptionem an. 1618. quintâ Martij admittente. *Anno 1618.*

Duæ treſue cœperunt Bruxellis emiſſæ, quibus aliæ mox iunctæ primitùs cohabitârunt in vico ſeu plateâ Cameracēſi. Nec diu pòſt, illo ipſo admiſſionis anno, locum mutârunt; ſed nec huius ſecundi domicilij anguſtijs contentę, anno tandem 1625. tranſierunt in domum Domini de Roſel; vbi etiamnum conſident è Gaugericiani cœmiterij regione, ſacello honori Deiparę & S. Ioſephi dedicato. Prima verò huius Carmeli Prioriſſa Soror *Maria ab Euangelio vocabatur*, incolatu & patriâ Bruxellenſis.

LIBER VII.

Nouellæ Clericorum Religioſorum, ac Regularium Societates

PROEMIVM.

QVemadmodùm ſuperiore ſæculo varij Monachorum Ordines veterem diſciplinam ad priſtinum vigorem reuocârunt; ſic & variæ Clericorum ſeu Presbyterorum ſæcularium, vt vocant, Congregationes exortæ ſunt; qui more Apoſtolico in communi viuentes, quamdam primitiuæ Eccleſiæ faciem repræſentant: quales in ijs *Barnabitæ, Theatini, Patres Societatis Ieſu, Patres de Oratorio Domini Ieſu*, & alij his ſimiles, in Italiâ potiſſimùm noti; quibus ſepoſitis, ſola dūtaxat Societatis & Oratorij Collegia inde ad nos ipſos Belgas traducta cognoſcimus.

Et verò, cùm vtriuſque Patres ad-inſtar Religioſorum viuant, habeantque diuerſas in Hannoniâ Domos, ab inſtituto meo nihil alienum facturus videor, ſi horum Collegia, & illorum Oratoria breuiter hîc ſubijciam, ſumpto initio à Patribus Societatis, quia tempore priores ſint.

CAPVT

CAPVT I.

De Societate Ieſu.

SANCTVS Ignatius de Loyola nobilis, ex milite Fundator Clericorum Societatis Ieſu, à Paulo III. anno 1540. approbatæ, & à Synodo Tridentinâ laudatæ, obijt anno 1556. Canonizatur à Gregorio XV. an. 1621.

Dicti autem Pontificis diploma eandem Societatem adprobantis, extat in Inſtitutionibus Ioannis Azorij è dictâ Societate Theologi.

Cæterùm eo tempore, quo in Friſiâ ſurrexit David Georgius, ab impoſturis ſuis per Belgium, & alibi paſſim notus (anno nimirum 1542.) hæc ipſa Societas in Brabantiâ emerſit, primo Collegio Louanij inchoato. Anno dehinc 1562. Antuerpiam, Cameracum, & Tornacum ingreſſa fuit, nec diu pòſt Moſæ-Traiectum anno 1566.

Tandem verò in alijs Brabantiæ, Flandriæ, Arthefiæ, & Hannoniæ oppidis recepta, duas in Bel-

Digitized by Google

in Belgio Prouincias ſucceſſu temporis erexit; quarum vna Flandro-Belgica, altera verò Gallo-Belgica dicitur.

Priori ſubeſt vnicum apud Nos Collegium Hallenſe; *alteri verò quinque alia, nimirum* Valencenenſe, Montenſe, Tornacenſe cis Schaldim, Malbodienſe, & Athenſe; *quorum origines & progreſſus pleniùs à me ſecundis curis deſcribēdos, breuiter hîc ſubijcio.*

DISTINCTIO I.

Collegium Valencenenſe.

Anno 1581. ANtiquitate, quod ſciam, primum Societatis apud nos Collegium Valencenis extitit; in quod oppidum, ab initio hæreſeos ibidem exortæ, oculos ſuos conuerterat, mediante Ill.mo Maximiliano à Bergis primo Cameracenſium Archiepiſcopo; qui literis commendatione plenis Senatum cohortatus, an. 1565. huc tranſmiſit *R.P. Eleutherium du Pont*, vnum è primis S.Ignatij Socijs. Sed illo oblatum ſibi à Magiſtratu Standonicum Collegium per eius ruinas recuſante, vltra votum & deſignationem res progreſſa non eſt.

Poſtmodò autem R. D. Iacobus Froye Abbas Haſnonienſis, feliciore ſucceſſu rem

rem promouit. Certè, cùm anno 1580. Generale vrbis Concilium pro reprimendis Gheuſijs collectum eſſet, alijs alia ſentientibus, grauiter edixit non poſſe erigi fortius contra hæreſes propugnaculum, quàm dictæ huius Societatis Collegium. Quæ quidem ſententia magno Hannoniæ Prætori, ac loci Magiſtratibus arriſit; moxque vrbis ac Procerum nomine, à Duce Parmenſi ſcriptum fuit ad Prouincialem; qui, vt petentibus poſtulata concederet, quatuor Socios dedit, cum dicto Patre Eleutherio, perhumaniter à dicto Abbate exceptos.

Sed nec diu pòſt de domo ijs prouiſum; quâ bis, ter, & quater mutatâ, tandem à Rege S. Ioannis Collegio donati ſunt, in quo & hodie conſident ab an. 1591. quo Iuuentus literis ac moribus inſtitui cœpta. Templum verò à fundamentis erigi cœpit an. 1601. quod anno demum 1613. conſecrationis munus ab Epiſcopo Atrebatenſi ſuſcepit 19. Sept. tertio pòſt die *diuorum Seuerini & Socij* ſacris Reliquijs illuſtratum.

Prodierunt ex hoc Collegio viri ſcriptis clari *Angelinus Gazæus*, *Franciſcus & Philippus de la Croix*, *Ioannes Bourgheſius*, *Petrus & Philippus d'Oultreman fratres*, & quidam

quidam alij, quos hîc breuitatis gratiâ prætereo, alibi interim cum ſuis ſcriptis publicandos ac prædicandos.

DISTINCTIO II.

Montenſe.

Anno 1587. PRocurante R. P. Franciſco Coſtero tum Belgicæ Prouinciali, Societas Ieſu venit Montes pro reſidentiâ ibidem faciendâ ſub finem anni 1587. aliàs 1583. vt ſcribit P. *Iacobus Simon in Notis ad vitam S. VValdetrudis.*

Venerunt autem quatuor Patres, & duo Coadiutores; quorum Superior à dicto Prouinciali deſignatus fuit P. *Ludouicus Ghodin*, qui firmandi deinceps domicilij initia poſuit; coëmptâ nimirum ad hoc Ducis Arſchotani domo; in quâ, præter alia Societatis munia, iuuentuti apertum fuit Gymnaſium anno 1598. ipſo die S. Remigij.

Ab eo tempore auſpicatam inuentæ inſtitutionem, & alia laudabiliter exequentes, S. Antonij Prioratum iuxta Montes obtinuêre, eumque Regiâ, & Pontificiâ auctoritatibus Collegio ſuo in perpetuos vſus annexum, pro vt conſtat ex diplomate

mate Sixti V. aut Vrbani VII. eiuſdem ſucceſſoris, à me ſecundis curis producendo, ſi fortè exſcribendum detur; nec enim hactenus ſcire potui præciſum dictæ vnionis annum.

Aucti dehinc numero & opibus domum mutârunt, anno 1615. capaciorem & aptiorem locum adepti in foro linorum ad pedem caſtri, initâ permutatione cum Abbatiſsâ & Conuentu Loci-Spinoſi: vbi ex tunc ſalubri montis eminentiâ gaudentes, inſigne templum exhibent Immaculatæ Virgini dicatum, nec-non *S. Henrici* corpore Româ huc illato nobilitatum anno 1616.

Biennio pòſt (hoc eſt anno 1618.) vt aliquid opis tenuioris fortunæ Clericis accederet, Conſcientiæ caſus, vt vocant, explicare cœperunt, in quibus perdocendis iam ex tunc perſeuerant, æquè laudabili, ac vtili inſtituto.

Cæterùm ab eâ loci permutatione D. Franciſcus de le Haize Generalis Hannoniæ Cleri Receptor, & Domic. Antonia Ghodin, par coniugum pientiſſimorum, nummos augendæ doti ſuppeditârunt; & pro ſingulari in Deum patriamque pietate ac munificentiâ, B. Mariæ Seminarium in Refugio Aimeriano fundâ-

runt

Digitized by Google

runt an. 1620. adeò vt coniux coniugi ſuperſtes Fundatricis dicti huius Collegij nomen obtinuerit, & etiamnum habeat ab an. 1623. quo in grandęuâ ſenectute obijt, ante principem aram cum glorioſi huius tituli priuilegio ſepulta.

Præter eam, ſepulturæ locum hîc elegerunt duo itidem ſummæ pietatis viri. In-primis admodùm Reuerendus D. *Antonius de VVinghe* Abbas Lætienſis, eximiuſque Religioſorum, eruditorum, & pauperum benefactor, Montibus per bella mortuus an. 1637.

Similiter Illuſtriſſimus D. Franciſcus Vander-Burch Archiep. Cameracenſis ordine VII. ob res præclarè geſtas immortali memoriâ dignus; apud nos itidem defunctus an. 1644. ætatis 77. Pallij 27. Maij 23. dicto Abbati (ſuo in viuis vt fratri) & in pijs donationibus cooperario, ad aram S. Ignatij contumulatus; cui Regale, vt ita dicam, mauſolęum & elogium nuper erectum à ſiniſtris Chori, interſitâ hâc velut ouali inſcriptione.

D. O. M.

Piæq; memoriæ Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini, D. Franciſci Vander-Burch Archiepiſcopi ac Ducis Cameracenſis, S. R. I.

Princi-

Principis, & Comitis Cameraceſii; cuius mens recta, mores Angelici, vita omnis ſancta, anima in cœlum recepta, corpore in S. Ignatij ſacello condito

MONVMENTVM;

Mœſti poſuerunt tantæ virtutis hæredes.

Vixit LXXVII. annos, Mechliniæ Decanus XX.

Gandaui Epiſcopus III. Cameraci

Archiepiſcopus XXVII.

Vbique benignus Pater, vigilans Paſtor

ſemper amabilis.

Deuixit Montibus Hannoniæ anno M. DC.

XLIV. IX. Calendas Iunij.

DISTINCTIO III.

Tornaci Nouiciatus cis Schaldim.

POſt ſex annos à morte S. Ignatij, eiuſdem Societas Tornacum ingreſſa, pluribus annis Nouitiatum habuit in Parochiâ S. Piati. Tandem verò præ cohabitationis anguſtiâ, hunc ipſum à Collegio ſeparauit, fundo ad veteris oppidi foſſas comparato, eique incorporato Ciſtercienſium virginum Refugio, quod vulgo du *Saulchoir* dicitur. *Anno 1607.*

Eo in loco noui templi fundamenta iacta ſunt anno 1607. Collegij ſtructura

eſt

eſt elegans ex albo lapide, pro vt etiam adſiti templi; debetur autem ipſa munificentiæ Dominorum de Reneſſe, ex quorum familiâ quidam, neſcio quis, probaticam hanc piſcinam recens intrârat.

Idipſum templum quinquennio pòſt dedicauit Illuſtriſſimus D. Ioannes Richardot Archiep. Cameracenſis, anno videlicet 1612. 25. Iunij. Sequenti autem die corpus S. *Deppæ V. & M.* cum altero incerti nominis Socio Româ tranſlatum, de veteri domo ad hanc ipſam ſolemni ritu deduxit, comitantibus SS. Amandi & Martini Prælatis.

DISTINCTIO IV.

Malbodienſe Collegium.

Anno 1616. ROgante, ſępiùsque inſtante piâ admodùm *Domicellâ Franciſcâ Bruneau, viduâ D. Hugonis Bourgoys, Equitis, Toparchæ in Liembois, & Gubernatoris Belli-Montani,* Collegium Malbodienſe inſtitui cœpit anno 1616. nam hæc ipſa *ædes ſuas, bonamq; prouentuum partẽ huic Collegio fundando donauit*, vt in vtriuſque epitaphio ad aram S. Ignatij legitur.

Vnde & fundi ipſius donatrix, & Scholarum

larũ fautrix haberi debet poſtulato nempe ab ipsâ Pedagogio, à cuius morte inſtitui cœpit Iuuentus ſub Octobrem anni 1619.

Sed & eodem anno 1619. mediocris capacitatis Eccleſia conſtrui cœpit; primum fundamentis lapidem imponente *Illuſtriſſimo* D. Franciſco Vander-Burch Archiep. Cameracenſi; quam is ipſe coronide ſuâ donatam, anno 1624. 4. Auguſti dedicauit ſub titulo *Immaculatæ* Conceptionis Deiparæ.

Quòd ad alia pertinet, idipſum Collegium præ multis alijs æſtimandum reddunt quatuor SS. Martyrum Roman. corpora, ſolemniter admodùm hîc ſuſcepta an. 1647. Dominicâ 3. Oct. nēpe *S. Maximi Presbyteri & M. S. Donatæ V. & M.* necnon *S. Flauij pueri & M.* ac *ſanctæ Paulinæ puellæ V. & M.* Duo quidem priora obtinuit an. 1622. *R. P. Ioannes Bourgheſius*, cùm Romam miſſus eſſet ad ſuæ Prouinciæ Prouincialem. Alia autem duo, cùm nuper ſub *Innocentio* X. interfuit octauæ Congregationi Generali.

Digitized by Google

DISTINCTIO V.

Athenſe.

Anno 1621. DVodecimus iam, iſque poſtremus Induciarum Belgij exſpirabat annus, iam ad arma conclamatũ erat, & tamẽ noua Societati ſedes Athi acquiſita eſt ineunte anno 1621. diu ante deſiderata: nã, vt ad me nuper reſcripſit R. P. Theodoricus du Mont: *Huius Collegij ſemina iecerat D. Didacus de Torres, aliàs Iacobus de Germes Athenſis, magni nominis apud Indos negotiator, frater Nob. viri Ægidij de Germes, Domini de Iardincelle, & Progubernatoris Athenſis; & in ſpem fundationis poſtmodùm mittendæ, domum ſuam cum quibuſdam mobilibus Societati donauerat.*

Sed dotationis (quæ iuſtis de cauſis intercidit) effectu retardato, & ſpe imminutâ, præfatus Progubernator redemptam, atque de nouo exædificatam, ſuæ familiæ reddidit. Vnde factum eſt, vt primarius huius Collegij author & fautor extiterit Illuſtriſsimus D. Franciſcus Vander-Burch Archiep. Cameracenſis; qui diſſoluens Caſtro-Cameraceſij miſsionem, quatuor operarios Athum mitti procurauit, bonâ parte alimentorum ex ære proprio additâ pre-

tio

tio dicta domus reuenditæ ; & deinceps viuẽs ac moriens eandem Familiam fauoribus ſuis amplificauit. Hucvſque dictus P. Theodoricus.

Primi autem quatuor hi coloni (ſic vt præfertur) miſſi ; Athum venêre an. prædicto 1621. 21. Ian. ad faciendam ibi reſidentiam, particulari domo ad tempus in foro beſtiarum conductâ.

Creſcentibus exinde nummis ac numero, Reſidentia in Collegium tranſmutata fuit, alterâ domo ſecùs antiquum oppidi Pedagogium comparatâ ; in quâ & hodie reſident, Latinis literis, & ſacris moribus Iuuentutem erudientes ab an. 1628. quo ſub initium Iunij Scholæ ibidem apertæ. Sed & inde modò tranſlati vltra flumen conſident, incœptas priùs Eccleſiæ operas proſequentes.

DISTINCTIO VI.

Hallenſe.

NOuiſſimum Hannonicæ Societatis Collegium (licèt præcedente ſæculo bis,& iterum per operã & vota in eſſe cœperit) Hallis extare ſolet demum ab anno 1621. quo Kalendis Februarijs in vnum *Anno 1621.*

 coaluit,

coaluit, primis colonis de Principis mandato Bruxellâ emiſſis, *procurante & ſatagente Illuſtriſſimo D. Franciſco Vander-Burch Archiep. Cameracenſi, quem verè Parentem habet Hallenſis familia.*

Et meritò, tũ quia alimenta in tres annos dictæ familiæ addixerit, eidem in perpetuùm vnito parochialis Eccleſiæ Perſonatu; tum quia Magiſtratui contra dictæ Societatis admiſſionem plurima alleganti reſpondere iuſſus, tanto id rationum verborumque pondere fecerit, vt ijs Princeps noſter æquiſſimè permotus, mox Senatui per literas dictam admiſſionem iniunxerit, & multa alia, quæ hîc breuitatis ſtudioſo longum eſſet digerere.

Obiter interim ſubijcio dictos Patres cũ imperio (vt præfertur) huc tranſmiſſos fuiſſe, partim vt indigenarum & peregrinorum confeſſiones exciperent, quia tunc ibi audientium infrequens copia; partim vt alterius Nepotiani miniſterio, quod ibi quoque neglectum erat, perfungerentur.

Ijs autem ſic, & ad eos fines exceptis, de honeſtâ domo ex tempore prouiſum; ſed haud diu pòſt ad eam ſe tranſtulerunt, quam hodie inhabitant prope Eccleſiam, priuato Sacello intùs contenti;

ti; nec enim egent, aut egere deinceps poterunt particulari Baſilicâ, eò quòd vicina perpetuis eorum vſibus addicta ſit; ad quam ſingulis annis 9. die Auguſti transferre ſolent corpus *S. Apapiti Diaconi martyris*, ad publicum cultum Româ huc delatum an. 1627. quâ de re, & alijs notatu dignis multa habeo dicere & ſcribere, ſed modò non poſſum per iniunctam mihi breuitatem; proinde latiùs & exactiùs ſecundis curis ex commentario cui titulus: *Imago primi ſæculi Societatis Ieſu.*

CAPVT II.

De Congregatione Oratorij.

SANCTVS Philippus Nerius Florentinus, Romæ inſtituit Congregationem Oratorij, à Gregorio XIII. anno 1575. confirmatam. Moritur vitâ, & miraculis clarus, anno Chriſti 1595. ætatis ſuæ 80. 26. Maij.

Porrò ex eâ Congregatione fuerunt Cæſar Baronius, Thomas Bzouius, & alij viri quamplurimi ſancti, & docti; quorum veſtigia nouiſſimè ſequutus eſt Petrus Berulius *vir nobilis ſanctus & doctus, qui, dicti S. Philippi exemplo, Oratorij Congregationem in Galliâ excitauit anno currentis ſæculi vndecimo, ipſo die S. Martini Turonenſis, Paulo V. Papa adprobante.*

Ac primum quidem Pariſijs Oratorium Berulius inſtituit, & alia deinde toto Regno ſtabilita ſunt in Domino Ieſu. Sed & poſtea in Belgicæ noſtræ Prouincijs alia & alia ſunt erecta, quorum omnium primum in Monte-Acuto conſtitutum fuit anno 1624. ab Illuſtriſſimo D. Iacobo Boonen Archiep. Mechlinienſi.

Et verò quantum multiplicationis ab illo primo Belgij Oratorio acceſſerit, teſtantur alia non pauca, videlicet Louanienſe, Bruxellenſe, Tempſecanum, Duacenſe, & alia alibi; notanter apud Hannones Cheruienſe, Branienſe, Malbodienſe, Sonegienſe, Montenſe, & Bauacenſe.

Priuſquàm verò ſex poſteriorum exordia deſignem, generaliter hîc præmoneo alia ex ijs eſſe Nerianæ inſtitutionis, & alia Berulianæ. *S. Philippi Nerij inſtitutum ſequuntur Cheruienſe, & Branienſe; cætera quatuor adinſtar dictæ inſtitutionis Berulianæ ſeſe componunt.*

ponunt. Sed his ita præfatis, ordiamur à Cheruienſi Oratorio, velut cæterorum antiquiore.

DISTINCTIO I.

Oratorium Cheruienſe.

DElectare in Domino Cheruia, quia optimum Hannoniæ Oratorium in te à proprio Paſtore plantatum ſit. Quis eſt hic ? & poſt mortem laudabimus eum, nam ſibi, & ſuis ſalutare inſtitutum aſſumpſit anno 1626. *Anno 1626.*

Eo ſiquidem anno erecta & instituta fuit Congregatio Presbyterorum Oratorij in oppido Cheruienſi, Vrbano VIII. Pontifice; Franciſco Vander-Burch Archiepiſcopo Cameracenſi; Philippo IV. Rege Hiſpaniarum; Iſabellâ Alberti Principis Belgarum viduâ; Carolo Philippo de Croy Duce de Haure, Marchione de Renty, dicti oppidi Domino; Martino de Worden eiuſdem Baliuo: Idque ad inſtantiam & preces *R. D. Ioannis de le Motte* S. Theol. Lic. & Paſtoris Cheruienſis, vt patet ex literis dicti Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi ad eundem ſcriptis prædicto anno 1626. menſis Octobris die tertiâ.

Eâ autem Congregatione ſic, vt præ-

ſertur, inſtitutâ, & per Ordinarium approbatâ, eiuſdem alumnis de honeſtâ reſidentiâ prouiſum: Et quò hi ad vberiores animarum fructus proferendos excitarentur, eiuſdem Paſtoris piâ ſollicitudine dictæ vrbis Paſtoratus prætacto Oratorio in perpetuùm vnitus fuit de conſenſu Reu. Adm. D. Abbatis & Monachorum Einhamenſium, prçuiâ nimirum auctoritate prędicti Vrbani Pontificis, cuius eâ de re Bulla ſic incipit: *Cùm inter vberes fructus &c.*

DISTINCTIO II.

Branienſe.

Anno 1628. SEcundo huic Oratorio initium dedit *R. D. Iacobus le Viſſe S. T. Lic.* ciuis & Paſtor Branienſis, ſimulque Canonicus Metropolitanæ Cameracenſis Eccleſiæ, & demum per literas Archiepiſcopales primus ac perpetuus dicti Oratorij Præpoſitus conſtitutus.

Qui cùm ab an. 1619. vineam Domini ſedulò excoluiſſet, meliorum deinceps chariſmatum æmulator, cooperarios aliquot Chriſti Miniſtros, S. Philippi Nerij exemplo, congregare incœpit anno 1628. præuiâ nimirum licentiâ Illuſtriſſimi

mi D. Franciſci Vander-Burch Archiep. Camerac. in ſcriptis hoc modo datâ: *De ſalute Dominici gregis curæ noſtræ commiſſi &c. Datum Caſtelli Cameraceſij anno Domini 1628. menſis Februarij die tertiâ.*

Quinto autem pòſt menſe, prima dictæ Congregationis ſolemnitas in feſto SS. Petri & Pauli Apoſtolorum celebrata fuit, prædicto Archiepiſcopo eandem ſuâ pręſentiâ condecorante, & venerabile Sacramentum, poſt ſolemnis Miſſæ in Pontificalibus celebrationem, per oppidum deferente.

Cæterùm, vt nouellæ huius Congregationis Presbyteri ſpiritualia ſerentes, temporalia ſubinde meterent, dicti oppidi Paſtoratus huic ipſorum familię in perpetuùm vnitus fuit anno 1630. de indultu illuſtrium S. Waldetrudis Canonicarum, quæ iuri ſuo ceſſerunt ad requiſitionem præfati Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi.

Ex quo Sanctiſſimus Dominus noſter Vrbanus VIII. ad inſtantes ſupplicationes Sereniſſimæ Belgarum Principis Iſabellæ, perpetuæ vnionis literas conceſſit Romæ datas anno prædicto 1630. menſis Octobris die octauâ, quæ ſic incipiunt: *Romanum decet Pontificum, quem cæleſtis Pater Vineæ ſuæ electæ ſupremū Cuſtodem & cultorem conſtituit &c.*

DISTINCTIO III.

Malbodienſe.

Anno 1627. HVius Oratorij fundamenta poſuit *R.D. Petrus du Bois* Paſtor & Archi-Presbyter Malbodienſis; qui bono odore Berulianæ inſtitutionis olfacto, eiuſdem Congregationis apud ſe excipiendæ deſiderio exarſit; præſertim vt reſciuit iſtiùs Congregationis Patres ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Archiepiſcopo Mechlinienſi aduocatos de mandato ſuæ Celſitudinis piæ memoriæ Iſabellæ, & de facto Louanium aduenisse; quos & adiuit, vt pleniùs de ſtatutis & modo viuendi eorumdem informaretur.

Nec ſatis; vltra deſiderium progreſſus eſt, haud diu pòſt conſulto eâ de re Archiepiſcopo ſuo Cameracenſi; à quo fauorabili reſponſo munitus, nouellæ Berulij Familiæ apud ſe collectæ ſeipſum adiunxit, & alios deinceps aſſociare ſtuduit ab anno 1627.

Fundum, itemque alia ipſe elargitus, aut ab alijs impetrans, Fundatoris nomen meruit habere, & etiamnum habet. Sed & in ipſo fundo, quem hodie incolunt di-

cti

cti Patres, præter ædificia, & hortos variè diſtinctos, iuſtæ capacitatis Eccleſiam ſuperſtruxit, anno 1628. Dominicâ 4. poſt Paſcha dedicatam.

Adhæc, ne idipſum Oratorium temporalibus deinceps auxilijs deſtitueretur, Eccleſiæ D. Petri Paſtoratum dictæ Congregationi ab Vrbano VIII. in perpetuùm vniri procurauit, quâ de re Pontificis extant literæ Romæ datæ anno 1636. & ſic incipiunt: *Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Officiali venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Cameracenſis &c.*

DISTINCTIO IV.

Sonegienſe.

HVius Oratorij Congregatio initium cepit anno 1629. fundante expertiſſimo Domino *Andrea de Treuigij* Italo; quâ de re ſic mihi nuper ſcripſit R.P. Iacquier eiuſdem Congregationis Superior. *Anno 1629.*

Anno Chriſti 1629. decimo quarto Kalendas Nouembris, ſub felici auſpicio Ieſu & Mariæ, poſita ſunt prima fundamenta domus Congregationis Oratorij Soneſijs. Fundator eſt Dominus Doctor Andreas Treuigij, quondàm medicus ſuæ Celſitudinis.

Subdit

Subdit deinceps, *pio fundatori animum ſuiſſe Gymnaſiũ erigere, vbi adoleſcentes Latino idiomate inſtituerentur; ſperabat ſiquidem fore, vt ſibi auxilio eſſent Canonici Soneſienſes ad illud opus promouendum. Quia verò hac in parte ſe remiſſiùs habuerunt, factum eſt vt animum mutârit, ſicq; res manſit infecta. Vnde poſtmodùm Patres Oratorij ab illo onere docencendi liberauit.* Hæc ille ex domeſticis Archiuis.

DISTINCTIO V.

Montenſe.

Anno 1631. HVic Oratorio ſub felicibus auſpicijs Domini Ieſu, anno eiuſdem Ieſu Chriſti 1631. fundamenta ſubiecerunt duo fratres, Patriciæ & Conſularis ſtirpis Presbyteri; vnus quidem *Guilielmus*, alter autem *Ægidius du Mont* cognominati: Qui nouellam familiam humaniter exceperunt, propriâ domo ſubcaſtrali in ſacros vſus conceſsâ; multiſque dehinc ciuium filijs eidem familiæ adiunctis, quibus in regimen & exemplum adſcitus R. Pater Robertus, de beneplacito Illuſtriſſimi D. Franciſci Vander-Burch Archiepiſc. Cameracenſis.

Prędi-

Digitized by Google

Prædictam domum aliquot annis Patres inhabitârunt, rem diuinam in particulari atrio facientes; donec aptior dómus coëmpta, in quâ dictorum Patrum Congregatio etiamnum reſidet, fauoribus & liberalitatibus *Reuerendi D. Ægidij du Mont Præpoſiti Sonegienſis, & patrui ſupradictorum dominorum Guilielmi & Ægidij du Mont*, notabiliter obligata; notabiliùs verò *R. Patri Antonio Beraldo*, venerandæ ſenectutis de huius Oratorij Familiâ Presbytero.

Hic nutantem Domum ſuâ liberalitate, & opibus à Deo conceſſis ſuffulcit & corroborat; ita vt dicti Oratorij fundator cenſeatur, & reuerâ ſit.

DISTINCTIO VI.

Bauacenſe.

VVlgo dicitur, quòd *inter arma ſilent leges*, & tamen inter bella literæ Bauaci pullulârunt anno 1637. quo Landreſium à Francis interceptum. Tunc nonniſi militum clamor in viciniâ reſonabat; & tamen noua Oratorio ſedes hîc quæſita, annitente, & mediante prædicto *R. Patre Antonio Beraldo Cameracenſi, Congregationis Oratorij Presbytero*; qui peruetuſtæ huius *Anno 1637.*

vrbis

vrbis ſolitudini condolens, eandem conſolari & lætificare occupauit per introdu-ctionem Oratorij, quod ipſe proprijs sũptibus excitaret, dotaretque.

Igitur nouam familiam de Ordinarij cõſenſu huc introduci curauit anno, quo ſupra, & collocauit è regione parochialis Eccleſiæ, primorum Patrum coloniâ è vicino Malbodio deductâ; tum ad Iuuentutem Chriſtianis moribus imbuendam, tum ad rudem populum in diuinis efficaciùs formandum.

Et verò cùm hæc ipſa Familia fundo ſuo, vt prefertur, donata, non haberet in promptu, vnde ruinoſam domum innouaret, prætactus fundi donator certam pecuniæ ſummam ſupererogauit, ad erigendũ particularis ædificij corpus, ſacello, cellis, alijſque neceſſarijs officinis interſtinctum. Laus hîc Fundatori, & benefactori gratia, præmium in Superis eſto.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

De antiquorum Sacerdotum Congregatione.

LIcèt iſta Congregatio nec Monaſtica, nec Regularis, nec Canonica ſit; non tamen incongruè Regularibus Clericis annecti, aut potiùs ſubnecti poteſt, quia prædictæ Congregationis Sacerdotes in vnum collecti, cœnobiticè viuant communi habitaculo, victu, & veſtitu vtentes; ſed & ipſos Religioſos æmulantes, obediant & ſubiaceant Prępoſitis ſuis; *ſeipſos interim pro ſalute ſuâ adhortando, inuicem conſolando, Deumq́; totius conſolationis benedicendo; quia longitudine dierum ab eo repleti, in ſancto eius ſeruitio vnanimiter perſeuerent exſpectantes beatam ſpem.*

Duplici autem fine Cœnobitica hæc Congregatio à Maioribus noſtris inſtituta eſt; partim vt dicti Sacerdotes, paſtorali aut alteri oneri præ ſenio impares redditi, requieſcant à laboribus ſuis; partim etiam, ne per concomitantem

pauper-

Digitized by Google

paupertatem, clam & palàm emendicare cogantur, vt quemdam hodie videmus Montibus.

Cui euentui & malo, vt Patres noſtri occurrerent, non ſolùm ad cautelam, ſed etiam ad bonum exemplum, pauperibus & decrepitis Sacerdotibus publica diuerſoria fundârunt, è quibus vnicum dumtaxat apud nos Valencenis *agnoſco. Vtinam verò, quod ibi piè & laudabiliter inſtitutum eſt, idem quoque Montibus, & alibi, vbi ſunt hodie numeroſi Sacerdotes antiqui & pauperes, fundarent opulenti Clerici, aut ſæculares, ſuperfluum ſui ſtatus in piam fundationem erogando; optimè per hoc de vniuerſo Clero merituri, & facturi amicos de Mammona iniquitatis. A quo voto, ad deſcriptionem prætactæ fundationis Valencenenſis tranſeo.*

DISTINCTIO PRIMA & Vltimà.

Congregatio pauperum Sacerd. Valenc.

Anno 1446. CVm mendici & ſenes Presbyteri numero Valencenis augerentur, *Petrus* quidam *Brognart* Eccleſiaſtes, miſericordiâ in eos motus, fundum & domum coëmit in ſuburbano d'Anſain, pro conſtruēdis Xenodochio & ſacello S. Gregorij nomine poſtmodùm dicato; vbi nimirum

nouem

nouem ſenes Presbyteri exciperentur, & fouerentur.

Fuêre ab anno 1446. vel ante; nam exſtat tunc diploma *Philippi Boni* Brabantiæ Ducis, recipientis eos in tutelam, dictumque fundum ab omni laicorum poteſtate eximentis. Verùm prædicto eorum Fundatore humanis exempto, locum ijs ſuum aſſignauit & ceſſit (mira pietas!) *Guilielmus de Sanctis* Canonicus Aulæ Comitis; ceſſit, inquam, ijs propriam domum, quã in S. Gaugerici cœmiterio habebat, alteri nimirum pro quietâ manſione aptiorem: Ad quam è priori domicilio S. Magdalenæ Sororibus poſtmodùm adſignato, (vt infra ſuo loco dicam) commigrârunt anno 1482. vigore literarum Philippi Archiducis Auſtriæ, Brabantiæque Ducis, idipſum adprobantis.

Ex quo tempore, primitiuo S. Gregorij patrocinio exultantes, & hîc, & in vicinâ Eccleſiâ Domino Deo dignè & laudabiliter etiam nunc ſeruiunt, *exſpectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei.*

LIBER VIII.

Nouæ, & veteres Virginum ac Viduarum Congregationes à votis liberæ.

PROLOGVS.

VIrgines viris immediatè ſubnecti rectus ordo poſtulat: Subijcio proinde Liberatū virginum & viduarum receptacula, aut ſi mauis, Cœnobia apud Hannones hodie frequentia, ſed olim frequentiora; alia enim in cineres & obliuionem abierũt; alia in alios vſus mutata ſunt, pro vt de multis Beguinagijs euidenter patebit.

Nec mihi quiſquam hîc obijciat, quòd illæ ipſæ (de quibus agam hoc libro) non emittant vota; ſufficit enim mihi tanquam Cœnobiales deſcribere, præſcriptâ honeſtioris vitæ formulâ vtẽtes; & notanter Præpoſitis ſuis obedientiam & caſtitatem, ad inſtar Religioſarum, promittentes: Quod quidem ſacrificium etiam Deo acceptabile; nec enim coactâ ſeruitute in omnibus ſuis creaturis delectatur; proinde alios vno modo, & alios

altero

altero ad ſe trahit; adeò vt ineffabilis eius Prouidentia in ſui diſpoſitione non fallatur, dum alias per votorum emiſſionem, & alias per liberam ſeruitutem cœlum lucrari permittit.

Vnum illud contra tales obijci poſſit, quòd aliquæ ex ipſis ad nuptias olim tranſierint, & etiam nunc tranſire poſſint; ſed rarò admodùm, rarò inquam, Hannoniæ frigora hunc ignem ſentiunt, & in numeroſâ progenie perpaucæ inueniuntur, quæ ſacrum flammeum cum profano mutare velint; initi enim propoſiti tenaces caſtam amant ſolitudinem, & ſuaue putant D. Virginis exemplo virum non cognoſcere, & immundo hoc mundo non vti; aut ſi vtantur, tanquam non vtẽtes ſunt iuxta Apoſtoli conſilium.

Sed his ita in genere præmiſſis, veniamus ad ſpeciale *Beguinarum* inſtitutum, quia antiquius ſit, & ab eo ad earumdem Cœnobia, ſeu Beguinagia.

CAPVT I.

De Beguinarum inſtituto.

ETſi non ignorem Beguinas inter Religioſos virginum cœtus minimè cenſeri; quia tamen nonnulla his eas proximè coniungunt (quandoquidẽ veſtis ipſa aliquid Religionis deſignet, cœlibem ipſæ vitam ducant,

intra ſepta commorentur, & quoſdam orationis gratiâ cõuentus habeant) non putaui quidquam alienum à re meâ me deinceps hîc facturum, ſi ſingularum in Hannoniæ tractu Domicilia & Congregationes ſubtexam; quamuis non æquè frequentes & celebres, ac ſunt Flandriæ, & Brabantiæ Beguinagia, quæ ſunt inſtar oppidulorum, notanter Louanij, Bruxellis, & Mechliniæ: At noſtra paruo loco pleraque concluſa, nullum habent præfixum Confeſſarium aut Paſtorem, ſed frequentant Eccleſiam ſuam Parochialem ſine ſpeciali ſubiectione.

Iam ad earum inſtitutum quòd attinet, paucis habe, quæ ſequuntur.

Anno Domini 666. in Belgio, prȩter ſalutares alios Ordines, inſtituta fuit laudabilis Beguinarum Congregatio, nomen ſortita à D. Begga S. Gertrudis ſorore, ac Pipini primi Brabantiæ Ducis filiâ: Qui permiſit vtrique prȩdictæ filiæ ſuȩ, ſpirituali ſe vitȩ traducere. Sanctâ autem Gertrude virgine exiſtente ac permanente, Begga, poſt mariti Anſigiſi obitum, palatium ſuum ac Curiam ſȩcularem in ſpiritualem Aulam & Congregationem conuertit: Ac inde factum, vt huiuſmodi loca non Clauſtra, vel Cõuentus vocentur, ſed Curiȩ, in memoriam quòd primùm à tam dignâ Principe ſint inſtituta. Ita Ioſephus

Principium. Geldol-

Geldolphus à Ryckel Abbas in ſuo de S. Beggâ, & Beguinis Cōmentario, *in quo & Erycij Puteani de ijs ſuffragiū, & 14. rationes ſuſtinentes Begginas à S. Beggâ primitùs fundatas eſſe, minimè autē à Lāberto Beguio Presbytero Leodiēſi; licèt eiuſdē tēpore (ſub finē duodecimi ſaculi) magnos progreſſus fecerit hoc cælibis vitæ inſtitutū in Brabantiâ, Flandriâ, Hannoniâ, Artheſiâ, & in alijs Belgij Prouincijs, quia tunc (Leodij maximè) mulieribus & puellis, quæ caſtè viuere proponerent, præmium caſtitatis verbo & exemplo prædicârit: Vnde & ipſe Beguinarum Patriarcha, pro vt S. Begga Patrona, dici poteſt.*

Cæterùm varij Beguinarum ſunt Ordines, & diuerſi habitus; aliæ enim ſunt viduæ, quales Malbodij; aliæ vetulæ virgineſque, quales Montibus in Cātiprato; ſed & aliquæ griſeis, aliquæ nigris veſtibus vtuntur cum, & ſine velo capitis albo; aliquæ nigro ſcapulari vtuntur, maximè in Brabantiâ: Sed vnus omnibus cœlibatus eſt, vt cuiuis notum.

Sed tamen obijciant hîc quidam Begginarum ſtatum à Clemente V. fuiſſe damnatū anno 1311. pro vt habetur Lib. 3. Clementinarum Tit. XI. Cap. I. quod ſic incipit: Cùm de mulieribus quibuſdam &c. *Vt his cum Molano reſpondeam, legant ipſi Ioannis XXII. Extrauagantem quæ ſic incipit:* Recta ratio non patitur; *eaq; perlecta, ſtatim comperient antedicta*

intra ſepta commorentur, & quoſdam orationis gratiâ cõuentus habeant) non putaui quidquam alienum à re meâ me deinceps hîc facturum, ſi ſingularum in Hannoniæ tractu Domicilia & Congregationes ſubtexam; quamuis non æquè frequentes & celebres, ac ſunt Flandriæ, & Brabantiæ Beguinagia, quæ ſunt inſtar oppidulorum, notanter Louanij, Bruxellis, & Mechliniæ: At noſtra paruo loco pleraque concluſa, nullum habent præfixum Confeſſarium aut Paſtorem, ſed frequentant Eccleſiam ſuam Parochialem ſine ſpeciali ſubiectione.

Iam ad earum inſtitutum quòd attinet, paucis habe, quæ ſequuntur.

Anno Domini 666. in Belgio, pręter ſalutares alios Ordines, inſtituta fuit laudabilis Beguinarum Congregatio, nomen ſortita à D. Begga S. Gertrudis ſorore, ac Pipini primi Brabantiæ Ducis filiâ: Qui permiſit vtrique prędictæ filiæ ſuę, ſpirituali ſe vitę traducere. Sanctâ autem Gertrude virgine exiſtente ac permanente, Begga, poſt mariti Anſigiſi obitum, palatium ſuum ac Curiam ſęcularem in ſpiritualem Aulam & Congregationem conuertit: Ac inde factum, vt huiuſmodi loca non Clauſtra, vel Cõuentus vocentur, ſed Curię, in memoriam quòd primùm à tam dignâ Principe ſint inſtituta. Ita Ioſephus

Geldol-

Geldolphus à Ryckel Abbas in ſuo de S. Beggâ, & Beguinis Cõmentario, *in quo & Erycij Puteani de ijs ſuffragiũ, & 14. rationes ſuſtinentes Begginas à S. Beggâ primitùs fundatas eſſe, minimè autẽ à Lãberto Beguio Presbytero Leodiẽſi; licèt eiuſdẽ tẽpore (ſub finẽ duodecimi ſaculi) magnos progreſſus fecerit hoc cælibis vitæ inſtitutũ in Brabantiâ, Flandriâ, Hannoniâ, Artheſiâ, & in alijs Belgij Prouincijs, quia tunc (Leodij maximè) mulieribus & puellis, quæ castè viuere proponerent, præmium caſtitatis verbo & exemplo prædicârit: Vnde & ipſe Beguinarum Patriarcha, pro vt S. Begga Patrona, dici poteſt.*

Cæterùm varij Beguinarum ſunt Ordines, & diuerſi habitus; aliæ enim ſunt viduæ, quales Malbodij; aliæ vetulæ virgineſque, quales Montibus in Cãtiprato; ſed & aliquæ griſeis, aliquæ nigris veſtibus vtuntur cum, & ſine velo capitis albo; aliquæ nigro ſcapulari vtuntur, maximè in Brabantiâ: Sed vnus omnibus cœlibatus eſt, vt cuiuis notum.

Sed tamen obijciant hîc quidam Begginarum ſtatum à Clemente V. fuiſſe damnatũ anno 1311. pro vt habetur Lib. 3. Clementinarum Tit. XI. Cap. 1. quod ſic incipit: Cùm de mulieribus quibuſdam &c. *Vt his cum Molano reſpondeam, legant ipſi Ioannis XXII. Extrauagantem quæ ſic incipit:* Recta ratio non patitur; *eaq; perlecta, ſtatim comperient antedicta* conſti-

conſtitutione non comprehendi, nec à Clemente comprehenſas eſſe honeſtæ vitæ virgines & mulieres, quæ in multis mundi partibus vulgò quoque Beguinæ vocantur, ſed prorſus alienæ à diſputationibus & erroribus. Proinde cùm idem Pontifex multorum relatu & literis didiciſſet plurimas eſſe Beguinas, quæ in Ciuitate & Diœceſi Cameracenſi dignè & laudabiliter viuerent, nemini dantes offenſionem, Petro de Mirepoix Cameracenſi Epiſcopo per Apoſtolicum ſcriptum mandauit, vt eaſdem nequaquam turbaret, & à ſuis turbari prohiberet, velut ſecundis curis latiùs probabo, tam per dicti Ioannis Papæ literas, quàm prædicti Epiſcopi, Commiſſarij à ſanctâ Sede deputati.

Sed his in fauorem & defenſionem Beguinarum generaliter prælibatis, ad rem meam venio, præmonens Beguinagia apud nos multa eſſe, ſed plura olim fuiſſe; quorum tamen nomina, & ſecutam tranſmutationem dabo.

§. 1. *Beguinagium Valencenenſe S. Eliſabeth.*

OMnium Hannoniæ Beguinagiorum celeberrimum eſt Valencenis, quod
Anno 1239. cætera vt numero, & merito perſonarum,

ita &

ita & antiquitate præcedit; vtpote fundari cœptum anno 1239. Cuius rei fidem faciunt literæ Guidonis Epiſcopi Cameracenſis eodem anno datæ, quæ ſic incipiunt: *Non ſolùm imitari, ſed etiam prædicare debemus &c.* Scribitur autem in ijs, quòd *Radulphus Prior S. Saluij, totusq; eius loci Conuentus, ad preces & conſilium dicti Epiſcopi, conceſſerint vnanimiter erectionem Hoſpitalis infra terminos Parochiæ S. Nicolai in vico de Salice, in quo Religioſæ mulieres* (hoc eſt piæ & deuotæ, ſic enim interpretandum pro iſtius ſeculi vſu) *quæ Beguinæ dicuntur, valerent immorari; & constructâ ibidem Capellâ, diuinis intereſſent officijs, & Eccleſiaſtica perciperent Sacramenta, &c.*

Ex quibus patet dictas mulieres ſiue Beguinas primitùs ſeorſim habitâſſe in Parochiâ S. Nicolai. Proceſſu autem temporis, cùm permultæ nobiles puellæ earũ exemplo prouocatæ, plurimas ædes dicto Hoſpitali adſitas coëmiſſent, anno demũ 1260. in vnam Societatem coaluerunt iuxta idem Hoſpitale, & ibi Canonicum ſaccum induerunt, ſic enim loquuntur antiqua loci Statuta.

Iijs verò in vnum collectis, mox dati Directores *Beggardi, de ſacco* cognominati; quorum hodie miniſterio perfungi

 ſolet

ſolet Ordinarius Paſtor cum aliquot Capellanis.

Libet his ſubiungere quædam de huius loci ſanctitate. Tradunt inprimis huius Beguinagij partem vulgo dici *Conuentum Angelorum*, propter Angelorum frequentiam, qui in eodem loco quandoque deambulare viſi ſunt. Sed & hic videre fuit ab Angelo delatum primæ Beguinæ caputegium, quod deauratâ capſulâ incluſum Gheuſij flammis tradiderunt anno 1566. Referunt adhæc puerulum Ieſum deuotæ cuidam huius loci alumnæ ad Eccleſiam eunti adparuiſſe in ipsâ Natiuitatis nocte; à quâ (vt erat hic ſeminudus) proprij capitis velo inuolutus fuerit, & lectulo illatus, minimè tamen poſt dictæ noctis officium repertus.

De his, & alijs ad maiorem huius loci antiquitatum notitiam pertinentibus; plura qui volet, prædicti D. *Ioſephi Abbatis* Commentarium legat in Notis ad vitam S. Beggæ §. 105. fol. 345.

§. 2. *Mon-*

Digitized by Google

§. 2. *Montenſe S. VValdetrudis.*

HVius Beguinagij fundationem D. *Franciſcus Vinchant* Margaritæ Comitiſſæ attribuit: Cùm enim Guido Ep. Cameracenſis, ad dictæ Comitis inſtantiam, de conſenſu Capituli S. Waldetrudis, Beguinagij Parochiam erexiſſet anno 1248. ibidem etiam Beguinas fundare incœpit, eaſq; Canonicarum regimini ſubmiſit: Vnde & hodie ijſdem ſubſunt, & ab ipſis præbendas dependentes accipiunt. Earum directrix *Mater ſuprema* vulgo *Souneraine* vocari ſolet, & talis ab omnibus honoratur. Anno 1248.

Cùm autem ipſarum Eccleſia primitùs Comis ſubeſſet, & *anno* 1345. *necdum ſeptis contineretur oppidi, titulo tamen Curiæ Beguinagij clareret, vtpote à ſenioribus aliquot inhabitata feminis, ſub honeſtæ conuerſationis regulâ ſine voto viuentibus; vt deinceps Cantipratenſium rei conſuleretur (populo præſertim locis illis creſcente) erecta fuit in Parochiam, auulſaq; à Quemmenſi.* Sic Nic. Guiſius in ſuâ Metropoli Cap. 52.

§. 3. Domus

Digitized by Google

§. 3. *Domus Sororum Pauperum intra ſepta Beguignagij Montenſis.*

Anno 1350. PRÆmiſſis Beguinis poſteriores, à tribus hîc agunt ſęculis *Pauperes Sorores*, licèt earum Eccleſiola anno demum 1519. dedicata fuerit à Reuerendiſſimo D. Ioanne Briſelot Suffraganeo Cameracenſi.

Quâ autem ratione, & quibus initijs fundatæ fuerint, ſic noſter enarrat *Guiſius Metropolis ſua capite* 54. *Beatrix de Ponte Suprema Curiæ Beguinagij, communitatis aſſenſu anno* 1350. *ad vſum Beguinarum pauperum, numero nouem, domū in diſtrictu Curiæ contulit, quas ſibi voluit eſſe ſubditas. Donationem hanc anno* 1378. *Domicellæ Capituli S. VValdetrudis obfirmârunt: Quâ confirmatione rata fuit & iſta conditio, vt domus conceſſa reuocaretur in Curiæ Beguinagij maioris proprietatem, ſi forſan accideret è pauperibus Beguinis nullas eſſe ſuperſtites. Indigetantur & hæ nunc temporis Sororum Pauperum nomine.* Iſta Guiſius.

§. 4. *Anghienſe Beguinaſium.*

HVius & inter cætera Beguinaſij meminit *in ſuâ Beggiade dictus Geldol-*

phus

phus Abbas, ſed generaliter dumtaxat memorans de pietate, quæ *prima & altiſſima omnium origo, petra, & Sara, ad quam iubet nos attendere Iſaias:* Proinde cùm nihil ſingulare de ipſo referat, eius antiquitas in alijs quærenda fuit.

Certè quo anno, quoue authore cœperit, necdum ſcire potui, licèt bis, terue diſquiſiuerim in loco ipſo. Legi interim in *Hiſtoriâ Angianâ D. Colins* primitùs extra vrbem conſtitutum fuiſſe, & quidem ante an. 1255. quo diffuſa Anghiæ trans pontem pomœria; & inde antiquitatem colligere ſit, pro vt ex certâ fundatione Capellaniæ, quam Walterus II. Anghiæ Dominus in hoc loco dotauit anno 1292.

Quid ad hęc addere poſſim, non habeo, niſi quod his oculis nuper arbitratus ſum.

Habitant ipſæ ſegreges, numero viginti ſeptem, in imâ regione oppidi, quæ trans aquas vſque ad mœnia protenditur; vbi muris circumcinctæ (ſicut & aliæ innumeræ per Belgium) licèt vota non ligent, immobiliter hærent vni loco, in quo ſe ſponte conſtituunt, non neceſſitate.

Habuerunt olim in ſacros vſus ædiculam S. Crucis, intermediâ plateâ ab ipſis

ſeque-

ſequeſtratam: Eâ verò ſuperioribus annis propter anguſtias deſtructâ (relicto interim ad rei memoriam adiacente cœmiterio) nouam à fundamentis intra ſepta conſtruxerunt; quam anno 1642. perfectam haud diu poſt dedicauit, ad nomen SS. Alexij, Magdalenæ & Beggæ, Illuſtriſſimus D. Franciſcus Vander-Burch Archiep. Cameracenſis.

§. 5. *Athenſe. deſijt.*

Anno 1416. NEc Atho tertio Hannoniæ oppido, penitus ignotum fuit S. Beggæ genus; nam & ibi in ipſo fere vrbis meditullio parthenonem habuit ab anno 1416. quo quidam ciuis propriam domum ad ſacros Beguinarum vſus donauit, Guilielmo Bauaro Hannoniæ Comite, totum id pietatis approbante.

His initijs bonæ virgines cœperunt, & quadraginta plus minùs annis in eo ſtatu perſeuerârunt. Tandē verò, arctioris vitæ deſiderio, ſub annum 1464. regulam clauſtrumq́ue aſſumpſerunt, diui Auguſtini Regulares effectæ; quo & hodie titulo gloriantur.

Digitized by Google

§. 6. *Leſſinenſe. deſijt.*

FVit & olim Leſſinis Beguinagium largiter dotatum, an non fortè à Ioannâ aut Margaritâ, huic S. Beggæ inſtituto addictiſſimis Heroinis? opinari liceat, quia id opidum Flandriæ olim extiterit, & cætera totius ferè Flandriæ Beguinagia eaſdem Fundatrices agnoſcant.

Vt vt ſit de tempore & fundatione, in ſcriptis extat vaſtato priùs per bella loco, eundem D. Franciſci ſororibus obtigiſſe anno 1470. quibus poſtea ſubſtitutæ fuerint Auguſtinianæ, vulgo *Nigræ Sorores* dictæ.

§. 7. *Hallenſe. deſijt.*

FViſſe etiam in hoc oppido Beguinagium opinio eſt, ſed opinio tantùm, quæ vnicà hac coniecturâ nititur ex eo, quòd in veteri Regiſtro Cameracenſi legantur *Begginæ de Hallis*: Sed nomen id, etiam ad Religioſas, olim extenſum fuiſſe docet *Wichmannus Brabantiâ ſua Mariana Lib. 3. Cap. 36.* ac proinde Hoſpitalariæ primitùs ibi collocatæ Begginę vocari potuerint, quarum hodie locum poſſident Tertiariæ.

§. 8.

§. 8. *Branienſe deſijt.*

QVando, & à quo præcisè fundatæ ſint huius oppidi Beguinæ, ſcire nō potui. Tradita per manus fides habet D. Nicolai Hoſpitale ab ipſis inhabitatum, curatum & directum; quibus tandem ſuffectæ fuerint Tertiariæ quoad loci beneficium & onus, Condato euocatæ anno 1528. pro vt ſuprà latiùs explicui.

§. 9. *Sonegienſe deſijt.*

BEguinæ Sonegienſes quo anno, & authore cœperint, necdum ſcire potui, certus ijs ipſis fuiſſe commiſſum Hoſpitale S. Iacobi, Montenſi portæ adſitum; donec tandē ab hoſpitalitate amotis ſubſtitutæ Tertiariæ, quæ primitiuo ægrorum obſequio ſeſe deinceps iugiter mancíparent.

§. 10. *Binchienſe S. Eliſabeth deſijt.*

DE primogeniâ huius Beguinagij origine qui ſcripſerit, ſcio neminem; quando videlicet, & à quibus fundatum ſit: Vnde & mirari ſubit *R. D. Ægidium*

VVaulde,

VVaulde, virum alioqui induſtrium & curioſum, nihil prorſus de eo tetigiſſe in ſuâ Binchij Sanctorum hiſtoriâ, cùm tamẽ in ipsâ varias Parochiæ ſuæ antiquitates recenſeat!

Sed originem ſileamus, quia nobis incognita ſit, minimè verò occaſum, qui ſuperiore ſæculo euenit; cùm enim quatuor dumtaxat Beguinæ ibidem ſupereſſent anno 1554. in generali tunc vrbis per Gallos incendio, earumdem domus cum vicino templo ab ipſis euerſæ ſunt.

Illud tamen paulò pòſt è ruinis & maceriâ in eam amplitudinem reſurrexit, vt magnam populi partem contineret; Deo interim hoc ipſum cum ſuis adiacentijs reſeruante genti meliorem fructum factureę, vt rei demonſtrauit exitus: Nam Recollectis Patribus de eo prouiſum fuit anno 1598. iniunctâ permutatione templorum & locorum inter iſtos & Beguinas; quibus & hodie in Cantiprato ſubſtitutæ Pœnitentes.

§. II. *Bellimontanum*.

HOc Beguinagium nomine tenùs notatum reperi in Obituario Abbatiæ de Thurâ; de quo, & præter nudum nomen, nihil

nihil habeo dicere, ſumque incertus, an hodie extet.

§. 12. *Malbodienſe.*

AVeſnenſi portæ contiguum eſt aliquot Beguinarum domicilium, antiquę, vt reor, fundationis, in quo paucæ quidem honeſtæ habitu, & vix à ciuili diſcreto degunt, nec flammeum habent; certis tamen legibus obnoxiæ nomenclationem Beguinarum etiamnum retinent, ſubſuntque diuæ Aldegundis Capitulo.

§. 13. *Aueſnenſe.*

NEc prætereundum hîc Aueſnæ Beguinagium, D. Magdalenæ ſacello ornatum, licèt primarium Authorem hactenus ſcire non potuerim, ſicut nec fundationis annum.

Singulare beneficium ſingulis Beguinis contulit anno 1534. Ludouica Albretia, huius oppidi Domina, ſic enim legitur in literis fundationis Canonicorum: *Prætereà expreſſè ordinamus, vt pro quinque feminis Beguinis in Beguinagio dictæ villæ noſtræ de Aueſnis reſidentibus, per nos & ſucceſſores noſtros nominandis, annis ſingulis, earum cuilibet ſumma decem librarum Hannoniæ cum*

Digitized by Google

vno modio bladi, perpetuis futuris temporibus perſoluatur; ac etiam (quòd pro vnâ Miſsâ, quæ ſingulis diebus Dominicis in Eccleſiâ B. Mariæ Magdalenæ celebrabitur) ſumma decem librarum & octo ſolidorum dictæ monetæ quolibet anno tradatur per dictos Canonicos; qui deſuper literas ſuas obligatorias dictis Beguinis, ſeu earum Gubernatoribus dare teneantur, &c.

§. 14. *Quercetenſe deſiit.*

EXtabat & olim Querceti parthenone Beguinarum, quas vt anno 1459. onus hoſpitalitatis à Regularibus S. Eliſabeth derelictum ſubſumpſiſſe lego; ita quo authore, quoue anno hîc congregari cœperint, neſcio: ſcio interim eaſdem penitùs deſijſſe anno 1514. quando nimirum Tertiariæ ijſdem ſubſtitutæ hodierno in vico, qui vſque platea Beguinarum dicitur.

EPILOGVS DE BEGVINAGIIS.

HActenus Prouinciæ noſtræ Beguinagia recenſui, quædam nomine tenùs dumtaxat, quædam verò ex profeſſo; ea videlicet, quorum antiquitas ex probatis Authoribus ad meam notitiam peruenit.

Siquæ alia ſint à præmiſſis, hucvſque ignoro: Alicubi tamen legi fuiſſe olim in Morlanuuez ca-

pellam Beguinarum, ex quo opinari liceat in eo vico fuiſſe Beguinagiũ, de quo, & alijs à me forſitan omiſſis, pro ſecundâ editione, inſtrui peto.

CAPVT II.

De Hoſpitalarijs.

M*VLTÆ ſunt virginum Congregationes, quæ ſæculo renunciant & Regulariter viuunt, in pauperum hoſpitalibus vel Leproſorum domibus, humiliter & deuotè infirmis miniſtrantes. Nullis alligatæ votis, in communi viuunt ſub vnius Maioris obedientiâ; & habitu Regulari ſuſcepto, perpetuam (quoad ibi fuerint) promittunt continentiam.*

Sobriæ, & ſibi parcæ, erga pauperes & infirmos miſericordiæ viſceribus affluentes, & prompto animo neceſſaria ſubminiſtrantes, quantò abiectiores ſunt in domo Domini in viâ, tantò gradum ſublimiorem conſequuntur in patriâ. Hæc, & alia in earum laudem proſequitur Iacobus Witriacus; *qui & multa ſubcenſet Hoſpitalia, notanter Tornacenſe, Leodienſe, & Bruxellenſe.*

Cæte-

Digitized by Google

Cæterùm inter Hannoniæ noſtræ Xenodochia ægris & peregrinis deputata, eminent in-primis ea, quæ publicis ſumptibus (ſi annui cenſus non ſuffecerint) paſſim aluntur, quale eſt Montibus, Valencenis, Athi, *& fortè alibi. Secundas obtinent ea, quæ leproſis excipiendis deſtinata ſunt, pro vt* Montibus, Leſſinis, *& paſſim alibi.*

Moneo hîc interim intentionis meæ non eſſe omnia & ſingula Patriæ Xenodochia deſcribere (nec enim finis eſſet, cùm vbique ferè ſint, etiam in pagis, pro quoquo modo malè affectis Leproſoria, & Noſocomia) *ſed ea dumtaxat, quæ à ſacris Virginibus Regulariter ſub vnâ Magiſtrâ viuentibus curantur, viſum hîc fuit breuiter perſtringere; cætera verò, quia non ſint Cœnobitica, aliorum ſcriptis memoranda relinquo.*

§. 1. Hoſpitale S. Nicolai Montibus.

IN genere Hoſpitalium, quæ Montibus extant, omnium celebrius, amplius, & ditius eſt ſancti Nicolai, eiuſdem parochiali Eccleſiæ adſitum: At quo fundatore, quoue præcisè anno cœperit, nuſquam reperire potui. *Ante annū 1181.*

Sanè eius antiquitatem teſtatur Bulla Lucij Tertij Papæ, ad Nicolaum S. Germani

mani Præpoſitum anno 1181. data, quâ ei & eiuſdem Fratribus conceditur ius in certas Eccleſias & Capellas, ſignanter *in Capellam infirmorum* S. Nicolai titulo primitùs notam, dictâque Parochiâ antiquiorem, eò quòd ipſa anno demum 1224. erecta fuerit, neceſſariâ dote ex dicto Hoſpitali deſumptâ.

Vanderhairius Ioannam & Margaritam fundatrices facit, ego benefactrices potiùs dixero; ac proinde ijs ipſis incrementum ſuum debet; debet & Senatui auxilia liberaliter danti per vnionem bonorum duplicis Xenodochij in Berte-Monte, & Haurçi portâ, foris per bella deſtructi an. 1300. ex quorum maceriâ & recidiuis lapidibus, aula pro decumbentibus ægris facta, ad annum vſque 1513. perſtitit: túc enim noua (vt modò viſitur) inſtaurata fuit; ſed maior illuſtriorque cum adiuncto ſacello perfecta an. 1557.

Cæterùm à ſui initio, locus iſte Magiſtratus protectioni & directioni ſubjacet; & olim ab eo certas virgines cũ peculiari Magiſtrâ habuit, quæ curandis ægris præeſſent, diuique Nicolai fauore, pontificale baculum in humeris præferrent.

Tandem earum loco inſtitutæ religioſi habitus virgines, aut potiùs ſubſtitutæ cum

cum regulâ & ſtatutis peculiaribus, Atho ex D. Magdalenâ electæ & collectæ anno 1518.

§. 2. *Hoſpitium Dei Valencenis.*

Pietatis & Hoſpitalitatis promouendæ ſtudio, *R. D. Gerardus Perfontaine* Canonicus Anthonienſis hanc Dei Domum Prædicatoribus adſitam erexit an. 1430. mediante tamen adiutorio confratrum S. Iacobi: Vnde & multa ipſe largitus, aut ab alijs impetrans, Conditoris nomen meruit habere. Immò verò ſorores curandis ægris addictiſſimas prouidit; hanc ipſam inſtitutionem cum ſuis ſtatutis adprobante Iacobâ Bauarâ Hannoniæ Comitiſsâ, pro vt conſtat ex eius literis Hagæ in Hollandiâ datis anno, quo ſupra. *Anno 1430.*

Primarum virginum colonia ex S. Audomaro huc traducta, eam breui multiplicationem fecit, vt earum ſuccedanea pars Louanium ad magni Hoſpitalis directionem vocata fuerit anno 1479. Sed & aliæ nuper hinc deſumptæ Duacum conuenerunt anno 1630. quæ parilis inſtituti Noſocomium de nouo erectum curarent.

§. 3. *Hoſpitale S. Magdalenæ Ath.*

Anno 1449. VIrginale id Collegium D. Iuliani templo adſitum, fouendis indigenis Athenſibus deſtinatum eſt ab anno 1449. quo Philippus Bonus Burgundiæ Dux ſacris virginibus ægros curaturis, bona ſua inferre permiſit, ijſdemque ad-inſtar ſęcularium vti, quas & à mortuæ-manus penſo in morte liberauit.

Ex his vocatæ, quæ Noſocomia partim formarent, partim reformarent; videlicet *Montibus* anno 1518. *Guiſlenopoli* 1600. *Leodij* 1610. & *Rhodij* 1625.

Subiacent ipſæ Parocho S. Iuliani, & Senatoribus; quorum interuentu Mater Superior ad gubernacula peculij domus huius deſignatur; deque aliâ, in locum demortuæ alicuius virginis ſubrogandâ, tractari ſolet.

§. 4. *Hoſpitale S. Lazari apud Leſſinam.*

VIdebitur fortaſſis loco non ſuo id Hoſpitale poſitum, quia pręmiſſo Athenſi vetuſtius ſit: Verùm quia præcisú erectionis tempus ſcire non potui, & quia ſuburbanum ſit, cæteris oppidanis viſum fuit ſubnectere.

Digitized by Google

Viſitur illud ad Angiæ portam (quâ in pagum Leſſinenſis nemoris iter eſt) vetuſtis muris ex parte cinctum, & velatis aliquot virginibus commiſſum ; à quibus recenter illac pertranſeundo didicimus, quòd perantiquæ fundationis ſint; ſed annum, immo verò ſæculum ignorant. Tenent verò id loci ad opus leproſorum fuiſſe olim fundatum à fratre & ſorore Leſſinenſibus.

Inter alia, peculiari inſtituto obligantur quoſlibet iſtius oppidi & regionis elephantiacos(Montibus tamen ad S. Lazarum vt tales iudicatos)recipere,& curare.

Numerum quaternarium non excedunt iuxta primæuam inſtitutionem; ſubiacent autem Parocho & Magiſtratui Leſſinenſi, à quibus hîc inſtallantur;& quamuis nulli regulæ adſtrictæ ſint, tamen inſtar Religioſarum velatæ , certa ſtatuta inter ſe ſeruant , ijſdemque diuerſorio & ſacello coütuntur , quod belli temporibus dirutum, & tandem inſtauratum dedicauit an. 1642. Illuſtriſſimus D. Franciſcus Vander-Burch Archiep. Cameracenſis in honorem SS. Nicolai, & Lazari.

Notet hîc curioſus Lector, cùm olim tempore Ieroſolymitanæ expeditionis ſæpiùs à Belgis noſtris repetitæ , plurimi ipſorum è Iudæâ le-

proſi redirent , plurima quoque vbique in Belgio erecta fuiſſe Leproſoria maiora, in quibus huiuſmodi hominum genus reciperetur. Ita apud nos in ſuburbano Montenſi erecta fuit Leproſaria anno 1214. ſicut & Valencenis, Athi, Leßinis, Angiæ, Sonegys, Binchÿ, Malbodij, Querceti, & paßim in alys vrbibus, vbi extra portas varia hodieq; extant Leproſoria ſacello, & ſacella⸗io peculiari ornata: Quia tamen à ſæcularibus (quod ſciam) diriguntur, minimè verò à virginibus, aut familys Cœnobiticè viuentibus (pro vt Mechliniæ in Monaſterio Leproſorum, in Terbanck prope Louanium, & alibi) de ÿs altum hîc mihi ſilentium.

Interim verò ſi quædam alia à quatuor præmiſſis Xenodochia (ſic vt præfertur) olim & nunc habere ſolita virgines ægris, & aliàs malè affectis ſubſeruientes, prætermiſerim, ſupercertari deinceps peto; hîc enim dumtaxat ſcripſi, quæ per hæc belli tempora ſcire potui, ſub ſpe ampliora & certiora perſcribendi, dum pacatiori tempore facilis acceſſus vbique daretur.

CAPVT

CAPVT III.

De Pœnitentibus S. Magdalenæ.

QVamuis Tornaci ab an. 1613. & poſtea Montibus, vota emittere cœperint, quia tamen ab initio non fuit ſic, ideò eaſdem hîc cō-ſtituo tanquam à votis liberas. Earumdem initia ſic deſcribit Locrius in ſuo Belgij Chronico ad an. 1222.

Gulielmus Epiſcopus Pariſienſis, Author libri, cui titulus, *Rhetorica diuina*, hac ipsâ * ætate ſuis concionibus, complures mulierculas turpi corporis quæſtu viuentes lupanaribus extraxit, ijſque domum nouam, quam filiarum Dei nuncupauit, Lutetiæ erexit. *Hactenus ibi.* *Vide Chronicon Mirei anno 1225.*

Sequutis autem temporibus quidam Ioannes Tiſſeran Minorita, ijſdem mulierculis, aut defloratis puellis quotidianæ immūditiæ ſeruientibus condolens, ſæpiùs has ipſas clam & palam arguit & obſecrauit, quatenùs D. Magdalenæ exemplo, dignos pœnitentiæ fructus facerent: vnde & plures ab eo conuerſæ, & varia mox ipſis exſtructa Monaſteria, etiam in Belgio; notanter Inſulis, Tornaci, Valencenis, & Mon-

tibus;

tibus; quamuis & prius Atrebati, Audomari, Gandaui; & neſcio an non alibi. Sed obiter, quæ noſtratia ſunt, delibemus:

§. I. *Domus Pœnitentũm S. Magdalenæ Valencenis.*

Anno 1452. PIus quidam ciuis Valencenenſis, nomine *Guilelmus de Sains*, extra portam d'Azin in præſtructâ antiquorum Sacerdotum domo, S. Magdalenæ Pœnitentes collocauit & dotauit an. 1452. ipſarum verò Eccleſiam Fortigarius Epiſc. Atrebatenſis dedicauit: Sed & immanentium curam dicto Guilielmo fundatori commiſit; id tamen oneris ab ipſo poſtea reiectũ fuit in Senatores: Quibus vſque incumbit delinquentes punire, vel carcere, vel expulſione.

Cæterùm ipſarum domus (dum Quercetum à Francis occuparetur) oppidi muris incluſa fuit an. 1476. ſed poſtmodùm in arcem conuerſa an. 1566. ne Gheuſij Catholicis tum præualentes, ciuitatem iſtã perderent, ſolo earum Oratorio Præſidiarijs relicto.

Ipſæ interim ſorores à priore ſuâ domo exturbatæ, cùm ſecùs Eccleſiam D. Iacobi pluribus annis in priuatâ domo ſeſe cõtinuiſ-

tinuiſſent, an. tandem 1611. priſtini ſui Conuentus reſtaurationem à Senatu impetrârunt.

§. 2. *Domus earumdem Pœnitentium Montibus.*

VAriant Authores in anno, & Fundatricis nomine. Guiſius in ſuâ Metropoli Cap. 69. Mariam Burgundicam cum anno 1480. adſignat; ſed P. Iacobus Simon in Notis ad vitam S. Waldetrudis, Margaritam Anglicam 1485. Fundatricem facit. Anno 1480.

Vt vt fuerit, non meis, ſed antiqui authoris *Leſſabei* verbis rem ſubijcio. *Magdalenæ ſacellum eſt* (anno demum 1526. ab Adriano Ep. Roſſenſi dedicatum) *cum publicis ædibus, excipiendis puellis; quæ ſicut exhibuerunt membra ſua ſeruire immunditæ & iniquitati ad iniquitatem, ita poſtmodùm exhiberent illa ipſa ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem*; modò tamen annum ætatis trigeſimum non ſuperarent, vt ſcribit dictus *Guiſius. Harum laboris & ærumnarum hic ſcopus eſt adſtare, ſuccurrere, & inuigilare peſtilenti lue correptis, quâ in re ſtrenuam nauant operam.* Hæc ille.

Cæterùm à primâ ſui fundatione libe-

ræ & exleges vixerunt, præſcriptâ honeſtæ vitæ methodo per Reuerendiſſimum D. Henricum à Bergis, donec tandem vel laboris circa infirmos tædio, vel magis arctioris vitæ deſiderio, meliuſculè ſibi cautum æſtimârunt, emiſſo ad præſcripta S. Auguſtini Religionis voto triplici, quod ab eis publicè & ſolemniter excepit Illuſtriſſimus D. Franciſcus Vander-Burch.

CAPVT IV. ET VLTIMVM.

De Congregatione filiarum Deiparæ.

P*Rædictis Virginum & Viduarum cœnobiticis Congregationibus ſubtexi poſſunt* Filiæ Congregationis B. Mariæ; *non quidem vt Religioſæ propriè dictæ, ſed quæ eas in aliquibus æmulentur, in communi viuentes, & particularibus Gynecæis hinc inde de nouo erectis gaudentes: Eſt enim earum inſtitutum ſat recens, & quinquaginta annos vix habet,*

habet quod ſciam. A quo tamen, & præciſè quando initium ſumpſerit, nuſquam in ſcriptis reperi.

Porrò hæc ipſa Deiparæ progenies puritate & caſtimoniâ inſignis, nullis adligatur votis, niſi quæ loco & tempore continentur; certis tamen exercitiis per annum probata, poſt illum Superiori ſuæ reuerentiam obedientiam & caſtitatem promittit; & ſic liberæ faciunt, quod ab obligatis alibi clauſtri neceſſitas exigit.

Nigrâ veſte ſimplices, & tamen ciuiles, ſatis oſtendunt, cuius Matris & Domus alumnæ ſint. Si nubere parentes ſuadent, aut alia neceſſitas perſuadet, poſſunt liberè ad nuptias mutatâ vitæ & ſimplicis voti ratione trāſire. Sed nunquam, vel rarò id faciunt: E contra ad probatam religionem ſiccis oculis plerumque tranſuolant; pro vt notum de quadam Domicellâ Montenſi (cuius hîc nomen ſat notum prætereo) quæ, poſt diuturnam in iſtâ familiâ reſidentiam, tertiæ D. Franciſci Regulæ ſeſe nuper per annum adprobatam obſtrinxit.

Quid ergò in eas iam habeat Bulla Vrbani VIII. Pontificis contra prætenſas Congregationes ſuperioribus annis edita, cùm earum vita & Congregatio immaculata non propriæ dumtaxat ſaluti procurandæ, ſed & omnium ædificationi, ac notanter iuuencularum erudi-

tioni

tioni nata videatur, & reuerà ſit?

Eſto, quòd forſan in eas dicta Bulla emanata & etiam in Eccleſijs publicata ſit; ſed arbitrari debemus maturè & moroſè tam graue fulmen à ſuâ Sanctitate libratum ac priùs intentatum, quàm inflictum fuiſſe. Et ratio perſuadet, quandoquidem nihil ab eo tempore contra eas innouatum ſit.

Quo ita ſe habente, ſuſtinentur ipſæ vt Chriſtianæ modeſtiæ Duces, omnis pietatis & continentiæ Magiſtræ, nec-non teneræ Iuuentutis Directrices, minimè tamen vt Religioſæ; niſi Religioſæ nomen eo ſenſu accipiamus, quo loca pia & Congregationes Religioſæ dicuntur, vt inde ſequatur effectus tituli Decretalis De Religioſis domibus, vt Epiſcopo ſint ſubiectæ; *non tamen ad effectum, vt ipſæ à tributis & tallijs exemptæ ſint, pro vt ipſas hodie pro ſe & ſuis commenſalibus eximi conqueruntur Sacerdotes, ſubuentionibus, tallijs, & quondàm præſidio militari (contra & præter ius ipſum) grauati; nec promiſcui aut gregarij, verùm Reipublicæ ſeruientes, hoc eſt in Vineâ Domini ipſis Paſtoribus collaborantes: Quaſi verò præmiſſis virginibus deteriores & indigniores ſint Presbyteri; & inueterata contra ipſos conſuetudo, ijs præiudicare debeat. Sed erit fortè per meliora tempora & mores, cùm, ad-inſtar Brabantinorum &*

Flan-

Digitized by Google

Flandrenſium, Clericatus ſui priuilegijs & fauoribus gaudebunt.

Sed ab eâ digreßiunculâ ad præmiſſas Virgines, quæ, cùm in carne præter carnem viuãt, maximè laudandæ ſunt, ne tamen gratiam captare videar, ſuperſedeo, hoc vnum ſubijciens, quòd virginalis & Mariani huius instituti tres ſint in Hannoniâ Domus.

§. Vnicus. *Tres Filiarum Deiparæ Congregationes.*

OMnium antiquior mihi videtur *Montenſis* in antiquato S. Symphoriani Refugio; cuius loci Eccleſia ſub Præſentatæ Virginis titulo conſecrata fuit hoc anno Iubilęo 1650. à Reuerendiſſimo D. Gaſpare Nemio Ep. Antuerpiæ.

Secunda *Valencenis* extat non longè à S. Mariâ-Maiore in plateâ Capron; quæ ſub titulo Noſtræ Dominæ Angelorum initium ſumpſit an. 1609. primam Superiorem agente Nob. Domic. *Carolâ Francois*; cui pręſidentiâ & nobilitate hodie compar Domic. *Clara d'Oultreman.*

Tertia poſterioris ęui, vt audio, extare ſolet *Malbodij* ſecùs Patres de Oratorio; cuius, & duarum pręcedentium initia cùm perdiſcere nõ potuerim, expreſsè omitto.

HVIVS

HVIVS ET PRÆCEDENTIVM LIBRORVM

EPILOGVS.

A*Mice Lector*, en tibi omnia Hannoniæ Cœnobia, per modum præludij, breuiter à me digeſta. Interim verò, ſi quædam alia quorumcumque Ordinum adprobatorum, vel Regularium Clericorum, aut liberarum Virginum à me hîc inedita reſciueris, opto & humaniter à te peto, vt omiſſa mihi inſinuare digneris. Stabit ſua tuæ communicationi gratia; & vel leue beneficium ibit in poſteros.

AVCTA-

Digitized by Google

AVCTARIVM AD PRÆMISSAS COENOBIORVM HANNONIÆ ORIGINES, SEV DE COLLEGIATIS EIVSDEM PROVINCIÆ ECCLESIIS BREVICVLVS.

PRÆFATIO.

HActenus ſingulorum Hannoniæ Cœnobiorum origines breuiter deſcripſi: Quia verò dictis Cœnobÿs Collegiatæ Eccleſiæ aliqualiter ſimiles ſint (prout immediatè conabor oſtendere) eaſdem per modum Auctarÿ hîc viſum fuit ſubnectere.

Etſi Canonici ſæculares canonicè viuentes, à Monachorum conſortio non putentur ſeiuncti, laxiori tamen Regulæ inſeruiunt, *vt Nicolaus* II. *Pontifex reſcripſit. Et licèt demus à primâ nominis ſui ſignificatione declinâſſe, eò quòd illa à communi Apoſtolorum vitâ ſumpta eſſet, ipſi tamen pro Regulâ Canones Eccleſiaſticos obſeruant, & multa cum Monachis communia habuerunt, & quædam etiamnum habent.*

In-primis Collegiatæ eorum Eccleſiæ antiquitùs dicebantur Monaſteria, cuius rationem reddit Molanus Lib. 1. de Canonicis Cap. 12. *Sed & humilitatis nomen eoſdem Monachis aſſimilare poteſt; nam primitùs fratres vocatos lego. Aduerto inſuper olim Cœnobiticè, hoc eſt in communi vixiſſe; quem viuendi vſum hodieq́; teſtantur clauſtra Canonicorum* Leodij, Rotnaci, Sonegiæ, *& aliorum Belgij Capitulorum. Adde quòd Clericatus & Monachatus ſimul olim iuncta fuerint ab Euſebio in Italiâ, à S. Auguſtino in Africâ, & à D. Martino in Gallijs.*

Igitur mirum videri non debet, ſi ob prædictas rationes ſecundis curis latiùs à me probandas, vtriuſque ſexus Capitula præallegatis Monaſterijs ſubtexam. Nec eſt, quòd mihi ſuccenſeant Domini mei Canonici, ſi eos Monachis, & Regularibus poſtponam, quia hi ſint in perfe-

perfectiori ſtatu, ſtrictiuſq́; viuant.

Fateor interim Canonicos Cœnobitis præferri poſſe, non ſolùm propter dignitatem, ſed etiam propter iuris & facti antiquitatem (quædam enim ipſorum Collegia, etiam Benedictinos, fundationis tempore præcedunt) ſed quia quibuſuis Abbatibus locum cedere ſolent in Statibus, & Synodis, non ſine iure poſtpoſuiſſe videor.

Cæterùm, quia Regularibus Canonicis nominis affinitate accedunt, cæteriſq́; Cœnobitis, communis olim vitæ ſtudio, ac diuini officij penſo, aſſimilantur, conuenienter (non meo tantùm, ſed & aliorum eruditorum iudicio) eorumdem Capitula præmiſſis Monaſterijs hîc ſubnecto.

Ne verò hæc, aut illa, his & ipſis ſe præferri aut poſtponi conquerantur, præmoneo temporis prioritatem in eorum deſcriptione me ſequi, pro vt hactenus feci.

DISTINCTIO I.

Capitulum Canonicarum Malbod.

Ex Teſtamento S. Aldegundis, Adhelmo, & alijs.

ILluſtre hoc Capitulum (velut & Montenſe) Monaſteria ſuperiùs feci iuxta S. fun- Anno 646.

Digitized by Google

S.fundatricis teſtamentũ,in quo iam *ancil-læ & famuli, iam ſorores & fratres* nominã-tur, qui modò Canonici & Canonicæ di-ci ſolent: Proinde id ibi à me factum pri-meuæ titulo fundationis. Quia verò nunc à tempore S. Brunonis Apoſtolici in his partibus Legati, in ſęculares Eccleſias commutata ſint, tanquam ſæcularia Col-legia hic deſcribo.

Primum quidem diuæ Aldegundis ti-tulo glorioſum eidem ſua initia refert, quia *deſpecto penitùs coniugio maritali, poſ-ſeßiones ſuas, quas ex parte patris & matris hæreditario iure non modicas obtinebat* (anno circiter ętatis ſuę 16. Domini autem 646.) *tradidit in miniſterium ancillarum Dei ad ſa-crum Malbodij Monaſterium, vbi venerabiles Epiſcopi Autbertus, Amandus, Audoënus, & Vrſmarus altare Domini in honore ſanctæ Dei Genitricis ſemperq; virginis Mariæ, & ſan-ctorum Apoſtolorum dedicauerunt quarto Idus Iunij. Tribuit inprimis villam ipſam, in quâ Monaſterium ſitum eſt, & alias ad vſus & ſti-pendia dictarum ancillarum Dei delegatas; vt, abſque indigentiâ, Ordinis ſanctimonialis vitæ competenter deſeruirent &c.* videatur dictum Teſtamentum ſub huius tenore principij: *In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Amen. Quod prudẽtius conſiliũ, quàm vt homo terrenus &c.*

Adde

Digitized by Google

Adde quòd prædictam ſanctæ Virginis Cōgregationem adprobârit S. Vitalianus Papa, vt refert S. Adhelmus * Scotorum Epiſcopus in ſuis libris de virginitate, cuius hic verba, ne longior ſim, omitto; hoc dumtaxat repetens, quòd præfatus S. Bruno Hannoniæ Reformator, ſanctæ Aldegundis Moniales in Canonicas ſęculares commutârit anno 965. quarum dominio ipſum oppidum ſubijcitur.

* *Florebat anno* 700.

Cæterùm Antiſtitæ dignitas pendet à Regis donatione, vtriuſque verò Eccleſię Prębendarum collatio ab ipſis Abbatiſſis; è quibus trigam noſtrâ, Patrumque memoriâ notā ſubijcio, videlicet Nob. D. *Antoniam Sanzelle*, à ſiniſtris Chori ſepultam anno 1596. D. *Chriſtinam de Barnaige* an. 1624. defunctam, ſepultamque in Capella du Vieu Mouſtier, & D. *Bonam de Haynin*, quæ an. 1643. prope Inſulas obijt, eiuſdem corpore huc relato, & in Capellâ S. Michaelis ſepulto.

Hodie nobiliſſimo huic Antiſtitio pręſidet *illuſtris & generoſa Domina D. Maria de Noyelle* ſoror Excellentiſſimi D. Comitis de Noyelle, Malbodij benedicta anno 1645. Det ipſi Deus vitam longam & felicem, quæ ſit & proſit totius Cleri, ac Nobilitatis bono.

Digitized by Google

DISTINCTIO II.

Malbodienſe S. Quintini.

Anno 646. LEgitur in vitâ S. Aldegundis, quòd ſecundam ſuam Eccleſiam D. Quintino inſcripſerit; quo quidem attentiùs conſiderato, huius ſancti Martyris Capitulum aut potiùs Monaſterium (primitùs enim Monachorum fuit vſque ad tempora S. Brunonis, qui Monachos & hîc & Montibus Canonicos effecit) paris ætatis & fundationis cum altero cenſebitur; deductâ origine ſuâ ex dictæ S. Aldegundis dotatione.

Eo autem fine, quo Montibus, ac Niuellis, inſtitutum fuiſſe euidens eſt, videlicet ad diuina peragenda mulieribus inconceſſa; hinc eſt, quòd ſtatis diebus è viciniâ S. Petri Eccleſiâ ad prædictam S. Aldegundis conueniant; alijs verò ferijs in propriâ maneant, diuinis vacaturi.

Sunt autem hîc viginti Præbendæ, quarum ſex Presbyterales, ſex Diaconales, & ſex alię Subdiaconales; aliam vindicat Decanus, alteram verò Præpoſitus de Regiâ collatione. Hac modò dignitate ornatur *Ampliſſimus Dominus D. Nicolaus du Fief*

Tornaci

Tornaci Canonicus, nec-non Priuati Cõcilij adſeſſor, nuper à Rege nominatus Epiſcopus Atrebatenſis; cuius cordis petitiones Dominus propediem adimplere dignetur.

DISTINCTIO III.

Montenſe Duplex S. Waldetrudis.

Ex Nicol. Guiſij Metropoli Cap. 11. *&* 13.

PRima duplicis huius Capituli fundatio attribuenda eſt D. Waldetrudi; quæ, cùm S. Giſleni monitu, à beato Autberto ſanctæ Religionis velum impetrâſſet, cellam ſibi conſtruxit in Caſtriloco, diuorum Petri & Pauli titulo celebrem; varijs nobilibus puellis in familiam ſuam adſcitis, quarum haud ita diuerſum fuit in ſuo Nymphęo inſtitutum, ac Deiparæ Virginis in templo, pro vt ſecundis curis demonſtrare conabor. *Anno* 650.

Secunda dos adſcribenda venit S. Ayæ, quæ etiam mortua, viuæ vocis oraculo, factas à ſe donationes approbauit. Tertia verò Sigeberto Regi aſſignanda eſt, quia in expiationem animæ patris ſui Dagoberti, apud prædictam cellam, D. Virgini templum extruxerit, & triginta in

eo Prębendas pro totidem Virginibus inſtituerit, adiectis decem alijs pro fundatione decem Canonicorum (hodie tamen nonniſi ſex eſſe audio)quibus ineſſet cura & œconomia rerum temporalium.

Inſtitutione primâ Virginibus præfuit Abbatiſſa, Ordinis probabiliter Benedictini (velut libro 1. tetigi) ſub quâ principem locum obtinebant Præpoſita, Decana, & Theſauraria (& hi tres tituli etiam nunc conformes ſunt D. Benedicti regulæ) quorum veſtigia munium, Domicellæ quatuor è ſenioribus apertè demonſtrant; quia ijſdem competit omnium Eccleſiæ negotiorum adminiſtratio.

Cæterùm à multis retro ſæculis, Comes Hannonię per-illuſtris huius Capituli ſæcularis Abbas extitit; ſed præcisè quando, nuſquam ſcriptum reperi. Quidam ad tempora Ludouici Imperatoris referunt; Alij demum in ætatem Balduini Comitis, vulgo Animoſi dicti. Hoc conſtat dictum Imperatorem Concilium Aquiſgrani celebrâſſe anno 817. in quo regula Canonicarum virginum à Patribus digeſta: Sed &, teſte *Guiſio noſtro, ius electionis Abbatiſſæ Montenſis Domicellis ademptum, in Comitis poteſtatem tranſijt hâc additâ conditione, vt Comes Abbatis titulo donandus,*

iuret

iuret de ſeruãdis Eccleſiæ ſuæ priuilegijs; quod & anno 1600. fecit immortalis memoriæ Princeps noſter *Albertus*. Hinc quicumque Hannoniæ Comes inauguratur, idem & Abbas fit, eique annui reditus penduntur Abbatiſſæ iam olim aſſignati: Sed & ipſi dignitatis huius poſſeſſio traditur per pedum Abbatiale, quod ipſi in proceſſionibus antefertur, & ipſo quoque abſente deferri ſolemniter ſolet.

Iamverò quando prædicti huius Collegij ſanctimoniales ſæculariſatæ, vt ita dicam, fuerint, inter Authores controuertitur. *Leſſabæus in ſuâ Montium deſcriptione*, ad dicti Concilij Aquiſgranenſis tẽpora refert. *Mireus autem in libro de Canonicorum Collegijs Cap.* 46. ad S. Brunonis æuum; qui, vt Legatus Apoſtolicus & Cęſareus, anno 965. (aliàs 953. vel 957.) Montes venit; vbi *Nounas ſeu Moniales in Canonicas ſęculares, & Monachos in Canonicos commutauit*, vt ſic narrat *Guiſius*.

Hæc, & alia multa de per-illuſtris huius Collegij antiquitate & nobilitate, præeminentiâ & ſuperioritate, libertatibus & priuilegijs, dignitatibus, præbendis, alijſque notatu dignis perſcribere hìc liceat, ſed propoſitæ breuitatis memor omitto; hoc vnum adijciens, quòd ad prædictum

Hanno-

Hannoniæ Comitem pertineat omnium huius Eccleſiæ Præbendarum collatio ; & ſimul octodecim Capellaniarum à quouis onere & vectigali exemptarum; vigore notanter diplomatis à Philippo Bono anno 1458. dati, quod ſic Gallicè incipit: *Philippe par la grace de Dieu Duc de Bourgogne &c. ſcauoir faiſons, que l'Egliſe S. VVaudru, & ſes Membres eſt, & doibt eſtre à touiours exempte de toutes tailles, impoſts, aydes accordées au Cõpte de Haynau par les Eſtats d'iceluy Pays; & ce pour l'hõneur & reuerence, qu'ils doibuent à pluſieurs Corps ſaincts &c. doncq par lõgue & grande eſpace de temps les ont en ce poinct & maniere poſſeſſe &c.*

Neque ſolùm prędicti diplomatis vigore, nobilis huius Eccleſiæ Perſonæ priuilegijs ſuis gaudent; ſed & eiuſdem Ducis fauorabili ſententiâ, cùm à Regijs miniſtris deſuper vexarentur, Montibus datâ his inter alios terminis: *Par noſtre ſentence emanee auons dit & declare, diſons & declarons par ces preſentes ladicte Egliſe S. VVaudru, enſemble leſdictes Damoiſelles Chanoineſſes, Chanoines, & Chapelains d'icelle, & les Chanoines de ladite Egliſe, eſtre, & debuoir eſtre franches, quittes, & exemptes de toutes les tailles, aydes, ſubſides, & ſubuentions, qui par cy deuant nous ont eſtéz, & doreſnauant nous ſeront, ou pourront eſtre*

octroyées,

octroyées, ou à nos ſucceſſeurs. &c.

Magnum ſanè priuilegium! notanter verò pro Sacellanis; quibus haud ingratum fore confido, ſi ſingulorum Capellanias alibi fuſiùs à me deſcribendas nomine tenùs ſubiunxerim ſecundùm annos fundationis.

Capella B. Mariæ vulgo au Cheuet, *antiquæ & opimæ fundationis.*

Corporis S. VValdetrudis, antiquæ, & lautæ dotationis.

S. Bartholomæi, incertæ fundationis.

S. Magdalenæ, incertæ ſed diuitis fundationis.

S. Agnetis, incertæ, ſed honeſtæ fundationis. 1168.

S. Ioan. Baptiſtæ, à Balduino III. fundata. 1195.

S. Iac. Minoris, aliàs Animarum, à Balduino IV. 1240.

S. Saluatoris, per Sophiam de Harzeng Canonicam. 1240.

S. Andreæ, per dictam Sophiam. 1269.

S. Michaëlis, per Gerardum de Cracol. 1278

B. Mariæ du Carniere, nunc de Sole, lautè dotata per Domic. Irminam de Herofontaine Decanam. 1321.

S. Laurentij, per Ioan. & Mariã de VVerchin Canon. 1329.

B. Mariæ de Lidikerque, per Ioannã de Lidiker. Can. 1329.

S. Stephani, per Margar. & Ioan. de Barbenſon Cano. 1336.

S. Iacobi Maioris, à quodam Henrico de Lidikerque. 1345.

S. Crucis, per Domic. Mariam de Rans. 1358.

S. Margaritæ, per Gerardum de Angiâ Caſtell. Mont. 1367.

S. Chryſtophori, cuiuſdã homicidij occaſione fundata.

Prædictis attexi poſſunt

Capella de Belle-Croix in Refugio de Naſte.

S. Calixti in Caſtro.

Et B. Mariæ de Alabaſtro, quæ an. 1317. *per Guilielmum de Dinort fundata, ſola ex prædictis pertinet ad dicti Capituli collationem; idque de conſenſu Guilielmi Bauari Comitis Hannoniæ.*

DISTIN-

DISTINCTIO IV.

Montenſe S. Petri. *deſijt.*

TEſtatur *Leſſabaus* prælibato S. Waldetrudis Monaſterio *principio adiunctos fuiſſe quatuordecim Monaſticæ profeſſionis Sacrificos, mutuam rei ſacræ præſtantes operam:* Qui poſtmodùm diui Brunonis temporibus (anno 957.) Canonici ſæculares facti ſunt, & in propriâ Eccleſiâ (ſita hęc erat inter Monaſteria S. Waldetrudis, ac D. Germani, & modò veſtigia ſuperſunt) diuinis perfuncti ſunt ad annum 1081. quo Balduinus & Richildis Hannoniæ Comites eorum præbēdas nouello S. Dionyſij Cœnobio incorporârunt, eorumdem Eccleſiâ cum duabus Sacellanijs (S. videlicet Petri, & S. Catharinæ) D. Germani Canonicis derelictâ. Eas autem Capellanias poſtmodò in ſuam Eccleſiam tranſtulêre anno 1567. priori alterâ Eccleſia in vſum Capitularis caueæ, defoſſis mortuorum oſſibus, adaptatâ.

DISTINCTIO V.

Montenſe S. Germani.

Ex dicti Guiſij Metropoli cap. 18. *&* 35.

CApitulum iſtud originem & inſtitutionem ſuam debet (vt credi par eſt, & ita ſentit *Gilbertus*) præmiſſo nobilium Canonicarum S. Waldetrudis Gyneceo, quibus ipſi in diuinis ſubſeruiunt, iam olim D. Petri Monachis ſubſtituti. Solet enim quotidie vnus è Canonicis ſacrum cantare in earum Baſilicâ; & Dominicis, alijſque ſolemnioribus anni diebus, tenētur omnes proceſſioni intereſſe.

Quando autem inſtitutum ſit, declarat ſic Nic. *Guiſius. Circa annum* 957. *Bruno Colonienſis Archiep. diruto iam Monachorum S. Petri Monaſterio, Clericos in parochiâ S. Germani conſtituit, qui ad ædem Domicellarum S. VValdetrudis ſacra litarent.* Conſonat *Iac. Guiſius. In Eccleſiâ* (inquit) *S. Germani, quæ erat villæ Parochia, Canonicos & Præbendas ordinauit ad finem ſuperiùs declaratum.* Quod à multis retro ſæculis ita ſe habere teſtatur *Baldericus Chronographus Cameracenſis* ſcriptis ſuis circa annum 1040. notus.

Succeſſu

Succeſſu verò temporis, dum Nicolaus Præpoſitum ageret (ab eo triginta quatuor numerari ſolent, quorum ſeriem aliàs dabo) Lucius III. Pontifex ipſi & Fratribus S. Germani, ius dedit in altaria Eccleſiarum tunc in oppido, & iuxtim exiſtentium; aliaque multa priuilegia, quæ ſi hîc recenſam, longus ſim: Proinde curioſum Lectorem ad dicti Pontificis Bullam anno 1181. Romæ datam remitto.

Pro coronide ſubiicere mihi liceat hoc Capitulum conſtare XIV. Præbendis, quarum ordinarius Collator in ſuis quatuor menſibus eſt *Præpoſitus*, vulgo dictus *Eccleſiarum Montenſium*, de illuſtri familiâ oriundus. Tales noſtro tempore fuerunt Carolus ab Arembergiâ; Eugenius de Arembergiâ eiuſdem frater, factus poſtmodò Capucinus; Franciſcus Villanus de Gandauo, poſtmodùm Epiſcopus Tornacenſis; & *Ambroſius Spinola*, Gaſtonis Bruacenſis Comitis filius, anno 1631. iſtâ dignitate donatus, quâ & hodie perfruitur; vtinam diutinè & feliciter. Decanum agit R. D. *Guilielmus Anſean* Dominus de Sarlongchamp.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTIO VI.

Sonegienſe S. Vincentij.

Ex Leſſabæo, Mireo, & aliunde.

ILluſtris huius Capituli breuiter inter alios meminit *Leſſabæus* his verbis. *Collegium hîc eſt Canonicorum oppidò quàm celebre in templo, quod Cœnobij inſtar eſt, olim quidem ab Hunis vaſtatum, deinde annorum progreſſu reſtitutum, ac nunc quidem Vincentij Madelgarij, cuius Reliquias aſſeruat, cenſu opimè locupletatum. Atque haud ſcio an tota Hannonia generoſius habeat ſodalitium & vocalius: Fit enim vt ſedis lociq; amœnitatis non ſolùm gratiâ, verùm etiam munificæ Baſilicæ cupiditate ſollicitati vocales Muſici, vndique eò confluant*, huc vſque dictus author. Anno 650.

Paulò fuſiùs & explicatiùs ante ſcripta repeto. Cùm B. Vincentius Altimontij conſediſſet annis plus minùs decem, relictis ibidem Fratribus, Sonegias expetijt ſub annum 650. vbi à frequentiâ populi remotus, aſſociatis ſibi nouis primitiuæ ſuæ regulæ diſcipulis, Monaſteriũ ſtruxit,

& am-

& amplâ temporalium dotatione auxit. Cui & primus Abbas præfuit ad annum 660. quo obijſſe ſcribitur.

Idipſum Monaſterium cum alijs pleriſque Belgicis impias manus Nordmannorum ſenſit. Poſtea verò à S. Brunone Archiep. (qui vniuerſas pene Hannoniæ Eccleſias reformauit) conuerſum eſt in Canonicorum Collegium anno 965. qui & hodie Sonegienſis oppidi Dominio gloriantur; tertiamque Præbendam vacãtem, ſuis Cantoribus conferre nunc habent de indultu Regis, duas priores ſibi reſeruantis, & de facto conferentis; pro vt luculentæ dotis Præpoſituram, quâ nuper inſignitus erat *R. D. Ægidius du Mont* Montenſis, recentis ex marmore Odei author & donator, an. 1641. mortuus; eidem poſtmodùm ſuccedente *R. plurimùm D. Antonio Rodriques*, cuius prædeceſſorũ ſeriem auidè exſpecto, dimiſſusque peto pro ſecundâ editione.

Ad alia iam quòd pertinet, prædictum Capitulum 32. Præbendis conſtat, in quibus duas habent Decanus, Theſaurarius, & Magiſter cantus, vnam verò Paſtor. Decanatu hodie fungitur *D. N. du Chaſteau* S. T. Lic. vir annoſæ pietatis, & eruditionis.

DISTIN-

DISTINCTIO VII.

Condatenſe B. Mariæ.

Ex Balderico, Mireo, & loci diplomatis.

CVm SS. Vincentius & Waſnulphus ſynchroni fuerint (pro vt patet ex prioris Sancti Hiſtoriâ, quæ teſtatur B. Waſnulphum ſæpiùs ex Condato ad eum veniſſe in Altum-Montem) præmiſſæ Sonegienſi Eccleſiæ Condatenſem iure ſubijcio, cuius tale initium nobis ſuppeditat *Baldericus in ſuo Chronico Lib.* 2. *Cap.* 42. *Apud villam Condatum*, inquit, *olim regalis & diues, in honore S. Mariæ, Abbatia fuerat puellarum, nunc autem eſt Monaſterium præ inopiâ paucorum Canonicorum, &c.*

Quamuis autem textus iſte nec annum, nec fundatorem denotet, conijci tamen poſſit fundatorem fuiſſe Dagobertum Regem, qui anno 644. prædicto S. Waſnulpho ſynchronus erat: Et fortè SS. Autberti & Amandi conſilio fundatum fuerit, pro vt Malbodienſe, Altimontanũ, & Mõtenſe; ſed coniectura eſt, incerta tamen.

Certum interim ex Guiſij & aliorum ſcriptis, huius loci fundationem proceſſu

temporis auctam fuiſſe ab illuſtri viro Gerardo de Rouſſillon, exindeque à nonnullis Hannonię Comitibus; & alijs viris nobilibus, quâ de re ſic noſter *Leſſabæus*.

Ædem Virgini matri dicatam à ſolo ædificâſſe perhibetur Gerardus Ruſſilo, Veſtalibus ad ibidem nuncupatis debitum votis perſoluendum inſtitutis, & pari dote adiectâ: Quam Principes Hannoniæ munificentiſsimè ſuppleuerunt, facto tredecim Præbendarum annuo prouentu, quæ ob hoc Præbendæ Hannonienſes vocantur &c. Hæc ille, ſed abſque chronicâ digeſtione, & benefactorum nominibus, quæ aliunde mutuari lubet.

Inprimis Arnoldus Balduini Hannonię Comitis frater, tredecim Prębendas in hac Eccleſiâ primus inſtituit anno 1085. Manaſſes Cameracenſis Epiſcopus certũ altare huic ipſi contulit anno 1103. Balduinus Hannonię Comes altare S. Petri in eâ inſtituit anno 1195. Rogerius Condati pro parte Dominus an. 1280. contulit decimationem totius feodi de Condato. Alardus Dominus de Antoing. per decimarũ collationem benefecit an. 1216. Finaliter Walterus de Aueſnis, & Iacobus de Condato Domini Condatenſes, huic ipſi Eccleſiæ benefecerunt annis 1240. & 1243. decimarum donatione, & Capellaniæ conſtitutione;

tione; quorum omnium literas adducit *Mireus in ſuâ Eccleſiarum Belgij Notitiâ*, à R. D. *Bartholomæo Petit* peritiſſimo eiuſdem Eccleſiæ Canonico acceptas.

Cæterùm, quo præciſè anno, & à quibus inſtitutũ, & reſtauratũ fuerit hoc monaſterium, Scriptores in controuerſiã rapiunt. Alij (inter quos *Gazetus in Eccleſiaſticâ Belgij Hiſtoriâ*) prædicto Gerardo de Rouſſillon Comiti de Burbant circa annũ 860. factam attribuunt, ſed euidens eſt contrarium ex Balderici textu: Alij ſcribunt dictos Arnoldum & Manaſſem primitiuis virginibus Canonicos ſurrogâſſe. Verùm aliter alij ſentiunt, attribuentes huius loci reſtaurationem S. Brunoni; qui (vt id Monaſteriũ à Nordmannis ibidem quondàm hyemantibus vaſtatũ fuerat an. 885.) Monialium loco Canonicos ſubſtituit circa annum 960.

Super his iudicium tuum interpone ô Lector, & ſi quid certius habes, profer in medium, vt ſecundis curis perſcribere valeam certiùs, & diſtinctiùs.

Quòd iam ſupereſt (vt aliquid de Præbendarum numero dicam) Collegiata hęc B. Mariæ Eccleſia, Parochiæ per interiacens cœmiterium adſita, vt res hodie ſunt, XXVI. Canonicos complectitur, cõ-

Digitized by Google

numeratis Decano & Præpoſito, habetq; duplicis generis Præbendas, quarum aliæ de Burbant ſiue de Brabantiâ, aliæ de Hānoniâ nominantur.

Præpoſituram gerebat an. 1647. tum nonagenarius, R. D. *Guilielmus Stori* Anglus, eâ dignitate donatus à Duce Parmenſi: hâc ipsâ nunc fruitur N. Dictorū Canonicatuum collatio partim ad Hannoniæ Comitem, partim ad gentem Lalainiam velut oppidi Dominam pertinet. Dominio hodie fruitur per nuperum Ioannæ matris obitum Excellentiſſimus D. *Philippus Ambroſius de Croy*, Comes Solranus.

DISTINCTIO VIII.

Lutoſenſe S. Petri.

Ex Balderico, Miræo, & alijs.

PRo antiquitate huius loci notanda sūt verba *Balderici*. *Eſt*, inquit, *Monaſterium Canonicorum in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, in vico, qui dicitur Luthoſa, quod conſtruxit B. Amandus, & eſt diues Abbatia, vbi vir Dei venerabilis Badilo requieſcit.* Ex quibus verbis conijcere eſt ibi diu monaſticam viguiſſe diſciplinam, & B. Amandum

dum prima jeciſſe Eccleſiæ fundamenta.

Eiuſdem fundationi poſtmodò ſuperædificauit ſupra memoratus Gerardus de Rouſſillon, Burgundiæ Comes, & huius oppidi Dominus; qui, cùm prole careret, varia fundauit & dotauit monaſteria, inter quę eminent Vizeliacum & Luthoſa, vtraq; D. Magdalenæ Reliquijs decorata per S. Badilonem huius loci Abbatem.

Controuertitur autem de æuo prætacti Comitis Gerardi. *Gazeus* floruiſſe ſcribit anno 742. & conſequenter *Sigebertus* factam ab eo fuiſſe dictarum Reliquiarum tranſlationem anno 745. *Mireus* tamen *in Annalibus ſuis Belgicis* temporibus Caroli Calui floruiſſe ſcribit ad annum 861.

Vt vt ſit, certum eſt, & vnanimiter à Scriptoribus refertur primitùs hîc Cœnobium fuiſſe vſque ad tempora prætacti S. Badilonis, & fortè vlteriùs; quod temporis proceſſu in ſæcularium Canonicorum Collegium tranſcriptum ſit; an non fortè à S. Brunone Archiepiſcopo?

Viginti huius loci Præbendarum collatio ſpectat ad primum Domus Angianæ, qui nunc eſt Excellentiſſimus *D. Philippus d'Aremberg Dux Arſchotanus*; cuius inſtantiâ, vt audio, agitur de Præbendarum huius loci tranſlatione ad ſuum Angiæ oppidum.

Digitized by Google

Prima autem dignitas, videlicet Decanatus, Regiæ collationis eſt: vnde & à Rege ſuperioribus annis hâc ipsâ dignitate donati ſunt *Ioannes Gramaius*, *Nicolaus VVarnoc*, & nuperrimè *D. N. VVinc* viri ſcriptis ſuis clari, pro vt fuſiùs dicam in Hannoniæ Bibliothecâ.

DISTINCTIO IX.

Antonienſe S. Mariæ.

Ex geſtis Abbatum Lobienſium, & nouellis Hannoniæ Chronicis ad an. 650.

ANtonium haud procul à Tornaco, Eccleſiæ ſuæ primitias attribuit dicto Gerardo de Rouſſillon Comiti Burgundiæ, Neruiæ, & Bracbatenſis tractus, vt ſcribit *Mireus*: qui cùm nullos haberet liberos, varias in Hannoniâ fundauit Eccleſias; notanter prædictas Condatenſem, & Lutoſanam; Raulicurianam, Houtaniẽſem, & hanc Antonianam, in quâ corpus *S. Maximi* Epiſcopi Regienſis collocauit.

Cæterùm hic locus pertinuit olim ad Lobienſes; quâ de re ſic Fulcuinus Abbas in geſtis Franconis (florebat hic an. 888.) *Sunt, qui Monaſterium dictum (tunc puellarum,*

rum, nunc Canonicorum) eius tempore noſtrum effectum dicunt ; licèt ſint alij , qui antiquitati hoc attribuant ; ſed ante abalienatum , ſub eo receptum. Ex quo tempore Adrianus Papa IV. anno 1156. Lucius III. 1185.& Celeſtinus III. 1194. dictæ huius Eccleſiæ bona confirmârunt his terminis vſi : *Eccleſiā de Anthonio cum liberâ eiuſdem Præbendarum donatione.*

Licèt autem omnium Præbendarū collatio pertinuerit olim ad Abbatem Lobienſem, velut huius Eccleſiæ Patronum, nihilominùs tertiæ vacantis eidem adempta fuit, lite per Capitulum ipſi intentatâ, & in fauorem Canonicorum à Samſone Archiep. Remenſi terminatâ, pro vt legitur in actis dicti Franconis Abbatis.

Iam verò quòd ad hodiernum ſtatum pertinet, audio quatuordecim eſſe Præbendas, quarum tribus tres dignitates affectæ ſunt, videlicet Decanatus , Scholaſteria, & Theſaurariatus. Decanatu hodie fungitur *R. D. Petrus Boele Montenſis* ; at perpetuum hîc (velut & Binchij) Præpoſitum agit Abbas Lobienſis ; vnde & certas Pręb endas confert, habetque ex ſpeciali priuilegio duos menſes contra Pontificē, cæterarū collatione ſpectante ad ip-

ſius loci Dynaſtam; cuius caſtri ſeptis Collegialis hæc Eccleſia ſeorſim à Parochiali includitur.

DISTINCTIO X.

Ralicurienſe S. Adriani, deſijt.

Ex hiſtoriâ S. Adriani Gallicè nuper editâ per D. Benedictum Ruteau Benedictinum Refor.

NArratur in præmiſsâ Hiſtoriâ lib. 2. Cap. 8. & 9. quòd Gerardus de Rouſſillon dicti S. Martyris corpus Româ attulerit an. 755. in Ralicuriam; *quæ ob eius merita & beneficia, ampliſſimis terminis eſt dilatata, & ibidem Eccleſia præbendarijs inueſtita Canonicis, teſte* Molano in Natt. Belgij. Ipſi autem numero XII. per annos centum & quinquaginta, ibidem diuinis functi ſunt; donec tandem exigentibus hominum peccatis, Hungarorum furor exortus, eos à dicto loco expulit an. 903. duobus interim remanentibus, qui nobile ſuæ Eccleſiæ depoſitum ab hoſtibus præſeruare cupientes, idipſum ſub altari defoderunt omnibus inſcijs; excepto tamen quodam Eubaldo Presbytero, qui poſt ducentos velut annos ab eâ occultatione

tione tranſactos, prædeceſſorum traditione, de abſcondito theſauro certior factus, hunc ipſum terrâ leuauit; & vt dicta hiſtoria refert, *Patronum venalem fecit in Gerardi-Monte anno* 1110.

Ex quo tempore (quamuis & ab antea, vt ex præmiſſis conſtat) nulla hîc eſt dictorum Canonicorum manſio, ſed dumtaxat mentio; pro vt etiam ſancti eorum Patroni; cuius hîc brachium, ad perpetuam rei memoriam, conſeruatur argenteo brachio obductum.

DISTINCTIO XI.

Valencenenſe Aulæ Comitis B. Mariæ.

Ex dicto Gazæo, & Hiſtoriâ P. d'Oultreman.

MAriani huius Collegij fundator extitit Balduinus IV. cognomento Animoſus, Hannoniæ Comes; nam in proprio ſupra Schaldim Palatio (quod *Aulæ Comitis* nomen etiamnum retinet) primitùs quinque Præbendas fundauit an. 1192. aſſignatis in dotem decimis pagorum *de Rieux & Querinain*, & diplomate eâ de re dato, quod ſic incipit: *Si pacta hominum &c.* *Anno 1192.*

&c. Ea propter ego Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes omnibus tam futuris, quàm præſentibus notum facio, quòd &c.

Tertio autem pòſt anno, decem alias præter Decanatum quinque prioribus addidit, quas & bonis in *Oſtrouandiâ*, & ſupra *Braniæ decimas* recipiendis dotauit teſte eiuſdem diplomate, cuius tale principium: *Notum ſit, quòd Balduinus Comes Hannoniæ &c.* Vnde ad perennem ſui Fundatoris memoriam, propria eiuſdem inſignia præferunt, & in prædicto Palatio diuinis olim vacare ſolent.

Temporis autem proceſſu, ad Margaritæ Comitis Hannoniæ inſtantiam, ab Aulæ reſidentiâ ſeſe tranſtulerunt anno 1269. in Eccleſiam S. Gaugerici; præuio nimirum conſenſu Rodulphi Prioris S. Saluij; ipſo cum ſucceſſoribus (in præſtiſtiti fauoris gratiam) declarato in perpepetuùm Canonico; qui primus ab ipſo Decano futurus eſſet tam in præſidentiâ, quàm in dando ſuffragio in eiuſdem Decani electione.

Verùm poſt duorum quaſi ſæculorum ſpatia, ex ſancto Gaugerico ad priſtinam ſedem pro tempore reuerſi ſunt; vbi ſuperioribus annis (præter dictum Decanum, & Scholarcham à Balduino V. ſpecialiter inſtitutum per hoc diploma: *Attendens*

tendens deuotionem, quam piæ memoriæ pater meus &c.) quatuordecim erant, & hodie totidem ſunt Canonici; de quorum numero exiſtunt S. Saluij Monachus, & Paſtor S. Gaugerici ab an. 1585.

Cæterùm dictarum Præbendarum collatio tanquam iuris Patronatus laici ad Regem pertinet; qui & nuper anno 1649. à die Proceſſionis huius vrbis, dictos Canonicos rurſùs ad S. Gaugericum diuina facere indulſit.

DISTINCTIO XII.

Chimacenſe S. Monegundis.

Ex Molano, & vernaculis Hannoniæ Chronicis fol. 108.

Licèt Chimacum Leodinæ Diœceſis ſit, eſt tamen ditionis Hannoniæ, & habet Collegiatam Eccleſiam exemptam, SS. *Priſcæ & Monegundis pignoribus olim celebrem*; ſed hodie nihil quidquam aliud habet (quod vehementer dolendum) quàm olim, vt dixi, ſacras Reliquias poſſediſſe, quia Francorum incendio perierint anno ſuperioris ſæculi 52. vt refert *Molanus in ſuis Natt. Belgicis ad* 2. Iulij. *Ante annũ 1282.*

Cęte-

Cæterùm in dictâ Eccleſiâ, octo, vt ferunt, Canonici Superis litare ſolent, quorum fundatio (vt refert *D. Vinchant in ſuis Annalibus*) attribuenda eſt illuſtri viro Ioanni Comiti Sueſſionēſi & Domino Chimacenſi; qui ibidem (dictæ S. Priſcæ pignoribus Românallatis) obijt an. 1282.

Præbendarum autem collatio ad Illuſtriſſimū loci Principē *D. Alexandrū de Croy* pertinet; de quo, & literatis optimè meritus eſt modernus eiuſdem Eccleſiæ Decanus *Petrus* N. ab an. 1625. *quo doloroſæ Matris Mariæ lacrymas* eidem Principi inſcripſit, & alia, quæ alibi (pleniorem à dicto Authore notitiam ſperans) dabo.

DISTINCTIO XIII.

Binchienſe S. Vrſmari.

Ex Fulcuino, & alijs Lobij Scriptoribus, ex quibus ſua vernacula tranſcripſit R. D. Ægidius Waulde, ex Binchii Paſtore & Decano, Canonicus Cameracenſis.

Anno 1409. SI huius Capituli originem ſpectemus, antiquitate cum primis certat; ſi verò tranſlationem è Lobio Binchium factam cum octo Sanctorum corporibus, nouitate cum vltimis; quâ de causâ cùm ad

nos

nos pertineat, præmiſsâ eius fundatione, dictam tranſlationem breuiter ſubijciendam duxi.

Et quidem, quòd ad eius initium ſpectat, lego D. Vrſmarum, cùm Eccleſiam ſuam cœnobialem in Monachorum vſus ædificâſſet, nec eam mortuorum cadaueribus pollui pateretur, alteram in adſito monte erexiſſe, & conſecrâſſe an. 697. inſtituto in eâ Clericorum ſiue Canonicorum cœtu, iuxtimque ſui ac ſuorum conſtituto cœmiterio.

Prædictus autem Canonicorum numerus proceſſu temporis ad XVIII. Præbendas excreuit, è quibus tres poſtmodùm extinctæ; primâ quidem ad Capituli mẽſam applicatâ ſub Lamberto 36. Abbate; alterâ Lobiẽſis Eccleſiæ fabricæ an. 1447. deſignatâ; tertiâ autem Choralibus pueris an. 1492. ita vt primus hodie dumtaxat numerus remaneat.

Iamverò quòd ad dictam loci mutationem pertinet, ipſa, Leodienſium tumultuum inter Epiſcopum & ſubditos eius occaſione, euenit; vnde & Guilielmus Bauarus Hannoniæ Comes eam in ſuâ Prouinciâ Binchij admiſit an. 1409. (eius eâ de re literæ ſic incipiunt: *Comme il ſoit ainſi, que par le faict & occaſion de la tres-grãde*

de guerre &c.) præuio ſcilicet conſenſu omnium, quorum intererat, ac ſecutâ Ioannis XXII. confirmatione, quæ in ſcriptis hoc modo data: *Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filijs Decano &c.*

Ab eâ tranſlatione (quamuis & ab ante) Præbendarum collatio pertinet ad Lobienſem Abbatem, velut perpetuum huius & Anthonienſis Eccleſiarum Prępoſitum. In iſtis autem XV. Canonicatibus vnum habet Decanus, alterum Paſtor Curæ ſuæ vnitum, & tertium quidã Monachus Lobienſis, etiam hîc reſidens.

Decanatus, vt dignitas, à Rege confertur; quam nuper à morte R. D. Ioannis Farinart Bruxellis obtinuit *R. D. Franciſcus du Mont Binchienſis*, ſubſecutâ certæ Capellaniæ ad eandem vnione.

DISTINCTIO XIV.

Aueſnenſe S. Nicolai.

Ex tranſſumpto declarationis fundationis.

Anno 1534. AVeſna claudat agmen, Hannoniæ clauis versùs Francos ad Helpram fluuium. In eo namque oppido collegium eſt Canonicorum totius Prouinciæ nouiſſimum,

Digitized by Google

uiſſimum, quod an. 1534. fundauit *Ludouica Albretia Domina de Aueſnis*, relicta quondàm piæ memoriæ Caroli Croy 1. Principis Chimacenſis, de conſenſu Clementis VII. Papæ, pro vt conſtat tam ex eius literis an. 1537. vj. Aug. datis, quàm ex Reuerendiſſimi D. Roberti de Croy. Ep. Cameracenſis.

Conſtat autem prædictum Capitulum tredecim Præbendis *pro tredecim perſonis, videlicet pro vno Decano, & alijs vndecim Canonicis præbendatis; quarum quidem Præbendarum vna integrè & perpetuò Curæ Eccleſiæ Aueſnenſis eſt annexa; & omnimodè ſpectat ad collationem prouiſionem & diſpoſitionem Abbatis Lætienſis, præfatæ Curæ collatoris ordinarij. Et quantùm ad alias duodecim Prębendas (comprehenſis Præbendis Præpoſiti & Decani) illarum collatio ad dictæ Fundatricis ſucceſſores iure Patronatus ſpectat; quæ tamen conferri non poſſunt niſi ijs, qui ſacris initiati fuerint Ordinibus &c.* pro vt latiùs habetur in dictæ Albretiæ literis an. dicto 1534. 10. Ap. datis.

Cæterùm dicti Capituli 1. Præpoſitus fuit D. Ioannes Boügeon; at nonus hodie eſt *R.D. Nicaſius le Febure* noſter olim in Philoſophiæ ſtudijs collega, à quo prædeceſſorum eius ſeriem exſpecto.

Digitized by Google

AVCTOR LECTORI.

MAnum tollo de tabulâ mi Lector, penicillum tibi trado, aſſume, ſi lubet; & lætis oculis (dum huius anni 1650. *Iubilæum celebratur) Cœnobiticas iſtas Origines perlege: Quidquid omiſi, appone, aut ſi quid adponendum, admone. Multùm equidem illuſtrandis Hannoniæ Cœnobijs & Capitulis inſudaui, quod ei examinandum relinquo, qui* ſolus laborem & dolorem conſiderat: *Si tamen labores meos noſſe vis, conſidera laborioſam diſquiſitionem, & periculoſam itinerationem.*

Caterùm, quidquid in his præuijs Originibus euulgaui, non publica dumtaxat vtilitas & amicorum inſtantia, ſed & temporis mei impendium extorſit; minimè verò laudis cupiditas, aut turpis lucri concupiſcentia; nec enim per hæc belli tempora theſauros ſperare liceat, niſi fortè Eccleſiaſticum beneficium.

Iamverò ſi quid vſpiam factum, aut dictum ſit ex abundantiâ cordis, quod quemquam generaliter aut ſpecialiter lædat, infectum, indictum, vel reuocatum eſto.

Scripta demum mea, omnia & ſingula, tam præſentia quàm futura (multa enim in ſchædis meis adhuc latent) S. R. E. examí-

examini & cenſuræ: atque Regiæ Catholicæ Maieſtatis arbitrio ſubmiſſa ſunto.

Finaliter omnium & ſingulorum (quorum, quarumque Cœnobia & Capitula hucuſque perſtrinxi) beneuolentiæ, gratijs, & fauoribus me commendo. Et (quod caput eſt) eorumdem precibus adiuuari deuotiſſimè poſco, vt ſobriè piè & iuſtè viuam in hoc ſæculo, exſpectans beatam ſpem; eâ verò appropinquante, anima mea morte iuſtorum moriatur. Amen.

Digitized by Google

ANACEPHALÆOSIS CHRONOGRAPHICA

Totius huius Operis.

34. *IESVS-C. Religioſarũ tribuum Patriarcha exſpirat.*
48. *S. Maria omnium Religionum Patrona moritur.*
391. *S. Auguſtinus eiuſdem propoſiti fratres colligit.*
395. *Monachiſmus à S. Auguſtino propagatur.*
430. *S. Auguſtinus Regularium Cleric. Inſtitutor moritur.*
494. *S. Benedictus monaſticæ vitæ 1. fundamenta iacit.*
529. *Regulam ſuis ſcribit diſcretione præcipuam.*
543. *Omniũ pene totius Occident. Monach. Pater moritur.*
S. Scholaſtica Benedict. inſtitutrix & Mater obdormit.
595. *Benedictinorum Regula à S. Gregorio PP. probatur.*
628. Hamatici Cœnobium inchoatur.
638. Abbatia S. Giſleni initiatur.
646. VVaſleri Monaſterium conſtruitur à S. Landelino.
Altimontium fundatur à S. Vincentio.
Origo Canonicarum S. Aldegundis Malbodij.
649. Primitiæ Canonicorum S. Quintini Malbodij.
650. Origo Canonicorum Condatenſium.
Monaſterium S. Petri Montibus inchoatur.
1. Fundatio Canonicarũ S. VValdetrudis Montib⁹.
Origo Monachorũ, & exinde Can. Sonegienſium.
Criſpinium fundatur à S. Landelino.
651. Maricola fundatur à Choneberto.
654. S. Etto moritur Fiſciàci.
658. S. Foillanus martyrio coronatur in Ampolin.
660. Origo Canonicorum Lutoſenſium.
662. S. Amandus Lutoſæ Fundator moritur.
666. Inſtituta fuit in Belgio Beguinarum Congregatio.
667. Maricola dotatur à S. Humberto.
670. S. Giſlenus moritur.

Gemi-

Geminum Haſnonij Monaſterium conſtruitur. 670.
S. Humbertus moritur. 672.
S. Landelinus è viuis excedit. 685.
S. Ioan. Valen. Monaſterium pro virgin. fundatur. 690.
Haſpra Gemetici Monachis incolenda datur. 691.
D. Vrſmarus Lobienſes Canonicos fundat. 697.
Canonici Lutoſenſes dotãtur à G. de Rouſſillon. 745.
S. Ioan. Monaſteriũ trãſit à Virgin. ad Canonic. 749.
Lætiæ Monaſterium fundatur. 751.
S. Gaugerici Monaſterium Valencenis inchoatur. 752.
Dononij Monaſterium virginibus exſtruitur. 764.
S. Hiltrudis Lætienſium dotatrix moritur. 769.
S. Saluius martyrio prope Valencenas coronatur. 798.
Canonici ad S. Saluiũ fundantur à Carolo Mãgno. 801.
Leo III. Pontifex Altimontenſes viſitat. 804.
Regula Canonicarum Aquiſgrani compilatur. 817.
S. Humberti corpus eleuatur Maricolis. 825.
Waſſerum reparatur. 844.
Ermentrudis Regina fit Monialis Haſnonij. 858.
Dononium reparatur. 877.
Haſnonium à Carolo Caluo dotatur. 878.
Haſnonium à Nordmannis deſtruitur. 880.
Altus-Mons ab Hungaris vaſtatur. 900.
Ordo Cluniacenſium inchoatur. 912.
Cella D. Gilleni Benedictinis reſtituitur. 931.
S. Bruno Hannoniam reformat. 953.
Monachos S. Petri Montibus Canonicos reddit. 957.
Moniales S. Waldetrudis ſæculariʒat.
Sonegienſe Monaſteriũ conuertit in Can. Colleg. 965.
S. Hiltrudis corpus eleuatur Lætijs. 1004.
D. Virgo Valencenas à peſte liberat. 1008.
Altuſmõs poſt perſecutiones Benedictinis redditur. 1014.
Maricola S. Benedicti Monachis reſtituitur. 1020.
Haſpra S. Vedaſti Monaſterio accedit. 1024.
Dononium S. Benedicti Monialibus inueſtitur. 1029.
S. Marcelli in Alto-Monte manifeſtatio. 1054.

1070. Haſnonium poſtliminiò Benedictinos recipit.
1080. Benedictini in Criſpinium remigrant.
1081. Lætia in vſus Benedictinorum reparatur.
S. Dioniſii Monaſteriū prope Montes inchoatur.
1084. Præbēdæ S. Petri Mont. dicto monaſterio vniūtur.
Ordo Carthuſianorum à S. Brunone inchoatur.
1085. Canonici Condatenſes numero augentur.
1086. Cella B. Mariæ Mai. Valencenis datur Haſnonio.
1088. Aimeriæ Prioratus inchoatur.
1095. *Hoſpitalarijs S. Antonij initium datur.*
1098. *Ciſtercienſis Ordo fundatur à B. Roberto.*
1100. Initiatur Fidemij Prioratus in Berlaymont.
1106. Eccleſia S. Saluij Cluniacenſibus accedit.
Ordo Melitenſium Equitum ſuſcitatur.
1110. S. Adrianus Ralicutiâ transfertur in Grandmont.
1112. S. Ioannis Monaſterium Regularibus redditur.
1118. *Ordo Templariorum inſtituitur.*
1120. *Candidus Ordo S. Norberti fundatur.*
1125. Bonæ-Spei Monaſterium incipitur.
Viconia Præmonſtrati inſtituto adſcribitur.
S. Foillani Cœnobiū Præmonſtratēſibus accedit.
1126. Guiſlenghemiū fundatur pro S. Benedicti Monial.
1143. Lætia S. Lamberti Reliquijs donatur.
1148. Camberona fundationis ſuæ initium ſumit.
1153. S. Bernardus è viuis excedit.
1155. *S. Guilielmus inſtitutor Guilielmitarum moritur.*
1160. Donum Petri Lætiæ ad ſacros vſus donatur.
1162. Fundatur Prioratus de Herlaymont.
1182. Regulares in Bellingen adgregantur.
1192. Canonici Aulæ Comitis Valencenæ fundantur.
1198. *Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis initium ſumit.*
1201. *Ordo Vallis-Scholarium inſtituitur.*
1208. Lætijs aduectus SS. Reliquiarū ex Conſtātinopoli.
1210. *Ordo FF. Minorum ab Innocentio III. probatur.*
1212. *Ordo S. Claræ inchoatur.*
1214. Leproſaria Montibus ad portā Nimianā fundatur.

Fratres

Digitized by Google

Fratres MM. Valencenis ad ſuburbia confluunt. 1215.
Ordo Prædicatorum ab Honorio III. confirmatur. 1216.
Ordo Cruciferorum probatur ab Innocentio III.
Fontinella Ciſtercienſes Nonnas recipit.
Locus-Spinoſus fit inſtituti Ciſtercienſis.
Oliuæ Monaſterium primitias ſumit. 1220.
FF. Minores Comitis palatio Valencenis donātur.
Audrigniaci Miniſteriatus inſtituitur.
Leſſinæ Zenodochium Regulariſſis attribuitur.
Lendii Xenodochium Trinitariis donatur. 1223.
Pœnitentes S. Magdalenæ Pariſiis exurgunt. 1225.
Vallis Virginum Flobecâ transfertur Aldenardam. 1232.
Conuentus Prædicatorum Valencenis inſtituitur. 1233.
S. Eliſabeth Cœnobium Querceti incipitur.
Refugium noſtræ Dominæ ſecùs Athū inchoatur. 1234.
Carmelitę Pariſiis Valencenas veniunt. 1235.
FF. Minores Conuentu Montibus donantur. 1238.
Prima Beguinarum Congregatio Valencenis. 1239.
Ordo B. Mariæ de Monte Carmelo mitigatur. 1240.
Thuræ Monaſterium fundatur ad Sambram. 1244.
Belianenſe apud *Montes* inchoatur.
Beguinarum Parochia Montibus erigitur. 1248.
*Mo*naſterium S. Andreæ Tornaci initia ſua ſumit. 1249.
Prioratus Vallis-*S*cholarium *Mo*ntibus fundatur. 1252.
Ordo Eremitarum S. Auguſtini reformatur. 1254.
Eremitæ S. Auguſtini recipiuntur Angiæ. 1255.
Chimacenſis Eccleſiæ Canonicatus eriguntur. 1280.
Cruciferis monaſterium erigitur Tornaci. 1284.
Carthuſia prope Valencenas inchoatur. 1293.
Eriguntur Angiæ, Rosbecæ, & Lēbecæ Hoſpitalia. 1306.
Ordo Templariorum extinguitur. 1307.
*Mo*naſterium de Beaumont Valencenis fundatur. 1310.
Beguinarum ſtatus damnatur, ſed poſtea ſuſtinetur. 1311.
Carthuſia prope Angiam Herinis inſtituitur. 1314.
Deiparæ effigies à Iudæo Camberonæ violatur. 1322.
S. Brigitta ordinis ſui inſtituendi præſaga fit Atrebati, marito illic ægrotante. 1332.

Digitized by Google

1345. Monteſis Beguinagij Parochia ſeparatur, à Comis.
1350. Domus pauperum Sororum Montibus inchoatur.
1370. *Ordo S. Saluatoris à S. Brigittâ initium ſumit.*
1376. *Confirmatur à Gregorio XI.*
1392. Præceptoria S. Antonij iuxta Montes initiatur.
1402. D. Virgo Guiſleghemienſis miraculis inclareſcit.
1405. Miraculum S. Sanguinis in Buſco Domini Iſaac.
1409. Præbendæ Lobienſes Binchium transferuntur.
1412. Carmelitæ iuxta Angiam recipiuntur.
1418. Prioratus Regularium in Buſco Iſaac excitatur.
1424. Monaſterium de Champeau Tornaci inchoatur.
1430. Hoſpitium Dei Valencenis erigitur.
1435. Primi Griſeatum Conuentus Cheruiæ & Brugeleti.
1440. Oliuæ Monaſterium reformatur.
1446. FF. Minores Conuentum Athi conſequuntur.
Congregatio pauperum Sacerdotum Valencenis.
1449. Auguſtinianæ Quercetum Inſulis veniunt.
Hoſpitale S. Magdalenæ Athi erigitur.
1450. *Ordo tertiæ S. Franciſci Regula approbatur.*
Griſeæ ſorores Aueſnis inſtruunt ſuũ Conuentum.
1452. Pœnitentes S. Magdalenæ Valencenis coaleſcũt.
1456. Abbatia S. Giſleni Põtificalibus inſignijs decoratur.
1458. Haſnonium Pontificali infulâ donatur.
Philippus Bonus Eccleſię S. Waldetrudis Mõtenſis
Perſonas à quouis onere eximit.
1459. Abbatia S. Eliſabeth Querceti reformatur.
1460. FF. Minores Aueſnam ingrediuntur.
1463. Griſeæ ſorores Valencenis ineunt Conuentum.
1464. Monaſterium Nazareth Athi fundatur.
1467. Bogardi apud Brugeletum recipiuntur.
1470. Griſeæ ſorores Wisbecâ Montes euocantur.
1473. *Ordo Minimorum à Sixto IV. adprobatur.*
1476. Griſeę ſorores Bellimontij ad Hoſpitale recipiũtur.
1480. Pœnitentes S. Magdalenæ Montibus adgregãtur.
1484. Griſeæ ſorores Malbodij congregantur.
1488. Nigræ ſorores ſtrictioris æui Conuentum Mõtibus
incipiunt.

Digitized by Google

Alterum Conuentum Binchij ſtatuunt. 1494.
Griſeæ ſorores Sonegias ad Hoſpitale vocantur. 1498.
Ordo Annuntiatarum fundatur à S. Ioannâ. 1501.
Griſeæ ſorores Audomaro veniunt Angiam.
Brugeleto conueniunt Hautragiã, & Berlemontiũ. 1507.
Thuræ Monaſterium reformatur.
Tertiariæ Bauaci Conuentum ſibi adipiſcuntur. 1508.
Cameronæ Monaſteriũ Pontificalibus inſignitur. 1512.
Griſeæ ſorores è Bellomonte Quercetũ conueniũt. 1514.
Hoſpitalariæ Montibus ad S. Nicol. admittuntur. 1518.
Bogardi ad S. Crucem Montibus fundantur. 1520.
Griſeæ ſorores admittuntur in Solre-le Chaſteau. 1523.
Ordo Capucinorum confirmatur à Clemente VII. 1526.
Griſeę ſorores admittũtur ad Hoſpitale de Bliquy. 1527.
Admittuntur & Braniæ ad Xenodochium S. Nic. 1528.
Nigræ ſorores Leſſinas coloniam ducunt. 1530.
Nouiſſimæ omnium Præbendæ Aueſnis fundãtur. 1534.
Prioratus S. Saluij à Cluniacenſibus eximitur. 1536.
Congregatio Societatis à Paulo III. adprobatur. 1540.
Lætia reformatur à Bloſio, probante Paulo III. 1545.
Chimacum à Francis incendio deturpatur. 1552.
Binchium, & Oliuæ Cœnobium ab ijſdẽ incẽditur. 1554.
Belanienſe Monaſterium ab ijs Binchio redeuntibus vritur.
Ordo Carmelitarum diſcalceatorum Romæ adprobatur. 1565.
Gheuſij Valencenis incipiunt, vicinaque Haſnonij, & Criſpinij Cœnobia violant. 1566.
Carmelitæ Brugeleti recipiuntur, expulſis Bogard.
Bonæ-Spei Monaſteriũ ab Auriaco in fauillas vertitur. 1568.
Carthuſia de Macourt Valencenas transfertur. 1574.
Congregatio PP. Oratorij probatur à Gregorio XIII. 1575.
Exceptio Reliquiarũ S. Pharaildis in Loco-Spin. 1576.
Refug. N. Dñæ ſecùs Athum ſucceditur à Gheuſijs. 1578.
Loci-Spinoſi Monaſterium incenditur.
Carthuſia Herinenſis diripitur, & comburitur. 1580.

1581. Sylua Domini Iſaac an. 1418. fundata, in cineres à Gheuſijs redigitur.

Oppidum S. Giſleni à Gheuſijs de nocte intercipitur.

Camberona ab ijs diuinitùs præſeruatur.

Clariſſæ Hollandiâ expulſæ, Montibus excipiũtur.

Patres Societatis Valencenis admittuntur.

1582. Cantiprațani ad Prioratum de Bellinghen Abbatiam ſuam transferunt.

1585. Maricola Pontificio mitræ ornatu decoratur.

1587. Societas Ieſu Montes ad reſidentiam venit.

1592. Capucini intra Tornacum cis Scaldim recipiuntur,

1595. Item Valencenis, & Montibus an. 1596.

1596. Criſpinium Pontificali mitrâ ornatur.

1597. Recollecti Patres Binchium à Superioribus mittuntur pro formando Conuentu.

1600. Albertus iurat de ſeruandis Eccleſiæ Montanæ iuribus in ſuo ad nos ingreſſu.

Hoſpitalariæ Atho ad S. Giſlenum euocantur.

1601. Eccleſia Loci-Spinoſi à Gheuſiis vlta reſtauratur.

1602. Pontificalis infula Bonæ-Spei conceditur.

1604. Benedictinarum reformatio Duaci incipit,

1606. Vſus mitræ *S.* Foillani Monaſterio conceditur.

1607. Nouitiatus Societatis Tornaci inſtauratur.

Carmelitanæ diſcalceatæ, *Montibus* excipiuntur.

1609. *Congregatio Filiarum Deiparæ florere cœpit.*

1611. *Vrſulinæ Virgines Pariſijs, Paulo V. adprobante, incipiunt.*

1612. Dominicani Braniæ ad Vicariam recipiuntur.

1615. Recollectæ Querceti, & Barbanſonij congregãtur.

1616. Patres Societatis Collegio donantur Malbodij.

1617. Vallis-Scholarium Montibus in Abbatiã erigitur.

S. Frederici corpus excipitur in Bonâ-*S*pe.

Item ad *S.* Foillanum pars corporis B. *S*iardi.

1618. Brigittinæ, & Carmelitanæ Valencenis excipiuntur.

Minimi

Digitized by Google

Minimi Conuentum Montibus aſſequuntur.
Pontificalium ornatus Viconiæ indulgetur. 1919.
Dominicani Montibus admittuntur. 1620.
Nouæ S. Franciſci Pœnitentes Binchij recipiuntur.
Patres Societatis Athi, & Hallis excipiuntur. 1621.
Nigræ ſorores hoſpitalitati deputantur apud Rhodium. 1625.
Primũ Hannoniæ Oratorium Cheruijs inchoatur. 1626.
Patres de Oratorio Malbodij congregantur. 1627
Branienſe Oratorium inſtituitur. 1628
Dominicanæ Tornaci recipiuntur cis Schaldim.
Cœleſtinæ Tornaco Montes veniunt.
Prioratus S. Saluij in Abbatiam mitratam erigitur. 1629.
Conceditur vſus infulæ S. Ioannis Monaſterio.
Oratorio Sonegienſi fundamenta ſubſtruuntur.
Brigittini Conuentum inſtituunt Peruaci. 1630.
Oratorium Montenſe inchoatur. 1631
Carmelitarum Nouitiatus apud Valencenas inſtituitur apud ſacellum *Matris* Bonæ-*Spei*. 1633.
Corpora ſanctorum Petri & Iuliani Valencenis excipiuntur. 1635.
Alti-montio, & Lætiæ mitra conceditur. 1640
Noua Angiæ Beguinagii Eccleſia dedicatur. 1642
Pœnitentes Capucinæ Montibus adgregantur. 1644
S. Lucillæ corpus ex Româ Thuræ ſuſcipitur. 1646
Benedictinæ reformatæ Montibus admittuntur. 1647.
Landreſio à noſtris recepto, Carmelitæ ad reſidentiam veniunt.
Minimi corpora ſanctorum Antonini, Anaſtaſii, & Eugeniæ Montes ex Vrbe aducta, honorificè ſuſcipiunt. 1648
Reliquiæ *S.* Germani Pariſijs ab Illuſtriſſimo D. Philippo Coſpeau quondàm Archiep. Nannetenſi acceptæ, ſolemni ritu Montibus excipiuntur ab eiuſdem *S.* Germani Canonicis. 1650.

INDEX

INDEX

Topographicus Vrbium, Cœnobiorum, & Pagorum, de quibus in hoc opere fit mentio.

A.

Aimeria ſol. 102.
Alti-Montiū 13.
Angia 270. 324. 330. 338. 360. 426.
Angiæ ſuburbanū 112.
Antonium. 470.
Athum 277. 306. 338. 375. 402. 428. 438.
Audriniacum 243.
Auesna 309. 353. 432. 478.

B.

Barbenſonium 315.
Bauacum 361. 413.
Betheem ſeu Beliā 259.
Bellimontium 339. 357. 431.
Bellinga 175.
Berlaymontiū 103. 369.
Berſelia Abbatica 123.
Binchium 312. 374. 382. 430. 476.
Bliqui 372.
Bona-Spes 179.
Brania 249. 363. 408. 430.
Bronfau in Silly 107.
Brugeletum 320. 326. 366.

C.

Camberona 69.
Cheruia 352. 407
Chimacum 475.
Condatum 160. 339. 363. 465.
Couſolra 121.
Criſpinium 20.

D.

Dononium 124.
Donū-Petri 104.

F.

Flobeca 116. 159. 367.

Fonte-

Fontes-Epiſcopi 376.
Fontinella 136.
Fraxina 368.

G.

GIſlenopolis 276.
Guiſlenghemium 126.

H.

HAlla 317. 364. 403. 429.
Hamaticum 89.
Haſnonium 31.
Haſpra 95.
Hautragia 370.
Herlaymont 235.
Hunia 92.

L.

LAndreſium 328.
Lætia 40. 105.
Lembeca 271.
Lendium 244.
Leſſina 269. 356. 383. 429. 438.
Locus-Spinoſus 141.
Lutoſa 468.

M.

MAlbodiũ 93. 120. 338. 357. 382. 400. 410. 432. 447. 451. 454.
Maricola 25.
Mariæ-Burgum 385.
Monaſter. in Faniâ 92.
Montes 94. 122. 130. 215. 287. 289. 296. 304. 321. 333. 337. 341. 348. 355. 377. 380. 387. 390. 396. 412. 425. 426. 435. 443. 447. 455. 460. 461.

O.

OLiua 149

P.

PErüetum 98. 250
Philippo-Polis 375
Priche 106

Q.

QVercetũ 253. 314. 362. 379. 433.

R.

RAlicuria 472
Refugium N. Dominæ 155
Rhodium 384
Riuroella 234.
Rosbeca 273.

S.

SAlechium 97.
S. Antonius 239.
S. Dio-

S. Dionyſius 48.
S. Foillanus 202.
S. Giſlenus 4.
S. Nicolaus in Boſco 233.
S. Petrus in Hion 107.
S. Saluius 57.
Solri-Caſtrum 371.
Sonegia 339. 359. 411. 430. 463.
Sylua Dñi Iſaac 228.

T.

TOrnacũ cis Schaldim 246. 267. 278. 280. 336. 346. 399.
Thura 256.

V.

VAlencenæ 96. 100. 110. 164. 284. 292. 300. 323. 337. 345. 354. 391. 394. 416. 422. 437. 442. 447. 473.
Valencenæ ſuburbium 110. 327.
Viconia 189.
Walincuria 116.
Waſſerum 90.
Wignies 237.

Indiculus Abbatiarum, & Capitulorum Hannoniæ literario ordine digeſtus.

Abbatiæ Benedictinorum.

ALti-Mõtenſis 13.
Criſpinienſis 20.
Dononienſis 124.
Guiſlenghemienſis 126.
Haſnonienſis 31.
Lætienſis 40.
Maricolenſis 25.
N. Dominæ de Pace Montibus 130.
Sancti Giſleni 4
S. Dionyſij in Brocqueroyâ 48.
S. Saluij 57.

Ciſtercienſium.

CAmberonenſis 69.
Fontinellẽſis 136.
Loci-Spinoſi 141.
Oliuetana 149.

Refu-

Refugij N. Dom. Athi fol. 155.

Præmonſtratenſium.

BOnæ-Spei 179.
S. Foillani 202.
Viconienſis 189.

Regularium Canonicorum.

BElianenſis 259.
Cãtipratana in Belling 175.
S. Eliſabeth Querceti 253.
S. Ioannis Valencenis 164.
Thurenſis 256.
Vallis-Scholariũ Montibus. 215.

Capitula Canonicorum Hannoniæ.

ANtonienſe 470
Aueſnenſe 478
Binchienſe 476
Chimacenſe 475
Condatenſe 465
Lutoſanum 468
Malbodiẽſe duplex 451 454.
Montenſe duplex 455 460. 461.
Sonegienſe 463
Valencenenſe 473

PRIORATVS, AC MINORA Cœnobia, nec-non Conuentus, & Congregationes cuiuſuis Ordinis & ſexus, ſuperiùs per annos deſcriptæ, & alphabeto hîc declineatæ.

Annunciatarum.

MOntibus 387.

Auguſtinianorum.

Angiæ 330.

Begui.

Beguinarum.

Angiæ 426.
Athi 428.
Aueſnis 432.
Bellimontij 431.
Binchij 430.
Braniæ 430.
Hallis 429.
Leſſinæ 429.
Malbodij 432.
Montibus 425.
Querceti 433.
Sonegijs 450.
Valencenis 422.

Benedictinorum Præpoſituræ, & Prioratus.

Aimerienſis 102.
Berlaymontanus 103.
Boni-Petri 104.
Hamatici 89.
Haſprenſis 95.
Hunienſis 92.
S. Mariæ M. Valēcen. 100.
Monaſterij in Faniâ 92.

S. Benedicti Cœnobia extincta, aut modò derelicta.

Waſſerenſe 90.
S. Quintini Malbodij 93.
S. Petri Montibus 94.
S. Gaugerici Valenc. 96.
Halechij 97.
De Alemannis in Franc. 98.
Peruetanum 98.
Quædam Lætienſia 105.

Priche 106.
Bronſaut in Silly 107.
S. Petri in Hion 107.
B. Mariæ Malbodij 120.
B. Mariæ in Conſolre 121.
B. Mariæ Montibus 122.
S. Ragēfredis in Berſeli 123.
Vallis Virginū Flobecæ 159.

Bogardorum.

Brugeleti 320.
Montibus 321.

Brigittinorum.

Perüaci 250.

Brigittinarum.

Valencenis 284.

Capucinorum.

Angiæ 338.
Athi 338.
Malbodij 338.
Montibus 337.
Sonegijs 339.
Tornaci 336.
Valencenis 337.

Capucinarum.

Montibus 377.

Canonicorum Regularium, & Præmonſtratenſium vtriuſque ſexus Cœnobia.

Buſco Ilacenſe 228.
Campellenſe Torn. 280.
Herlaymontanum 235.
Nazarethanum Athi 277.
S. Andreæ Tornaci 278.
S. Nicolai in Boſco 233.

Clariſ-

Clariſſarum.
Montibus 348.
Carmelitarum mitigatorũ.
Angiæ 324.
Brugeleti 326.
Landreſij 328.
Valencenis 323.
Prope Valencenas 327.
Carm. Excalceatorum.
Montibus 341.
Carm. Excalceatarum.
Montibus 390.
Valencenis 391.
Carthuſianorum.
Valencenis 110.
Capellæ prope Angiam 112.
Cruciferorum.
Tornaci 246.
Dominicanorum.
Braniæ 294.
Montibus 296.
Valencenis 292.
Dominicanarum.
Valencenis 345.
Tornaci 346.
Griſearum ſororum Tertiæ Regulæ S. Franciſci Conuentus.
Angienſis 360.
Aueſnenſis 353.
Bauacenſis 361.
Bellimontanus 357.
Berlaymontanus 369.
Bliquitanus 372.
Branienſis 363.
Brugeletanus 366.
Cheruienſis 352.
Condatenſis 363.
Flobecanus 367.
Fraxinenſis 368.
Hallenſis 364.
Hautragienſis 370.
Leſſinenſis 356.
Malbodienſis 357.
Montenſis 355.
Quercetenſis 362.
Solri-Caſtrenſis 371.
Sonegienſis 359.
Valencenenſis 354.
Guilielmitarum.
Flobecæ 116.
Walincuriæ 116.
Hoſpitaliariorũ S. Antonij.
Haureti ad Barbaræ-Foſſam 239.
Hoſpitaliariarum profeſſarum.
Angiæ 270.
Gillenopoli 276.
Lembecæ 271.
Leſſinis 269.
Rosbecæ 273.
Tornaci in Maruis 267.
Hoſpit. liberarum.
Athi 438.
Leſſinæ 438.
Montibus 435.
Valencenis 437.
Minimorum.
Montibus 333.

Mino-

Beguinarum.
Angiæ 426.
Athi 428.
Aueſnis 432.
Bellimontij 431.
Binchij 430.
Braniæ 430.
Hallis 429.
Leſſinæ 429.
Malbodij 432.
Montibus 425.
Querceti 433.
Sonegijs 450.
Valencenis 422.
Benedictinorum Præpoſituræ, & Prioratus.
Aimerienſis 102.
Berlaymontanus 103.
Boni-Petri 104.
Hamatici 89.
Haſprenſis 95.
Hunienſis 92.
S. Mariæ M. Valēcen. 100.
Monaſterij in Faniâ 92.
S. Benedicti Cœnobia exincta, aut modò derelicta.
Waſſerenſe 90.
S. Quintini Malbodij 93.
S. Petri Montibus 94.
S. Gaugerici Valenc. 96.
Salechij 97.
De Alemannis in Franc. 98.
Peruetanum 98.
Quædam Lætienſia 105.
Priche 106.
Bronſaut in Silly 107.
S. Petri in Hion 107.
B. Mariæ Malbodij 120.
B. Mariæ in Conſolre 121.
B. Mariæ Montibus 122.
S. Rage͂fredis in Berſeli 123.
Vallis Virginũ Flobecæ 159.
Bogardorum.
Brugeleti 320.
Montibus 321.
Brigittinorum.
Perüaci 250.
Brigittinarum.
Valencenis 284.
Capucinorum.
Angiæ 338.
Athi 338.
Malbodij 338.
Montibus 337.
Sonegijs 339.
Tornaci 336.
Valencenis 337.
Capucinarum.
Montibus 377.
Canonicorum Regularium, & Præmonſtratenſium vtriuſque ſexus Cœnobia.
Buſco Ilacenſe 228.
Campellenſe Torn. 280.
Herlaymontanum 235.
Nazarethanum Athi 277.
S. Andreæ Tornaci 278.
S. Nicolai in Boſco 233.

Clariſſarum.
Montibus 348.
Carmelitarum mitigatorũ.
Angiæ 324.
Brugeleti 326.
Landreſij 328.
Valencenis 323.
Prope Valencenas 327.
Carm. Excalceatorum.
Montibus 341.
Carm. Excalceatarum.
Montibus 390.
Valencenis 391.
Carthuſianorum.
Valencenis 110.
Capellæ prope Angiam 112.
Cruciferorum.
Tornaci 246.
Dominicanorum.
Braniæ 294.
Montibus 296.
Valencenis 292.
Dominicanarum.
Valencenis 345.
Tornaci 346.
Griſearum ſororum Tertiæ Regulæ S. Franciſci Conuentus.
Angienſis 360.
Aueſnenſis 353.
Bauacenſis 361.
Bellimontanus 357.
Berlaymontanus 369.
Bliquitanus 372.
Branienſis 363.
Brugeletanus 366.
Cheruienſis 352.
Condatenſis 363.
Flobecanus 367.
Fraxinenſis 368.
Hallenſis 364.
Hautragienſis 370.
Leſſinenſis 356.
Malbodienſis 357.
Montenſis 355.
Quercetenſis 362.
Solri-Caſtrenſis 371.
Sonegienſis 359.
Valencenenſis 354.
Guilielmitarum.
Flobecæ 116.
Walincurtiæ 116.
Hoſpitaliariorũ S. Antonij.
Haureti ad Barbaræ-Foſſam 239.
Hoſpitaliariarum profeſſarum.
Angiæ 270.
Gillenopoli 276.
Lembecæ 271.
Leſſinis 269.
Rosbecæ 273.
Tornaci in Maruis 267.
Hoſpit. liberarum.
Athi 438.
Leſſinæ 438.
Montibus 435.
Valencenis 437.
Minimorum.
Montibus 333.

Mino-

Minoritarum.

Athi 306.
Aueſnis 390.
Barbenſonij 315.
Binchij 312.
Hallis 317.
Montibus 304.
Querceti 314.
Valencenis 300.

Nigrarum Sororum Ordinis Auguſtini.

Binchij 382.
Leſſinæ 383.
Malbodij 282.
Montibus 380.
Querceti 379.
Rhodij 384.
Mariæ-Burgi 385.

Oratorij Ieſu.

Bauaci 413.
Braniæ 408.
Cheruijs 407.
Malbodij 410.
Montibus 412.
Sonegijs 411.

Pauperum Sacerdotum.

Valencenis 416.

Pauperum Sororum.

Montibus 426.

Nouarum Pœnitentûm S. Franciſci.

Athi 375.
Binchij 374.
Fontibus-Epiſcopi 376.
Philippopoli 375.

Pœnitentûm S. Magdalenæ.

Valencenis 442.
Montibus 443.

Societatis Ieſu.

Athi 402.
Hallis 403.
Malbodij 400.
Montibus 396.
Tornaci 399.
Valencenis 394.

Templariorum.

Olim paſſim in Hannoniâ 118.

Trinitariorum.

Audrigniaci 243.
Lendij 244.

Vrſulinarum.

Montibus 287.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google